BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XVII
C
21
NAPOLI

Digitized by Google

XVII.Q. 21

Digitized by Google

S. PUFFENDORFII
DE
OFFICIO
HOMINIS
ET
CIVIS,
JUXTA
LEGEM NATURALEM,
LIBRI DUO.

Supplementis & Obſervationibus in Academicæ Juventutis uſum auxit & illuſtravit

GERSCHOMUS CARMICHAEL,
Philoſophiæ in Academia *Glaſguenſi* Profeſſor.

Quid verum atque decens, curo & rogo.
HORAT.

Juxta Exemplar Edinburgenſi.

BASILEÆ,
Impenſis JOANNIS BRANDMULLERI.
M DCC XXXIX.

Ampliſſimo Illuſtriſſimo Viro,
Optimè de Patriâ merito, optimè merenti,

JACOBO

Comiti de HYNDFORD, Vicecomiti de NEMPHLEAR, Domino CARMICHAEL de Eodem, CARMICHAELORUM Gentis & Nominis Principi, *&c. &c.*

ET SIMUL

Filio ejus Primogenito & Hæredi digniſſimo, Nobiliſſimo Juveni,

JOANNI

Domino CARMICHAEL, Paternam & Avitam Virtutem pulcherrimè æmulanti,

Has meas qualeſcunque, Egregio Nobiliſſimi Scriptoris operi ſupplendo & illuſtrando impenſas Curas, grato Animo, & ad Obſequium paratiſſimo,

Do, dedico,

GERS. CARMICHAEL.

LECTORI BENEVOLO
S. P. D.
GERSCHOMUS CARMICHAEL.

REM Philoſophicam, noſtrâ & Patrum noſtrorum memoriâ, partim a ſequiorum ſeculorum ineptiis repurgatam, partim egregiis incrementis locupletatam, utroque nomine ad feliciorem multò ſtatum eſſe perductam, nemo paulò humanior ignorat. Neque ſoli hoc contigit Philoſophiæ Naturali, in qua unitis Clariſſimorum Virorum operis facti progreſſus, dum per eos ipſæ Mechanicæ Artes excolerentur, etiam Vulgi oculos perſtrinxerunt. Reliquæ etiam Diſciplinæ Philoſophicæ non minùs feliciter ſunt excultæ: quarum neſcio an ulla noviſſimè elapſæ annorum centuriæ plus debeat quàm *Scientia Moralis.*

Hæc, antiquis Sapientibus maximi æſtimata, nec ab iisdem incuriosè tractata, una cum reliquis ferè omnibus bonis artibus, diu ſordibus obruta jacuit, donec, pauló poſt initium præcedentis ſeculi, ope Incomparabilis Viri *Hugonis Grotii* (ea ſaltem in parte quæ mutua Hominum inter ſe definit officia, quæque ob ingentem caſuum hìc occurrentium varietatem eſt multo latiſſima) pluſquàm priſtino fuit ſplendori reſtituta, in egregio Opere, quod inſcribitur, *De Jure Belli & Pacis*. Ex illo tempore, quaſi claſſico dato, ab eruditiſſimis paſſim & politiſſimis Viris excoli certatim cœpit, utiliſſima hæc nobiliſſimaque Doctrina.

Sed cum plerique, per annorum luſtra circiter decem, intra cancellos ferè ſe continuiſſent Operis *Grotiani*, quod alii in Epitomas contrahebant, alii Notis aut Commentariis illuſtrabant, vel Animadverſionibus ſolicitabant, (duos celebres *Anglos*, *Seldenum* & *Hobbium*, non includo; quorum alter ad Noachidarum præcepta, quæ dicuntur, iisque ſuperſtructa Hebræorum Doctorum placita diſquiſitiones ſuas coarctavit; alter Juris Naturalis diſciplinam non illuſtrare inſtituit, ſed corrumpere;) Vir celeberrimus *Samuel Puffendorfius*, majus quidpiam ſibi audendum ratus, *Grotiani* Operis materiâ in commodiorem ordinem digeſtâ,

ſtâ, & ſuppletis quæ in illo ad Moralem Diſciplinam integrandam videbantur deſiderari, perfectius ejus Diſciplinæ Syſtema nobis exhibuit, Libris quos inſcripſit, *De Jure Naturæ & Gentium.* Quod Syſtema deinceps in Compendium redigens, elegantem huncce, cui noſtras qualescunque curas impendimus, Tractatum concinnavit.

Hoc demum Tractatu edito, & ad Academicæ Inſtitutionis uſum adhiberi cœpto, facile intellexerunt æquiores harum rerum Arbitri, non aliam eſſe genuinam *Morum Philoſophiam*, quàm quæ ex evidentibus Principiis, in ipſa rerum natura fundatis, *Hominis* atque *Civis officia*, in ſingulis vitæ humanæ circumſtantiis debita, eruit ac demonſtrat; atque adeò *Juris Naturalis* Scientiam, quantumvis diverſam ab *Ethica*, quæ in Scholis dudum obtinuerat, præ ſe ferret faciem, non eſſe, quòd ad ſcopum & rem tractandam, verè aliam Diſciplinam, ſed eandem rectiùs duntaxat & ſolidiùs traditam, ita ut, ad quem priùs malè collineaverat, tandem reipsâ feriret ſcopum.

Semper enim apud omnes ejus Scriptores, *Ethica* ſe profitebatur *Scientiam, quæ Actiones humanas dirigeret ad Honeſtatem*, id eſt, ad *Conformitatem cum Lege Naturæ*, ſive, ut in Scholis loqui vulgò ſolent, cum *recto Rationis dictamine.* Quæ verò

jam Scientia, aut quo pacto ulla, humanas actiones dirigere poteſt ad conformitatem cum Lege Naturæ, niſi oſtendendo, quid ea Lex præcipiat, quid vetet; & quibus ſanctionibus præcepta ſua muniat; hoc eſt, quid Boni ea præcepta obſervantes, quid Mali ea negligentes, manere dictitet? Quicquid igitur inter Ethicam Scholaſticam, & Juris Naturalis prudentiam, occurrit diſcriminis, non id ipſius Scientiæ indoli, ſed ſpuriæ vel genuinæ eam tradendi rationi, oportet tribuere. Quod & rectè Cel. *Titius* monuit, in Prolegomenis ad hunc eundem *Puffendorfii* Tractatum §. 48.

Nec obſtat, quòd quæ Ethicæ Scholaſticæ magnam faciunt partem, ea in recentiorum Doctrina Juris Naturalis nuſquam occurrant. Præciſis enim, quæ in omni Philoſophiæ Scholaſticæ parte nimis crebrò apparent, vanis Quiſquiliis & Litigiis de vocibus, quæ ex univerſo Scientiarum ambitu ſunt excludenda; præciſis iis, quæ, cum ex ſola ſupernaturali revelatione definiri queant, ad Theologiam oportet remittere; præciſis denique purè Theoreticis, quæ in Pneumatologia aptiùs hodie tractantur; quæ reſtant in Ethica tradi ſolita, ea in Juris Naturalis diſciplina, licèt hactenus fortè à recentioribus Scriptoribus omiſſa, ſuum facilè locum invenire poterunt: quod & a nobis hîc tentatum infrà dicemus.

Cum

Cum nemini, cui modò officium curæ cordique ſit, quique omnibus Hominibus datam communem officii regulam agnoſcit, poſſit eſſe dubium, quin hujus Regulæ aliqualis notitia ſingulis, nonnullis etiam, pro ratione munerum, quibus in vita defungi eos oportet, notitia plenior & accuratior, ſit quærenda; ſi qui ſint, quibus peculiaris *Diſciplina Philoſophica*, quæ pleniorem & accuratiorem ejusmodi notitiam ex ipſa rerum natura eruat, uſque adeò neceſſaria non videtur; id ex eo provenit, quòd alii *Theologiam Moralem*, ſeu, ut vulgò dicitur, *Caſuiſticam*, alii *Jurisprudentiam Civilem*, hujus diſciplinæ vicem ſupplere poſſe ſibi perſuadeant; dum alii Quæſtiones hùc pertinentes omnes, ubi particularibus caſibus applicandæ veniunt, absque ulla accuratiore meditatione vel diſciplina, ſolo communis ſenſûs, ut loquuntur, beneficio, à ſe ſolvi poſſe confidunt. Omnibus hiſce erroribus obvium itum eſt ab ipſo *Puffendorfio* in ſua Præfatione; (contra quos etiam per ſe ſatis munitus erit, quicunque huic Scientiæ vel mediocrem navaverit operam;) quo minus multa a nobis hìc adferri eſt neceſſe.

Diſciplinâ & Meditatione, nec perfunctoriâ, hìc opus eſſe, ſatis evincunt innumeræ Hallucinationes, quæ in hujusce ge-

neris Quæſtionibus identidem admiſſæ, Mortales quotidie in partes diſtrahunt; non ſine maximo publicæ pacis diſpendio. Quin & affirmare licet, perverſum & malignum iſtum Spiritum, qui, in malis apud nos civibus, publicæ harum Gentium felicitati, ſub *Sereniſſimi* noſtri *Regis* juſtiſſimo Imperio florenti, ſe opponit, & in gratiam Regni *Petitoris* Papicolæ res novas indeſinenter moliri ſatagit, non aliunde (quatenus opinionibus magis quam pravis affectibus imputari poteſt) quàm ex ignoratis veris *Juris Naturalis* Principiis, ortum ducere.

Eſſe hanc Diſciplinam a *Theologia Revelata* diverſam, haud diffitentur ipſorum Theologorum eruditiſſimi; dum rectè docent, Scriptoribus Sacris non fuiſſe propoſitum, Jurium Civilium, ut loquuntur, limites vel figere vel refigere; ſed hos ab iis eoſdem ſupponi, quos Natura, vel Hominum Conſenſus, fecerat. Addo, etiam generaliora ea Præcepta Moralia, quæ in Sacro Codice continentur, haud inutiliter ex ipſa quoque rerum natura deduci; idque non tantum eorum gratiâ, qui divina oracula ignorant, vel non agnoſcunt, ſed & noſtri ipſorum qui amplectimur: omnibus enim ad verum inveſtigandum & confirmandum ſubſidiis, quæ divina Benignitas nobis

nobis eſt largita, imbecillitatem noſtram egere: nec minimum denique ad ſacrorum Codicum divinam Originem & Auctoritatem evincendam pondus accedere, ex dogmatum, de *Natura DEI* & *Officiis Hominum* ibi traditorum, conformitate cum iis, quæ ex ipſa natura rerum recto rationis uſu colliguntur: Quæ certè conformitas, ab iis qui hanc diſciplinam negligunt, vel cum Theologia revelata confundunt, rectè æſtimari non poteſt. Has ob cauſas, eorum inſtitutum probare nunquam potui, qui *Ethicam Chriſtianam*, quam dicunt, hoc eſt, ex ſacræ Scripturæ Teſtimoniis deductam, pro morali Philoſophiæ parte in Scholis docendam inculcarunt: cui tamen Hallucinationi occaſionem præbuit gravior eorum Error, qui pro Ethica confuſam doctrinarum farraginem, non niſi ex Ethnicorum Philoſophorum compilatis ſcriniis conſarcinatam, propinârunt; hâc fortè perſuaſione freti (quæ & aliis aliarum aberrationum cauſa exſtitit, quæque iis ſolis digna eſt, qui domi nimium Hoſpites, de Naturæ dictaminibus ipſam Naturam conſulere non nôrunt) *Ex iis quæ Ethnicis Philoſophicis agnita fuerunt vel ignorata, definiendum eſſe quid Naturæ lumine poſſit, vel non poſſit, cognoſci.*

Nec magis hujus Diſciplinæ vicem ſupplere poteſt *Romana*, aliave quælibet particularis, Jurisprudentia. Quærimus ſc. Normam omnibus Hominibus communem quæ eorum quos nulla Juris Civilis Communio tenet, mutua moderetur officia; quæ & in Civitatibus, mutuas Imperantium & Subditorum obligationes ſanciat; quæ Legum Civilium vim obligandi ſtabiliat, earumque rectam Interpretationem oſtendat; quæ denique ad pulcherrimas iſtas Honeſtatis partes dirigat, quæ ſunt extra publicas tabulas: Quibus omnibus nullas Leges humanas, quà tales, poſſe ſufficere, eſt ſatis manifeſtum. Extant quidem in Juris Romani Libris innumera Juris Naturalis Decreta: quorum intuitu, ſe ſociosque ſuos veram affectare *Philoſophiam*, *Ulpianus* ait. At Jura Naturalia, nulli Homini, nulli Genti, ſed ſoli Naturæ Auctori, accepta debemus referre. [Confer ſuprà laudatum *Titium* in Præfatione ad Obſervationes in *Lauterbachium.*] Et quemadmodum Legum Naturalium, quà talium, Sanctitati, Auctoritas Romani Imperii nihil addit; ita Naturalium cum merè Civilibus mixtura, & rerum ordo huic mixturæ conſentaneus, impedit, quo minùs in Juris Romani Libris, præcepta naturalia e genuinis ſuis Principiis deduci queant, atque ita inter ſe connecti, ut nativo ſuo lumine ſplen-

ſplendeant; præſertim, cum ipſi Juriſconſulti veteres, nedum eorum Interpretes (apud quos illorum Philoſophia in Leges abiit) ubi aliquid expreſſâ Lege, vel uniformiter recepto more, ſtabilitum inveniunt, de re altiùs deducenda (neque enim ad eorum ſcopum pertinebat) non ſoleant eſſe ſoliciti.

In alterutro igitur, ſi non utroque Jure, nimium ſunt Hoſpites, qui e ſtudio Romani, vel cujuscunque Civilis Juris, accuratam Juris Naturalis notitiam poſſe hauriri ſibi perſuadent. Nec tamen per hæc Civili Jurisprudentiæ quidquam detrahitur: præterquam enim, quòd fieri nequeat, quin ſtudio Juris in foro regnantis, ipſa Auctoritas, cum tam manifeſta præſertim æquitate conjuncta, ſuum pretium ſemper ſalvum præſtet; ipſi etiam Naturali Juri illuſtrando plurimum conferre Jus Civile Romanorum, dum hoc lumen ab illo acceptum reflectit, lubens agnoſco; imo illud ut par eſt docere volentibus, hujus notitiam eſſe, in hodierno Rei literariæ ſtatu, propemodum neceſſariam; uſque adeò, ut vix ſatis feliciter excoli poſſit Juris Naturalis Scientia, donec ad perfectiorem ſtatum pervenerit, niſi vel Jurisperiti philoſophentur, vel Philoſophi Juri Civili haud perfunctoriam navent operam; hoc eſt

eſt, vel hi repetant, vel illi ultrò reſtituant, adſcitas e Philoſophia plumas, quibus jam olim Romana Jurisprudentia ſe ornaverat.

Cum ex his intelligi aliquatenus poſſit, quæ ſit Natura, quanta Utilitas Scientiæ, quæ hoc volumine tractatur; ſequitur, ut noſtri circa eam excolendam hìc impenſi laboris aliquam Lectori rationem reddamus.

Ut noſtris *Scotorum* Academiis jamdudum fuit curæ (quicquid nonnulli * de rebus ſibi parum exploratis temerè pronunciaverint) ſingularum diſciplinarum puriores & fœcundiores Latices alumnis ſuis propinare: Ita mihi, *Spartam* quam nactus eram, quoad mea ferret tenuitas, exornare nitenti, cum pluribus abhinc annis, Scientiarum

* Noto inprimis ingenioſiſſimum Virum, & de Patria ſua multis nominibus egregiè meritum, *Richardum Steel*, Equitem, qui in Epiſtola nuncupatoria ad Papam *Clementem* XI. præfixa *Notitiæ Status Religionis Romano-Catholicæ*, a ſe editæ, haud obſcurè innuit, in Academiis *Scoticanis* religiosè abſtineri ab omni Verum peniti us inveſtigandi, aut ulteriores in Scientiis progreſſus faciendi, conatu; hoc ſolo fretus argumento, quòd certa ſint de gravioribus Religionis articulis dogmata, quibus ut aſſentiant, poſtulatur ab iis qui in Eccleſiis vel Academiis noſtris ad docendi munus admittuntur. Enimvero per hæc nullum unquam bonarum artium progreſſui obicem poſitum nos offendimus; aut poni poſſe

rum Philoſophicarum Syſtematibus (pro recepto dudum more) ſcribendis Auditores meos non ampliùs onerare decreviſſem, haud alius, quem Philoſophiam moralem explicaturus prælegerem, æquè idoneus videbatur, atque hic Cel. *Puffendorfii*, Tractatus: In quo tamen prælegendo, cum nonnulla offenderem, quæ notanda aut ſupplenda viderentur; breves quaſdam notulas, ad loca nonnulla in Codicum marginibus ſcribendas, cum Auditoribus communicabam; quibus ſimul notulis intermiſcebam citationes locorum *Grotii*, quibus quod-

poſſe unquam ſuſpicabimur; niſi fortè quis evicerit, ad felices in veri cognitione progreſſus faciendos, id imprimis conducere, ut nihil unquam certi, nihil indubitati, ne quidem in maximi momenti rebus, habeamus; ut quæ ex ſacris Oraculis, aut ipsâ rerum naturâ evidentiſſimè perſpecta habemus, eorum veritatem vel ipſi in dubium vocemus, vel ut Poſteri eam Erroris nebulis quàm minimè obductam cernant, quantum in nobis eſt, efficere vereamur. Nos quidem falli poſſumus, nec raró fallimur: at ſcimus iidem poſſe eſſe Judicii, quo quis evidenter perſpectis aſſentitur, certam veritatem, absque eo quod judicans ab omni cæteroquin Erroris periculo ſit immunis: Nec quia per ſomnum viſa ſæpiuſculè nobis illudunt, ideò quæ vigilantes coram intuemur, & digitis palpamus, eâ evidentiâ quæ per ſenſus externos accepta a ſomniantium phantaſmatibus facilè diſtinguit, pro dubiis aut falſis habenda eſſe ſuſpicamur. Qui certam veri ſcientiam, & Jus ei conformiter agendi, ſine infallibili Judice obtineri non poſſe contendunt, videant ipſi cui cauſæ ſerviant.

quodque argumentum tractatur, ut & relationes ad Theſes meas Ethicas cum iisdem pariter communicatas; quæ, licèt in publicarum Diſputationum materiam præcipuè compoſitæ, in pluribus tamen Doctrinæ moralis partibus, quæ a *Puffendorfio* leviùs vel non omnino attinguntur, Supplementi vicem ſubibant. Notulæ quas dixi, poſtquam eas Typographus tum Academicus novæ quam parabat *Puffendorfiani* Tractatus Editioni adjiciendas rogaverat, inſertis paſſim pleriſque, quæ in modo memoratis Theſibus a *Puffendorfianis* diverſa continebantur, aliiſque non paucis, in prolixiores iſtas excreſcebant ſenſim Commentationes, quæ paucis abhinc annis, unà cum ipſo *Puffendorfii* tractatu, ex prælo noſtro Academico exibant: quaſque nunc demum recognitas, & nonnullis in partibus auctas, eodem quo priùs animo Juventutis Academicæ ſtudia promovendi, in publicam rurſus lucem exire patior.

In his id præcipuè mihi curandum duxi, ut Legis Naturalis obligatio, ejusque fundamentalia præcepta, ex doctrina de *Exiſtentia*, *Perfectionibus*, & *Providentia Summi Numinis* paulò liquidiùs deducerentur: Atquè adeò *Doctrinæ Moralis* cum *Theologia Naturali* (cujus illa eſt reverà pars practica) manifeſtior conſpiceretur nexus; eaque Doctrina

a foro humano ad quod nimiùm ab Auctore noſtro deprimitur, ad altius illud Dei forum elevaretur. Hoc egi *Suppl.* I. & priore parte *Secundi*: Quo pacto obviam iri ſpero præcipuæ, aut juſtiori ſaltem parti, Cenſuræ, quâ Auctoris noſtri Syſtema perſtrinxit V. Cl. *Goth. Gul. Leibnitius*, in Epiſtola quadam typis aliquoties expreſſa. *

Utrùm verò ad perfectius ejuſmodi Doctrinæ Moralis Syſtema, quale deſiderari queritur in eadem Epiſtola Vir Egregius, quidquam ego contulerim, Principiis quæ poſui in fine *Suppl.* II. & ſequentis methodi filo quod deduxi in *Appendice*, oportet Lectoris eſſe Judicium.

Sed & eorum que in *Ethica vulgari* præcipi conſueverant, quæque in *Puffendorfiano* Syſtemate deſiderabantur, utiliſſima quæque, & in Ethica tractari idonea, prorſus hìc deeſſe nolui.

Taceo, quæ de ſumma Hominis Beatitudine, de Actionum Humanarum Moralitate, de Appetitûs & omnium affectum moderamine, in *Supplementis* I. & III. (quorum

)( )(

* Extat hæc Epiſtola inter Appendices, quas Editioni hujus Tractatûs *Groningana*, Anno 1712. ſubnexuit V. Cl. *Alex. Arn. Pagenſtecher.* Extat & eadem *Gallicè*, verſa a Cl. *Barbeyracio*, cum hujus in eandem animadverſionibus, ſubnexa noviſſimæ Editioni ejuſdem Tractatûs ab eodem quoque *Gallicè* redditi.

rum hoc ferè ex majore noſtri Auctoris opere eſt deſumptum) legi poſſunt. Ad Virtutes quod attinet, & vitia, (quorum tractatio in Ethica *Ariſtotelis* utramque ferè facit paginam, & in quibus enarrandis occurrit, licèt confuſè atque adeò parùm nervoſè traditum, quicquid ferè in Scholaſticorum Doctrinâ Morali eſt verè practicum;) ſatis habuimus, generales *Virtutis* & *Vitii* Ideas breviter explicare, *Obſ. in Lib. I. Cap. II.* §. 12. ſimulque oſtendere, unde utriusque diſtinctiones ſint petendæ, & quàm parùm accuratæ ſint, quæ vulgò circumferuntur. Specialiùs quippe de iis diſſerere, quaſi *Virtutum* Doctrina a Doctrina *Officiorum* eſſet diverſa, plane ſupervacaneum duxi: Quiſquis enim, quid in vita facere oporteat, quid non oporteat, habuerit perſpectum, quid Virtuti, quid Vitio ſit tribuendum, ignorare non poterit. Quòd ſi ſingularum Virtutum & Vitiorum nomina explicare, operæ pretium putaſſem; non id feciſſem ſeparato loco; ſed iſta potiùs adjunxiſſem Præceptis, ad quorum obedientiam aut violationem, ſingulæ Virtutes aut Vitia inclinant.

Non ignoro, plures ante me, ad hunc eundem *Puffendorfii* noſtri Tractatum illuſtrandum, aut locupletandum, operas ſuas contuliſſe. At ex iis pauci ſunt, quorum Scrip-

Scriptis mihi utendi fuit copia. Duobus Celeberrimis Viris, qui in hac palæſtra mihi præiverunt, *Titio* & *Barbeyracio*, multum debere haſce Commentationes lubens agnoſco. Ego quidém meas de gravioris momenti articulis ſententias, quales ferè hìc proponuntur, jam olim cum Auditoribus, plerasque etiam ſcripto, communicaveram, ſi non priusquam editæ, ſaltem priusquam mihi (aut, ni fallor, alii cuiquam in his regionibus) conſpectæ fuiſſent *Titii* Obſervationes, & antequam *Barbeyracii* in alterutrum *Puffendorfianum* Opus *Annotationes* eſſent primùm editæ: quibus poſtea conſultis, cogitationes meas, de *juſtis obedientiam exigendi cauſis*, de *Fundamentalibus Juris Naturalis Præceptis*, de *Executione alieni facinoris*, aliisque pluribus non infimæ notæ quæſtionibus; tantorum Virorum auctoritate confirmari, plurimùm gaudebam. Quod hìc moneo, ne quis miretur, omiſſam a me in iſtis articulis Cl. Virorum mentionem, ubi tamen easdem ferè *Puffendorfianæ* Doctrinæ Emendationes obtuli, quas illi ante me publicè editis ſcriptis obtulerant. Noſtris interim non paucis ortum dediſſe dictorum Cl. Virorum Obſervationes, ſagaci Lectori facilè conſtabit, qui perceperit, quàm multas earum indicatis Auctoribus adoptaverim; & adverſus quam multas, *Puffendorfii* Do-

 ctrinam,

ctrinam, ubi ea minùs meritò mihi videbatur convelli, conatus ſim defendere.

De Ordine porrò, quem in Appendice delineavi, Officia ſocialia inveſtigandi, ſecundùm varias claſſes Jurium, quæ Hominibus adverſus ſe mutuò competunt, aut poſſunt competere; monendus es Lector, poſtquam Theſes Ethicas, eodem ferè ordine digeſtas, Auditoribus meis ſemel iterumque prælegeram, & publicis diſputationibus ventilandas propoſueram, deprehendiſſe me tandem, non ſine inſigni voluptate, ejusdem methodi manifeſta veſtigia, apud Celeberrimum Virum *Ulricum Huberum*, in nobili tractatu de *Jure Civitatis*, (cujus prius mihi copia non fuerat) Lib. II. Sect. IV. & VI. hôc ſolo diſcrimine, quòd eruditus ille Auctor, cum Jura, de quibus iſtic agit, omnia referat ad Civitatem, ea non conſideret in tota illa latitudine, qua nobis in generaliore Diſciplinæ moralis parte conſideranda veniunt.

In Auctoris Textu edendo, ſequendam cenſui, quam & plerique alii ſecuti ſunt, Editionem originariam, quæ ex ipſius Auctoris manibus prodiit. Quamvis enim Cl. *Weberus* non malè ex majore ipſius *Puffendorfii* opere quædam hìc inſeruerit, alia transpoſuerit, hanc veniam concedente, ut

dicit

dicit, ipſo Auctore; ego tamen, ſi eouſque transpoſitiones admiſiſſem, vix mihi potuiſſem temperare, quin alias, fortè non minùs juſtas, facerem: quà quidem libertate feliciter uſus eſt Cl. *Barbeyracius* in Verſione ſua *Gallica*; ſed quam in originario Textu edendo haud ita facilè mihi putavi permittendam. Cum itaque Doctrina de officiis Hominis erga ſuam mentem, quam ex majoris Operis Lib. II. Cap. IV. hùc advexit *Weberus*, non ſit pars hujus minoris Tractatûs, ut ab ipſo Auctore editi, licitum mihi putavi iſtam Doctrinam in *Suppl. III.* (licèt ex dicto loco majoris Operis præcipuâ ex parte deſumptam) meo more modoque tradere; ut & eam ejus partem quæ falſas de Deo Sententias notat, non minùs liberè mutatam, referre ad Obſervationes in Lib. I. Cap. IV. §§. 4. & 5.

At quamvis in Textu hujus minoris Tractatûs, prout ab ipſo Auctore fuit editus, nullam Syllabam addere, detrahere, aut mutare voluerim; alias tamen emendationes, quibus *Gallicam* ſuam verſionem haud parùm ornavit Cel. *Barbeyracius*, e re Lectoris putavi futurum ut ſequerer. Cujusmodi ſunt, quòd longiores Paragraphi, ubi res maximè ferebat, a linea demum incipiendo (ſalvis tamen Paragraphorum nu-

meris ab Auctore adſcriptis) ſint diviſi; quòd diverſi, qui aliquando occurrunt, rerum articuli numeris ſint diſtincti; Regulæ inſuper, Definitiones, & Diſtinctiones, *Italico* Charactere, quæ verò præcipuæ erant notæ, majuſculis Literis expreſſa.

Indicem denique alphabeticum cum multis Lectoribus haud inutilem futurum putarem; eum aſſumpſi, quem Editioni *Groningana*, Anno 1712. in lucem emiſſæ, ſubjunxit Vir Cl. *Alex. Arnold. Pagenſtecher*; ſed huic noſtræ Editioni accommodatum, & ubi opus videbatur emendatum; adjectis etiam nonnullis Articulis, ex *Suppl. I. II.* & *IV.* (nam quæ in tertio Supplemento continentur, ea in dicto Indice, utpote a *Webero* mutuò deſumpto, atque adeò *Weberiana* Editioni adaptato, tanquam in Textu tradita memorabantur) & ex paucis quibuſdam Obſervationibus, quæ Supplementorum vicem gerunt. Pleraque verò eorum quæ in Obſervationibus traduntur, ex citatis Locis ipſius Textûs ad quæ pertinent reliqui inveſtiganda.

Vale, Lector, & noſtris qualibuſcunque ſtudioſæ Juventutis commoda promovendi conatibus fave.

Ex Ædibus meis in Collegio
Glaſguenſi Dec. 27. Anno 1723.

ELEN-

ELENCHUS CAPITUM

LIBRI PRIMI.

I. DE *Actione Humnna.* Pag. 11

II. *De Norma Actionum Humanarum, ſeu de Lege in genere.* 39

III. *De Lege Naturali.* 67

IV. *De Officio Hominis erga Deum, ſeu de Religione Naturali.* 77

V. *De Officio Hominis erga Scipſum.* 94

VI. *De Officio quorumlibet erga quoslibet; & primo, de non lædendis aliis.* 132

VII. *De agnoſcenda Naturali hominum Æqualitate.* 143

VIII. *De Promiſcuis Officiis Humanitatis.* 149

IX. *De Officio Paciſcentium in genere.* 155

X. *De Officio Sermocinantium.* 185

XI. *De Officio Jurantium.* 194

XII. *De Officio circa acquirendum rerum Dominium.* 202

XIII. *De Officiis, quæ ex Dominio Rerum per ſe reſultant.* 230

XIV. *De Pretio.* 234

XV. *De Contractibus, qui pretia rerum preſupponunt, & fluentibus inde Officiis.* 243

XVI *Quibus modis ſolvantur Obligationes, quæ ex Pactis oriuntur.* 269

XVII. *De interpretatione.* 277

ELEN-

ELENCHUS CAPITUM
LIBRI SECUNDI.

I *De Statu hominum Naturali.* 239
II *De Officiis Conjugalibus.* 306
III. *De Officiis Parentum & Liberorum.* 319
IV. *De Officiis Dominorum & Servorum.* 330
V. *De Cauſa impulſiva conſtituendæ Civitatis.* 341
VI. *De interna Civitatum Structura.* 348
VII. *De Partibus Summi Imperii.* 363
VIII. *De Formis Rerum-publicarum.* 370
IX. *De Affectionibus Imperii Civilis.* 377
X. *De modis acquirendi Imperium, inprimis Monarchicum.* 394
XI. *De Officiis Summorum Imperantium.* 409
XII. *De Legibus Civilibus in ſpecie.* 416
XIII. *De jure Vitæ & Necis.* 423
XIV. *De Exiſtimatione.* 437
XV. *De Poteſtate Summi Imperii in bona civitate contenta.* 443
XVI. *De Bello & Pace.* 447
XVII. *De Fœderibus.* 467
XVIII. *De Officiis Civium.* 471

AUCTO-

AUCTORIS PRÆFATIO.

LECTORI BENEVOLO SALUTEM.

NI receptus pleriſque eruditis mos legis propemodum vim induiſſet, ſupervacuum videri poterat circa rationem hujus ſcripti aliquid præfari; cum res ipſa ſatis loquatur, me nihil aliud egiſſe, quàm ut tironibus præcipua Juris Naturalis capita, brevi, &, ut arbitror, perſpicuo compendio exponerem: ne, ſi citra cognitionem velut elementarem in diffuſa ejus diſciplinæ ſpatia ſeſe immiſerint, copia & difficultate rerum ab initio protelentur. Simul & illud publico expedire viſum, ejuſmodi Doctrina Morali ſtudioſæ Juventutis animos imbui, cujus uſus manifeſtus in vita civili ſpectaretur. Et licet aliàs ſemper inglorium judicaverim, aliorum diffuſiora ſcripta, & multo magis propria, in compendium redigere; tamen, cum ſu-

ſuperiorum auctoritas accederet, a cordatis vitio mihi verſum iri non arbitror, quod iſthoc laboris unicè Juventutis utilitati dare voluerim; cujus meritò tantus eſſe favor debet, ut in ejuſdem gratiam ſuſcepta opera, etiam ingenii & ſplendoris non capax, nemine indigna ſit judicanda. Cæterum, quin ejuſmodi principia ad univerſam Juris diſciplinam magis idonea ſint, quàm cujuſvis Juris Civilis elementa, nemo cui ſanum ſinciput abnuet. Atque hæc in præſens ſufficere poterant, ni quidam monuiſſent, non abs re fore, aliqua præmittere, quæ ad indolem Juris Naturalis in univerſum intelligendam, ejuſdemque limites accuratiùs deſignandos facerent. Quod eò libentiùs ſuſcepi, quia hoc modo prætextus adimitur hominibus importunè curioſis, febriculoſam ſuam cenſuram extendendi ad hancce diſciplinam, quæ ſæpe velut interjecta ab ipſorum provinciâ disjungitur.

§. I. Manifeſtum [igitur] eſt, ex tribus velut fontibus, homines cognitionem Officii ſui, & quid in hac vita ſibi tanquam honeſtum ſit agendum, tanquam turpe omittendum, haurire; ex *Lumine Rationis*, ex *Legibus Civilibus*, & ex *peculiari Revelatione Divini Numinis*. Ex primo, fluunt Officia hominis communiſſima, præcipuè quæ ipſum cum aliis hominibus ſociabilem reddunt: Ex altero, Officia hominis, quatenus peculiari & definitæ civitati ſubjectus degit:

git: Ex tertio, Officia Hominis Chriſtiani.

Inde & tres ſeparatæ diſciplinæ proveniunt, quarum prima eſt JURIS NATURALIS, omnibus gentibus communis; altera JURIS CIVILIS ſingularum Civitatum, quæ tam multiplex eſt, aut eſſe poteſt, quot numero ſunt civitates, in quas genus humanum diſceſſit. Tertia, THEOLOGIA MORALIS habetur, illi parti Theologiæ contradiſtincta, quâ credenda exponuntur.

§. II. Singulæ harum diſciplinarum, modum ſua dogmata probandi adhibent, ſuo principio reſpondentem. In *Jure Naturali* aliquid faciendum aſſeritur, quia per rectam rationem idem ad ſocialitatem (1) inter homines neceſſarium colligitur. Præceptorum *Juris Civilis* ultima ratio eſt, quia Legislator ita conſtituit. *Theologus Moralis* in eo ultimò acquieſcit, quia DEUS in Scripturis ſacris ita juſſit.

§. III. Quemadmodum autem diſciplina *Juris Civilis, Jus Naturale* tanquam generalem magis diſciplinam præſupponit; ita, ſi quid Jure Civile continetur, de quo Jus Naturale ſilet, non ideo hoc illi repugnare cenſendum eſt. Simili modo, ſi in Theologia Morali aliqua tradantur, ex revelatione divinâ profluentia, ad quæ ratio noſtra jam non pertingit, quæque adeò & Jus Naturale ignorat;

§. II. (1) Quomodo hoc emendari oporteat, colligi poteſt ex *Suppl.* II.

ignorat; imperitum valde foret, ideo illam cum hac committere, aut repugnantiam aliquam iſtarum diſciplinarum ſomniare. Vice verſa, ſi quæ in diſciplina Juris Naturalis præſupponantur ex eo, quod per rationem inveſtigari poteſt; illa propterea iis, quæ ſacræ Literæ ſuper eadem re liquidiùs tradunt, nequaquam opponuntur, ſed tantum abſtrahendo concipiuntur. Sic v.g. in diſciplina Juris Naturalis, abſtrahendo ab illa cognitione, quæ ex ſacra Scriptura hauritur, formatur conditio primi hominis, utcunque in mundum projecti, quatenus ſola ratiocinatio aſſequi poteſt. Iſta opponere iis, quæ ſuper eadem conditione divinæ Literæ tradunt, hic verò eſt ſuccus nigræ loliginis, hæc eſt ærugo mera.

Enimvero, uti Juri quidem Civili, & Naturali, facilè inter ſe conveniet: ita inter idem *Jus Naturale* & *Theologiam Moralem* fines regere, ac quibus potiſſimùm partibus illa differant definire, paulò operoſius videtur. Qua ſuper re paucis ſententiam meam exponam, non quidem pro auctoritati Papali, ac ſi ab omni errore privilegio aliquo mihi cautum foret, neque qui ex ſomniis divinitus immiſſis, aut irrationabili aliquo inſtinctu, ſingularis cujuſdam illuminationis fiduciâ animetur; ſed tanquam talis, cui ſpartam ſibi commiſſam pro modulo ingenii exornare cordi ſit. Ita tamen, ut quemadmodum cordatos & eruditos viros meliora ſuggerentes lu-

lubenter audire, & citra pertinaciam priùs placita emendare, ſum paratus; ita flocci faciam Midæ æmulos cenſores, rerum ad ſe nihil ſpectantium arbitria proterve involantes, totamque Ardelionum nationem, cujus characterem lepidiſſimè *Phædrus* repræſentat (1): *Trepide*, inquit, *concurſans, occupata in otio, gratis anhelans, multa agendo nihil agens, ſibi moleſta & aliis odioſiſſima.*

§. IV. Primum igitur diſcrimen, quo iſtæ Diſciplinæ invicem ſeparantur, reſultat ex *diverſo fonte*, unde ſua dogmata utraque derivat; de quo jamjam tetigimus. Ex quo conſequitur; ſi aliqua ſint, quæ divinis Literis agere aut omittere jubeamur, quorum neceſſitatem tamen ratio ſibi relicta perſpicere nequit, illa extra Jus Naturale eſſe, & ad Theologiam Moralem propriè ſpectare.

§. V. 2. Præterea, in *Theologia* Lex conſideratur, prout innexam habet *Divinam promiſſionem*, & quandam rationem *Fœderis inter* Deum *& Homines*. Abs qua conſideratione Jus Naturale abſtrahit; quippe cum iſta a peculiari Dei revelatione proficiſcatur, quam ſola ratio invenire nequit.

§. VI. 3. Illud porrò diſcrimen longè maximum eſt, quod finis diſciplinæ *Juris Na-*

§. III. (1) Phaedr. Lib. II. Fab. v. Verſ. 1. & ſeqq. *Eſt Ardelionum quædam Roma natio, Trepide concurſans*, &c.

Naturalis tantùm ambitu *hujus vitæ* (1) includatur, adeoque ea hominem formet, prout hanc *vitam cum aliis ſociabilem* exigere debeat. Aſt *Theologia Moralis* hominem *Chriſtianum* informat, cui propoſitum eſſe debet non hanc ſolùm vitam honeſtè tranſire, ſed qui fructum pietatis poſt hancce vitam maximè exſpectat, quique adeo πολιτευμα ſuum *in Cœlis* habet, heic autem viatoris duntaxat, aut peregrini inſtar, gerit. Quanquam enim animus hominis [non ſolum] (2) ardenti cum affectu immortalitati velut immineat, ſuique deſtructionem vehementer averſetur; atque inde apud pleroſque gentilium inoleverit perſuaſio de animæ a corpore ſeparatæ duratione, & quod tunc bonis benè, malis malè ſit futurum: ejuſmodi tamen circa hæc perſuaſio, in qua animus hominis planè & firmiter adquieſcere poſſit, ex ſolo Dei verbo

§. VI. (1) Naturæ lumine docemur, tanquam fructum bene agendi, ſperare, & certò exſpectare, non tam felicitatem hujus vitæ in ſpecie [licet hæc plurimis officiis Jure naturali præceptis ut plurimùm ſit adnexa] quàm in genere majorem aliquam felicitatem, vel majus miſeriæ levamen, ſi non in hâc, ſaltem in futurâ vitâ, quàm quod malè agentes poterimus obtinere; quin etiam, ſi ulla ſummæ felicitatis poſt hanc vitam obtinendæ via ſit hominibus relicta, eò probabiliorem ejus ſpem concipere, quò magis, in ſingulis vitæ actionibus, Divinæ Legi obſequioſos nos præbemus. Vid. *Supplementi* I. §§. 1-9. Minùs rectè igitur finis Diſciplinæ Juris Naturalis ambitu tantùm hujus vitæ includi dicitur.

(2) Rectè obſervat Cl. *Barbeyracius*, nihil eſſe quod reſpondeat his verbis, *Non ſolum.*

verbo hauritur. Inde & Juris Naturalis ſcita ad forum duntaxat humanum (3) adaptantur, quod ultra hancce vitam ſeſe non extendit; quæ ipſa multis in partibus pravè ad forum divinum adplicantur, circa quod Theologiæ maximè curæ eſt.

§. VII. 4. Ex quo & illud fluit, ut, quia forum humanum circa externas tantùm hominis actiones occupatur, ad ea autem quæ intra pectus latitant, nec aliquem effectum aut ſignum foras produnt, non penetret, adeoque nec circa eadem ſit ſolicitum; *Jus* quoque *Naturale* magnam partem circa formandas hominis *exteriores actiones* verſetur. Aſt *Theologiæ Morali* non ſufficit exteriores hominis mores utcunque ad decus compoſuiſſe; ſed in eo maximè laborat, ut *Animus*, ejuſque motus interni, ad placitum Numinis fingantur: & illas ipſas actiones improbat, quæ extrinſecùs quidem rectè ſe videntur habere, ab animo tamen impuro promanant. Quæ ratio etiam videtur, quare in Divinis Libris haud ita frequenter agatur

 de

(3) Cum Lex naturæ, ab ipſo DEO juſſa ac ſancita ſit; nulla eſt ratio, cur non ejus Scita, DEI & conſcientiæ forum præcipuè dicantur reſpicere; ejuſque intuitu, tam internos animi motus, quam exteriores mores dirigere: cujus tamen contrarium manifeſtè ſequitur ex præmiſſis, hic & initio ſeq. §. ab auctore poſitis; licet ipſam concluſionem conetur ibidem nonnihil emollire, & alibi aliud videatur innuere. Videſis Cl. *Leibnitii* [ſeu ut inſcribitur, *Anonymi*] cenſuram Auctoris, a *Barbeyracio* examinatam, §. 7.

de illis actionibus, quæ pœnis fori humani ſunt ſancitæ, aut circa quas ibidem jus dicitur; quàm de illis, qui, uti *Seneca* (1) loquitur, ſunt *extra publicas tabulas*. Uti manifeſtè adparet iis, qui præcepta & virtutes ibidem inculcatas accuratè inſpexerint. Etſi, cum & illæ ipſæ virtutes Chriſtianæ animos hominum ad ſocialitatem quàm maximè diſponant, Theologia quoque Moralis honeſtatem vitæ civilis efficaciſſimè promoveat. Uti & vice verſa, ſi aliquem videas, qui turbulentum, & importunum vitæ civilis membrum ſe gerat; tutò judices licet, Religionem Chriſtianam intra labra tantum ipſi hærere, cor nondum penetráſſe.

§. VIII. Atque ex hiſce, non ſolùm genuini limites, qui Jus naturale, prout à nobis illud traditur, à Theologia Morali ſeparant, manifeſtè puto adparent: ſed etiam, quod Jus Naturale nequaquam dogmatibus veræ Theologiæ repugnet; ſed tantum â quibuſdam ejus dogmatibus, quæ per ſolam rationem inveſtigari nequeunt, abſtrahat.

Unde & illud patet, neceſſarium eſſe, ut in diſciplina Juris Naturalis *Homo* nunc conſideretur, *prout ipſius natura eſt corrupta*, adeòque prout eſt animal multis pravis cupidinibus ſcatens. Nam, etſi nemo tam ſtupidus ſit, quin in ſeipſo inordinatos ac in devia tendentes

§. VII. (1) De Irâ, Lib. II. Cap. XXVII. prope finem. *Quam anguſta Innocentia eſt, ad Legem bonum eſſe!* &c.

tendentes affectus deprehendat; tamen, niſi Divinæ Literæ prælucerent, nemini jam conſtare poſſet, iſtam affectuum rebellionem per culpam primi hominis proveniſſe. Et conſequenter, cum Jus Naturale ad ea non abeat, quò ratio pertingere nequit, incongruum foret, idem ex naturâ hominis integrâ velle deducere. Præſertim, cum & pleraque præcepta ipſius *Decalogi*, prout verbis negativis concepta ſunt, naturam hominis corruptam manifeſtè præſupponant. Sic v. g. Primum præceptum (1) utique præſupponere videtur hominem ad idololatriam & πολυθεότητα credendam proclivem. Si enim ponas hominem, integrâ adhuc naturâ præditum, in quo liquida Dei erat cognitio, & qui ſubinde velut familiari ejus revelatione fruebatur: non video, quomôdo tali in mentem venire potuerit, aliquid ſibi fingere, quod loco veri Dei aut cum eo colere vellet; aut credere in eo Numen ineſſe, quod ipſe finxerat. Igitur huic opus non erat verbis negativis injungi, *Ne Deos alienos coleret*; ſed ſufficiebat eidem ſimplex & affirmativum præceptum; *Diliges, honorabis, & coles Deum, quem univerſi hujus, & tuum quoque creatorem noſti.* Idem cir-

§. VIII. (1) Nomine primi præcepti, intelligit Auctor [juxta calculum Lutheranis pariter ac Pontificiis receptum] primum junctum cum ſecundo; unde & ſecundum dicit, quod nobis eſt tertium, & ita deinceps.

ca ſecundum præceptum obtinet. Nam quare negativo præcepto vetaretur *Deum blaſphemare*, qui liquidò ipſius majeſtatem & beneficia intelligebat, & quem nullæ pravæ cupidines agitabant, cujuſque animus ſtatu ſibi à Deo aſſignato placidè adquieſcebat? Quomodo hunc tanta inſania ſubire poterat? Quin hic affirmativo tantùm præcepto monendus erat, ut *nomen Dei glorificaret*. Aliter tamen dicendum videtur de tertio, ut & quarto præcepto, quæ, cùm affirmativa ſint, neque neceſſariò corruptam naturam præſupponant, in utroque ſtatu locum invenire poſſunt. Sed circa reliqua præcepta, proximum ſpectantia, res æquè eſt manifeſtiſſima. Homini enim, qualis initio à Deo conditus erat, ſufficiebat ſimpliciter injunxiſſe, ut *proximum ſuum diligeret;* ad quod & naturâ proclivis erat. Aſt quomodo eidem poterat præcipi, *ne occideret*, quando nondum mors cadebat in hominem, quæ per peccatum in mundum introivit? Verum nunc negativo præcepto quàm maximè opus eſt, ubi pro dilectione tanta odia inter homines graſſantur, ut etiam magna eorum ſeges detur, qui ex merâ invidiâ, aut libidine alterius fortunam invadendi, alios non innocentes ſolùm, ſed & amicos, & de ipſis bene meritos, ſubverſum ire non dubitent; & quidem, ut horridum & inconſultum turbulenti animi impetum ſub conſcientiæ vocabulo, ſi diis placet, venditare non erubeſcant.

beſcant. Sic, quid opus erat expreſsè *adulteria* vetare, inter eos conjuges, qui tam ardenti & ſincero amore ſeſe amplecterentur? Aut quid *furta* vitare intererat, cum nulla adhuc avaritia, nulla penuria foret, & nemo quid ſibi proprium putaret, quo alteri prodeſſe poſſet? Aut quid neceſſum erat *falſa teſtimonia* interdicere, cum nondum exiſterent, qui exinde famam ſibi atque gloriam aucuparentur, ſi alterum fœdâ atque inficetâ calumniâ adſpergere poſſent? Sic ut non ineptè huc adplicaveris illud *Taciti*; (2) *Vetuſtiſſimi mortalium, nullâ adhuc malâ libidine, ſine probro, ſcelere, eoque ſine pœna aut coercitionibus agebant: & ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur.*

§. IX. Atque hæc ipſa probè intellecta viam pandere poſſunt, ad amovendam eam dubitationem; *Num* igitur *Lex diverſa fuerit in ſtatu naturæ integræ, an vero eadem?* Ubi paucis reſponderi poteſt, Summa Legis capita in utroque ſtatu eſſe eadem; ſed multa præcepta particularia, propter diverſitatem conditionis humanæ, variare; ſeu potiùs, eandem Summam Legis per diverſa (non tamen contraria) præcepta ſeſe explicare, prout diverſo ſeſe modo habuit homo, cui illa Lex obſervanda.

Summam Legis Salvator noſter ad duo capita redegit: *Dilige DEUM, &, Dilige proxi-*

(2) Annal. Lib. III. Cap. XXVI. Edit. Gronovii.

proximum. Ad hæc capita referri poteſt univerſa Lex Naturalis, tam in integro, quàm in corrupto ſtatu hominum; (niſi quod, in ſtatu integro, nullum aut modicum videatur diſcrimen fuiſſe, inter Jus Naturale, & Theologiam Moralem.) Nam & Socialitas, quam nos pro fundamento Jure Naturali ſubſtravimus, commodè in dilectionem proximi reſolvi poteſt. Sed quando ad præcepta particularia deſcenditur, ſanè diſcrimen non leve emergit tam circa præcepta affirmativa, quàm negativa.

Et quidem affirmativa præcepta quod attinet, eorum non pauca jam in iſthoc ſtatu dantur, quibus in primævo ſtatu locus non fuiſſe videtur: idque partim, quia illa præſupponunt tale inſtitutum, quod an in feliciſſimam hominum conditionem cadat, non conſtat; partim, quia ſine miſeria & morte, quæ ab illo ſtatu exulabat, non intelliguntur. V. G. Jam inter præcepta Legis Naturalis eſt, *ne quis alterum in emptione venditione decipiat, ne falsâ ulnâ, menſurâ, aut pondere utatur, ut pecuniam creditam convento tempore reſtituat.* Aſt illud nondum ad liquidum eſt perductum, an ſi peccati expers genus humanum perſtitiſſet, ejuſmodi commercia, qualia nunc agitantur, exercenda fuerint; & an aliquis uſus pecuniæ tunc futurus fuerit. Sic, ſi tales civitates, quales nunc ſunt, in ſtatu innocentiæ locum non habuerunt; locus quoque ibidem non fuit præceptis,

ptis, quæ id genus civitatum, iisque contentum imperium, præſupponunt. Jam quoque Jure Naturali jubemur, *ſuccurrere egenis, ſubvenire iniqua calamitate oppreſſis, curam habere viduarum, orphanorumque.* Atqui hæc fruſtrà præcipiuntur iis, qui miſeriæ, egeſtati, mortique non ſunt obnoxii. *Ad condonandas injurias, pacemque conciliandum pronos eſſe*, nos jam jubet Lex Naturalis. Quæ fruſtranea eſt inter eos, qui in leges ſocialitatis non peccant.

Atque id ipſum manifeſtè quoque perſpicitur in præceptis negativis, ad Jus jam Naturale (non poſitivum) ſpectantibus. Etſi enim quodvis præceptum affirmativum, virualiter contineat interdictum omnis oppoiti, (v. g. qui jubetur diligere proximum, o ipſo vetatur inferre illi omnia, quæ dileioni repugnant:) tamen ut expreſſis præeptis (1) illa ſanciantur, ſuperfluum videır, ubi nullæ pravæ cupidines ad talia paanda propellunt. Ad quod illuſtrandum commodari poteſt, quod Solon (2) Pacidarum pœnam lege publicâ ſancire noit, quòd tantum ſcelus in aliquem filium lere non arbitraretur. Cui ſimile eſt, quod

. IX. (1) Hæc Auctoris obſervatio, quatenus Ju- Naturalis præcepta reſpicit, minùs videtur accu- : nam diſtinctio, inter id quod expreſsè ſancitur, uod in alio præcepto continetur, in legibus tanvoce aut ſcripto promulgatis, non in naturalibus, talibus, locum habet.

.) Apud *Diogenem Laertium* in Vitâ *Solonis.*

quod *Franc. Lopez de Gomara*, *Hiſt. Gen. Ind. Occident. Cap.* 207. refert de populis *Nicaraguæ*, apud illos nullam fuiſſe ſtatutam pœnam in eum, qui Regulam (*Cacique* ipſi vocant) occidiſſet: quòd nullus, ajebant, ſit ſubditus, qui excogitare aut patrare tam dirum facinus velit.

Vereor ne putidum videatur iſthæc tam aperta pluribus inculcare. Ad tironum tamen captum, hoc exempli addam. Sunt alicujus informationi commiſſi duo pueri, ſed diſpari planè indole. Unus modeſtus eſt, verecundusque, & magno literarum amore flagrans: Alter diſſolutus, petulans, fœdas potiùs libidines, quam libros amans. Summa officii utrique eadem, literas addiſcere; ſed pecularia præcepta diſparia. Priori enim ſufficit injunxiſſe, quæ ſtudia, quo tempore, quâve ratione tractare debeat. Alteri præter hæc, acerrimâ ſub comminatione vetandum, ne circumcurſitet, ne aleâ ludat, ne libros vendat, ne in exercitiis componendis alienâ vitulâ aret, ne pergræcetur, ne ſcorta conſectetur. Eadem ſi quis prioris indolis puero operosè declamare inſtituat, hic εὐφημεῖν ipſum jubebit, & cuivis potiùs quam iſta ſibi canere, qui talium nulla cupidine tangatur.

Ex quo manifeſtum arbitror eſſe, longè aliam fore Juris Naturalis faciem, ſi quis ſtatum hominis integrum velit præſupponere. Simulque, cum tam liquidò limites hujus diſci-

diſciplinæ, quibus à Theologia Morali ſejungitur, deſignati ſint; non deteriore hancce diſciplinam conditione futuram, quam Jurisprudentiam Civilem, Medicinam, Scientiam Naturalem, aut Matheſin, in quas ſi aliquis ἀμύητος irrumpere audeat, ſine populi ſuffragiis cenſuram ſibi vindicans, non dubitant ipſi occinere, quod quondàm *Apelles Megabyzo*, de Arte Pictoria neſcio quid diſſerere aggredienti: *Quæſo*, ajebat, *tace, ne pueri, qui Melidem terunt, te irrideant, loqui orſum de rebus, quas non didiciſti.* Sed cum bonis quidem cordatisque viris facilè nobis conveniet; malevolos autem, ineruditosque obtrectatores, ſatiùs fuerit invidiæ ſuæ excruciandos commendare, ſiquidem utique conſtat, æternâ poſitumque lege eſt, *ut Æthiops cutem non mutet.*

SUPPLEMENTUM I.

quo præſternuntur generaliora quædam Diſciplinæ Moralis fundamenta, a Puffendorffio *omiſſa, vel non ſatis dilucidè expoſita.*

I.

HOMINI Naturâ inſitum eſt, ut velit eſſe quam fieri poteſt felicisſimus; & ab omni miſeria remotus quàm longisſimè. conſequens eſt, ut facultate, quâ pollet, voluntatis determinationem agendi, utatur iis actionibus eligendis & exercendis, quas ad

ad maximam ſibi conciliandam felicitatem, & miſeriam efficacisſimè avertendam, putat conducere; ſpectato ſc. momento, non tantùm ipſius Boni ad quod collineat, vel Mali quod fugit; ſed & probabilis, illius obtinendi, hujus declinandi, ſpei, quæ cuique actioni eſt connexa.

II. Sed & eâ præditus eſt Homo facultate ratiocinandi, cujus recto, & quidem facili uſu, posſit intelligere, ſe non a ſe, nec ſibi ſoli, eſſe conditum; ſed a DEO, optimo pariter atque Maximo, ſe ſuaque omnia derivare; qui, cum univerſas res creaverit, deque iis, ad gloriæ ſuæ illuſtrationem, juſtisſimè non minùs quàm ſapientisſimè diſponat; non poteſt versùs Hominum genus non ita ſe gerere, ut, modo ipſorum naturæ conveniente, hos quoque ad eundem finem gubernet.

III. Aſt Homo, ut DEUM omnium Bonorum fontem poteſt cognoſcere, & Boni cogniti intuitu, actiones ſuas per voluntatis imperium variè determinare; poteſt etiam has, vel ita inſtituere, ut erga Creatorem ſuum ac Dominum, amorem teſtetur ac venerationem, atque adeò activo quodam modo ejus gloriæ ſubſerviat; vel contrà, ita ut ejusdem neglectum aut odium prodens, illam gloriam, quantùm in ſe eſt, obſcuratum eat.

IV. Ut hujusmodi Agens convenienter naturæ ſuæ ad DEI gloriam gubernetur; ita de eo eſt ſtatuendum, ut ejus felicitas cum debitâ ſui ad DEUM ſervatâ ſubordinatione, miſeria cum iſta ſubordinatione violatâ, connectatur: adeò, ut non posſit, beatitudini illi, ad quam per originariam naturæ ſuæ legem ſemper adſpirat, ſeu comparandæ, ſeu conſervandæ; vel etiam miſeriæ, a quâ

ſuâ per eandem legem non minùs abhorret, avertendæ, in ſingulis ſuis actionibus rectè conſulere; niſi quatenus iis ſummam Numinis æſtimationem, amorem intenſisſimum, ac venerationem teſtetur devotisſimam; utque ab hac normâ quantùm deflectat (iſtis ſc. actionibus, vel omisſionibus, quæ DEI contemptum, neglectum, vel odium produnt) tantum a ſuæ felicitatis tramite aberret, & versùs oppoſitam vergat miſeriam. Hanc igitur conditionem ſibi a DEO eſſe datam, Homo facilè intelligit; ſecundùm quam, ſi felicitas & miſeria non ſemper in hac vitâ diſpenſentur, ex eo ipſo futurum aliquem Animæ ſtatum eſſe expectandum, haud obſcurè poteſt colligere.

V. Sed & quemque Hominem, quo magis ſingulis actionibus devotum erga DEUM teſtetur animum, eò rectiùs felicitati ſuæ conſulere, haud parum ex eo confirmatur; quòd DEUS Opt. Max. ut omnigenæ felicitatis vel miſeriæ, hominibus eſt ſummus *diſpenſator;* ita etiam conſummatisſimæ, quæ homini poteſt contingere, beatitudinis, unicum ſit *Objectum;* utpote quam nec in ſuarum perfectionum finitarum contemplatiâ, nec in rerum ſe viliorum poſſesſione, nec denique in veritatum abſtractarum contemplatione, poteſt conſequi; ſed in immediato & æternùm duraturo intuitu ipſius DEI, ejusque reconciliati, & paterno ſe favore proſequentis; quem neceſſariò comitatur ardentisſimus amor, & ineffabile gaudium.

VI. Et hanc quidem Beatitudinem, homini, debitâ illâ ad DEUM ſubordinatione perſeveranti, fuiſſe præparatam, haud levi indicio arguit, conſummatisſimæ felicitatis appetitus homini non

fruſtrâ à DEO inditus. Quod ſi homo, ab illa rectitudine deficiens (cujus defectionis innumera quisque in ſe experitur ſymptomata) hujus beatitudinis conſequendæ jus, divinâ gratiâ oblatum, amiſerit; non ideo putandum eſt, divinarum perfectionum, in ſempiterno hominum ſtatu definiendo, gloriam, obſcuratum iri; ſed eam adhuc non minùs conſpicuè oportere illuſtrari, ſive in amiſſa illâ beatitudine clementer reſtituendâ, ſive in pœnâ infligendâ, ex cujus pondere ac duratione, quanta beatitudo ſit amiſſa, & quanto læſæ Divinæ Majeſtatis ſcelere, potuerit æſtimari.

VII. Quantum equidem, ad ſummam illam beatitudinem conſequendam, vel æqualem miſeriam vitandam, ulla actionum noſtrarum, in hoc degenere humani generis ſtatu, diſpoſitio poſſit conducere, ex ipſâ rerum naturâ haud facilè definitur: hoc interim ſatis conſtat, ſi illius conſequendæ, hujus vitandæ, ulla via ſit hominibus relicta (qua de re non prorſus deſperare jubet benigna divinæ providentiæ erga hominum genus diſpenſatio) ejus unumquemque eò potiore jure ſe compotem futurum ſperare poſſe; quò magis, in ſingulis ſuis actionibus, devotum erga Numen affectum teſtetur: Infiniti autem Boni obtinendi, vel infiniti Mali fugiendi, etiam minima veriſimilitudo, omnibus aliis, quæ opponi poſſunt, rationibus, apud nos præpollere debet.

VIII. Eodem quoque facit, quod Mens humana, in iſtis actibus, in quibus rationi maximè conformem ſe gerit (cujusmodi ſunt inprimis, objecti perfectiſſimi amor, æſtimatio, & veneratio) maximam voluptatem ac delectationem, contrà in oppoſitis, obmurmurationem ac morſum, ſentire apta ſit: ut non ſine cauſa dixerint

vete-

veteres, *Virtutem ipſam eſſe ſibi præmium, vitium ipſum ſibi pœnam.*

IX. Omnes quippe adductæ rationes in hoc videntur conſpirare, ut ſuadeant, Summam illius momenti, quod ad felicitatem conciliandam, vel miſeriam avertendam, actiones in hominis poteſtate poſitæ habere queunt, ex eo pendere, quòd in ſingulis intenſiſſimum teſtetur DEI Opt. Max. amorem ac reverentiam, & quicquid contrarium affectum arguit, religioſè fugiat.

X. Cum autem in omni, quod ad DEUM refertur, & in quo ejus approbatio expectatur, officio, Divinæ Voluntatis proximè habenda ſit ratio; illa *Voluntas DEI, certas Hominum actiones exigendi in ſymbolum amoris & venerationis erga ſe, contrarias ut contemptûs vel odii teſſeras interpretandi; illasque adeo iſthoc intuitu præſtitas, vel has omiſſas, cum hominis felicitate; has perpetratas, vel illas neglectas, cum ejus miſeria, connectendi;* illa inquam Voluntas, *idoneis indiciis promulgata*, dicitur LEX DIVINA: quam summâ Actionum humanarum normâ agnoscendam eſſe, ex dictis patet. Actiones verò quas Lex requirit in ſymbolum amoris & devotionis erga DEUM, dicuntur lege *præcepta:* actiones contrà, quas Lex ſtatuit eſſe interpretanda ut indicia contemptûs, neglectûs, vel odii, erga DEUM, lege *vetitæ* appellantur. Porrò, actiones præceptas qui præſtat, quia tales ſunt (quæ præſtitæ dicuntur *moraliter bonæ*) vel vetitas, quia tales, omittit, legi *obtemperare* dicitur; qui verò actiones vetitas (quæ appellari ſolent *moraliter malæ*) perpetrat, vel præceptas omittit, legem dicitur *transgredi* ſeu violare. Quòd à lege præcepta exerceatur, ſed ab eo,

qui vel ignorat eam eſſe præceptam, vel præcepti ſaltem conſideratione non ducitur; iſta actio dicitur, non *formaliter*, ſed *materialiter*, bona.

XI. Ex his conſtat, quales ſint Hominum Actiones, vel Omiſſiones, quæ Legis directioni ſunt obnoxiæ, atque adeò moralis bonitatis vel malitiæ capaces; iſtæ ſc. actiones, & iſtarum actionum omiſſiones, *quæ ab hominibus ſcientibus & volentibus fiunt;* ſeu, quod eòdem redit, *quas fieri vel non fieri, eſt penes ipſum Agentem*, ſive *à voluntatis ejus determinatione pendet;* quales actiones & omiſſiones, *Liberæ* vulgo dictæ, poſitâ lege quâ præcipiuntur aut vetantur, ſunt homini, ad laudem vel vituperium, præmium vel pœnam, imputabiles; quippe, quibus omnibus & ſolis, debitus aut indebitus, erga Legis Auctorem DEUM, ineſſe poteſt affectus.

XII. Nemini igitur imputari poſſunt, vel *Neceſſaria*, quòd fiant, vel *Impoſſibilia*, quòd non fiant: ubi tamen ea ſola pro neceſſariis habenda ſunt, quæ fiunt, ſive quis velit, ſive nolit; non iſta omnia ad quæ volendum mens efficaciter determinatur: pariter, ea ſola hic dicenda ſunt impoſſibilia, quæ, ſive quis velit, ſive nolit, non fiunt; haudquaquam omnia ad quæ ſeriò volendum requiſitis diſpoſitionibus mens deſtituitur.

XIII. Sed ut Actio quævis humana, vel ejus omiſſio, conſtituatur *actu moralis*, atque adeò homini imputabilis, ut *bona* vel *mala;* per ſuprà dicta, accedere debet *Lex*, actionem iſtam præcipiens vel vetans; DEI nimirùm voluntas, qualem §. 10. deſcripſimus, idoneis declarata indiciis;

diciis; iis ſc. circa quæ, ut & circa exiſtentiam conditionum, quas forte ea Lex ſupponit, ſi quis ratione ſuâ rectè & debitâ cum attentione, uteretur, ex iis DEI voluntatem, ſibique juxta am hac in parte incumbens officium, poſſet ognoſcere. His ſc. poſitis indiciis, Homo, t actionis ſuæ moralitatem non ſine culpâ ignoure, ita, ſi iſtam actionem exerat, in conexam quoque moralitatem quodammodo conntire, eſt cenſendus.

XIV. Ex his intelligimus, cujusvis noſtræ peræ Actionis, vel Omiſſionis Moralitatem, oſitâ Lege, ex tribus ferè capitibus eſſe æſtiandam: *Primò* ſc. ex *momento ejus quod agir aut omittitur*, tum ut in ſe ſpectati, tum veſtiti omnibus iſtis circumſtantiis, quæ ill hic & nunc agendum, vel omittendum, dere poſſunt: *Secundò* ex *modo & menſurâ nitionis*, quam quis habet, de actione vel iſſione ſua moraliter conſideratâ; i. e. de & circumſtantiis modò dictis: *Tertiò* ex *ore vel minore, voluntatis*, in id quod agitur, *enſione*, vel, ab eo quod omittitur, *aver-*; incluſis etiam motivis, quibus ad illam hanc determinatur.

V. Ad *primum* quod attinet, certum eſt, is actionis vel omiſſionis circumſtantias, os effectus, aut conſequentia, ad ejus Motem, in foro DEI & Conſcientiæ, vel ituendam, vel intendendam, vel remitm, ulteriùs quidquam valere, quàm iſta gente, adhibitâ attentione debitâ, cogno- præviderí potuerant, Nec minùs certum d Actionis cujusque humanæ Moralitaertinere, omnes circumſtantias (quæ ſc.

ullum momentum habent) quousque cognoſci poterant, aut conjectari; atque adeò, omnia bona vel mala conſequentia, licet remotiſſima, etiam ea quæ ab aliis hominibus immediatiùs producuntur, quæ, & quousque, ab homine acturo, adhibitâ illâ quam oportebat diligentiâ, prævideri poterant, actionem iſtam, probabiliùs quàm ejus omiſſionem, ſecutura; ſicut & ad omiſſionis moralitatem pertinere, quoque ejus conſequentia, quousque prævideri poterant, probabiliùs eventura, ſi omitteretur propoſita actio, quam ſi ſuſciperetur.

XVI. Non tamen hæc ita intelligi debent, quaſi omnia effecta, quæ prævidere licuit, aliquam actionem vel omiſſionem noſtram, probabiliùs quam ejus contrarium, conſecutura, nobis imputanda eſſent, plerumque ad eundem gradum, vel etiam ſemper ad eandem ſpeciem, moralitatis, ac ſi à nobis immediatè fuiſſent producta; Hoc ſolùm innuimus, omnia ejusmodi conſequentia, ad computum, vel ſpecialiorem, vel certè generaliorem, revocari debere; ut nec illud rectè agatur, quo illatum iri aliquid mali, aut impeditum iri aliquid boni, eſt verſimile; nec illud rectè omittatur, quo malum probabiliter evitari, vel bonum procurari, poſſit; niſi majus, alicujus boni conciliandi, vel mali declinandi, momentum, ad partem quam amplectimur, electionem noſtram determinet.

XVII. Quod ad *Cognitionem* ac *Intentionem* attinet, quæ *ſecundo* & *tertio* loco, ad actionis vel omiſſionis moralitatem æſtimandam pertinere, ſuprà monuimus; ut actio vel omiſſio his reſpectibus ſit bona in foro DEI, hoc eſt,

ut

ut ab eo accipiatur in ſymbolum amoris ac venerationis erga ſe; requiritur, non tantùm ut id quod agitur ſit in datis circumſtantiis lege præceptum, quod omittitur, vetitum, & ut hoc ab homine agente vel omittente cognoſci poſſit; ſed inſuper, ut hic actu ſciat, vel ſaltem probabiliter exiſtimet, rem ita ſe habere; nec ſolùm in conformitatem cum lege conſentiat, ſed & eandem in agendo vel omittendo inprimis reſpiciat. Nemo enim dici poteſt Legi obtemperare, aut devotum erga DEUM affectum teſtari, qui vel inſcius agit, quod lege præcipitur, vel ſine ulla DEI ejusque legis contemplatione ita agit.

XVIII. Actionis verò vel omiſſionis malitia, varios ex iſtis capitibus admittit gradus: Inde quidem, pro varia cognitione aut ſuſpicione, quod id ſit lege vetitum quod agitur: aut præceptum quod omittitur; vel, ſi hoc ignoretur, pro variis cauſis ignorantiæ: hinc verò, pro variâ voluntatis propenſione, vel averſione; pro favorabili magis, vel odioſâ naturâ rationum, quibus quis ad peccandum pellicitur; & vario momento, quod habet Mali moralis conſideratio, ad peccandi impetum retundendum.

XIX. Lex Divina (ad quam ſolam actionum moralitatem ubique retuli, utpote quæ ſola per ſe obligat, & in quam omnis Legum Humanarum obligatio eſt ultimò reſolvenda) duobus modis declaratur; vel ſc. per expreſſa Signa, qualia ſunt Voces & Scripta, quo pacto declarata, dicitur *Lex DEI poſitiva;* vel per ipſam Humanæ Naturæ, & aliarum rerum, quæ hominum obſervationi ſe offerunt, conſtitutionem, quâ exiſtente, & ſuppoſitis ſimul, quæ inde elu-

ceſcunt, Numminis perfectionibus, certæ Hominum actiones, in certis circumſtantiis, neceſſariò involvunt, inde amoris ac venerationis erga Numen, hinc contemptûs vel odii, argumentum; atque adeò non poſſunt, non ab ipſo DEO tanquam eorundem affectuum ſymbola reputari: Voluntas autem DEI, quatenùs hôc poſteriore modo ſignificata, dicitur *Lex Naturalis.*

XX. Cum itaque ipſius DEI Voluntas, per iſta naturalia media, ad obligationem producendam, nobis promulgetur; cum ipſe DEUS eadem Media (quibus ſc. tum actionum lege naturali præceptarum & vetitarum diſcrimen, tum etiam momentum, quod illæ ad felicitatem, hæ ad miſeriam arceſſendam, conferunt, nobis declaratur) intra ſphæram noſtræ obſervationis poſuerit; cum denique idem DEUS facultatem nobis rationalem conceſſerit, cujus recto uſu, in res oblatas reflectere, atque ex iisdem obſervatis, ac ſedulò inter ſe collatis, veras certasque de Actionum noſtrarum moralitate, atque adeò moralibus effectibus, concluſiones deducere valeamus; patet, Legem Naturalem, eſſe veram, & proprio ſenſu ita dictam, *Legem Divinam*, utpote ab ipſo DEO juſſam, ſancitam & promulgatam.

XXI. *Diſciplina* vero, *quæ Legis Naturalis Præcepta tradit, quà talia*, id eſt, illa ex ipſâ rerum naturâ eruit, ac demonſtrat; ſive, quod eòdem redit, *quæ Actiones Humanas dirigit ad conformitatem cum iſta Lege;* illa ipſa eſt, quæ *Ethica*, ſive *Philoſophia Moralis*, dicitur; quam idcirco *à Juris Naturalis Prudentiâ* ut diſtinguamus, nulla ratio ſuadet.

DE

De Officio Hominis & Civis.

LIBER PRIMUS.

Caput I.

De Actione Humana.

I. *Officium, qualis hominis actio?* II. *Eſt actio humana, non quævis.* III. *Sed ab intelligente & volente ſuſcepta.* IV. *Intellectus hominis officii conſcius.* V. *Conſcientia recta, & probabilis.* VI. *Etiam dubia, ſuſpendens actionem.* VII. *Error vincibilis, invincibilis, quis, & in quibus?* VIII. *Ignorantia intellectus varia.* IX. *Voluntaria actio, ſpontanea eſt & libera.* X. *Ejus ratione homo actionis auctor.* XI. *Voluntas fertur in bonum, idque varium.* XII. *Hæc quouſque à peculiari ingenii diſpoſitione.* XIII. *A conſuetudine ex frequenti actione;* XIV. *Ab animi motibus ſeu affectibus;* XV. *A morbis & ebrietate inclinetur.* XVI. *Actio voluntaria, invita, mixta.* XVII. *Quæ actio homini imputari queat?* XVIII. *Actio alterius alteri an imputetur?* XIX. *An, cujus cauſa penes aliquem non eſt?* XX. *An, quæ ex invincibili ignorantia patrantur?* XXI. *An, quæ ex ignorantia legis & officii?* XXII. *An, cujus exequendæ defuit occaſio?* XXIII. *An, quæ vires agentis excedit?* XXIV. *An, quæ quis coactè patitur aut agit?* XXV. *An, quæ rationis uſu deſtituuntur?* XXVI. *An, quæ in ſomniis agere videmur?* XXVII. *Actio agenti principali & inſtrumentali qui imputetur?*

OFFICIUM nobis heìc vocatur, *Actio* (1) *Hominis pro ratione obligationis ad præſcriptum Legum rectè attemperata.* Ad quod intelligendum, neceſſarium eſt præmittere, tum de natura *Actionis Humanæ*, tum de *Legibus* in univerſum.

 §. II.

§. I. (1) Nec tamen ut agamus ſolùm, ſed & à quibusdam agendis abſtineamus, officii ratio poſtulat.

§. II. Per HUMANAM ACTIONEM intelligimus, non quemvis motum a facultatibus hominis procedentem; ſed illum duntaxat, qui provenit ac dirigitur ab iis facultatibus, quas humano generi præ brutis Creator O. M. attribuit, nempe, *qui velut prælucente Intellectu, ac decernente Voluntate* (1) *ſuſcipitur.*

§. III. Datum quippe eſt homini, ut non ſolùm varias res, quæ in hoc univerſo occurrunt, poſſit cognoſcere, eas inter ſe conferre, & harum occaſione novas ſibi notiones formare: Sed ut etiam poſſit proſpicere, quid acturus ſit, ac ad id exſequendum ſeſe movere, idemque ad certam normam, certumque finem conformare, & quid inde proventurum ſit, colligere; quin, & quæ peracta jam ſunt, an ad regulam congruant, judicare. Sed nec omnes hominis facultates ſeſe perpetuo, aut modo uniformi movent: verùm

§. II. (1) Vel explicitè nimirum, vel ſaltem implicitè & virtualiter. In mentis enim actionibus *internis*, quæ per ſe ſunt *Humanæ*, (& à quibus *externæ*, quousque ab illarum directione pendent, eandem denominationem mutuantur) non requiritur prævium Intellectûs dictamen, & Voluntatis imperium (quod quidem retrogreſſum argueret in infinitum) ſed ſufficit interna iſta conſcientia, juncta cum complacentiâ, quæ in iis omnibus intimè ac eſſentialiter involvitur. *Humanæ* igitur dicuntur *Actiones*, eædem quas *Liberas* dici, quasque omnes & ſolas morali regulæ eſſe obnoxias, monuimus ſupra, *Suppl.* I. §. 11. Qui verò alii motus à facultatibus hominum procedunt, num ſatis rectè in Scholis dicantur *Actiones Hominum*, non eſt hujus loci diſputare.

verùm aliquæ iſtarum intrinſeco hominis impulſu excitantur, excitatæque temperantur, & diriguntur. Denique, nec in omnia objecta promiſcuè homo fertur, ſed quædam adpetit, quædam averſatur. Sæpe quoque, licèt objectum agendi adſit, modum ſuſpendit; & pluribus objectis præſentibus, unum eligit, cætera reſpuit.

§. IV. Circa facultatem ergo comprehendendi & dijudicandi res, quæ Intellectus (1) vocabulo venit, id ante omnia pro certo habendum eſt: cuilibet homini, maturâ ætate & mente integrâ, tantum ſupereſſe naturalis velut luminis, ut adhibitâ culturâ, ac debitâ meditatione, poſſit rectè comprehendere (2) ſaltem generalia illa præcepta

§. IV. (1) Utrùm Judicium, unà cum iis mentis, circa ideas ſuas, ab objectis ante impreſſas, operationibus, quæ illud antecedunt, *Intellectus*, an *Voluntatis*, actibus accenſeri debeat, lis eſt de voce: de quâ, quid ſtatuatur, parùm intereſt; modò ſemper agnoſcamus, activè in iis, atque adeo liberè, mentem ſe gerere; eosque actus idcirco (ſecùs atque ſentiunt nonnulli) Moralitatis non eſſe expertes. Interim, omnes noſtros cogitandi modos ad duo ſumma genera eſſe reducendos, ſive, ut vulgò loquuntur, alteri duarum facultatum tribuendos, eſt forte præjudicium Scholaſticum; ſed quod diſcutere eſt alterius fori.

(2) Duplici ferè ſenſu, Legem Naturalem, aut quædam ejus præcepta, homo dicitur *poſſe comprehendere*. Vel enim, *primo*, latiùs ſumitur iſta phraſis, ut innuat duntaxat, eam homini à Deo inditam eſſe Rationis facultatem, eaque in rerum Naturâ exhibita veri bonique indicia, circa quæ, ſi homo iſtâ facultate rectè uteretur, faciendorum & omittendorum diſcrimen cognoſceret: Vel, *ſecundo*, ſtrictiùs

cepta & principia, quæ ad vitam hancce honeſtè & tranquillè exigendam faciunt; ſimulque judicare, iſta utique indoli humanæ congruere. Hoc enim niſi ſaltem intra ſphæram fori humani admittatur, quibusvis ſuis delictis homines ignorantiam invincibilem obtendere poſſent: cum nemo in foro humano argui poſſit violâſſe regulam, quam capere ſupra ipſius vires eſt.

§. V. Intellectus hominis (1), quando de eo,

accepta illa phraſis notat, eum homini conſtare Intellectûs vigorem, adeoque perſpicua in rerum naturâ contineri, Legis, hæc præcipientis, illa prohibentis, indicia; ut ille, adhibitâ iſtâ ordinariâ diligentiâ, quam officii non planè negligens adhibiturus meritò expectatur, officium lege ſibi præſcriptum poſſit intelligere. Hic, inquam, duplex ſenſus, eſt cautè diſtinguendus: priore enim ſenſu, id quod hîc affirmatur, de omnibus hominibus eſt verum; poſteriore verò (quem præcipuè ob oculos habuiſſe videtur Auctor) de hominibus tantùm maturâ ætate & mente integrâ: priore ſenſu, ad omnia Legis Naturalis præcepta extendi debet, prout eorum obſervandorum cuique eſt occaſio; poſteriore, ad præcepta tantùm generaliora, magisque obvia: denique, priore ſenſu, *cognoſcibilis*, ſupponi debet lex, ut ejus violatæ quis argui poſſit, vel in foro Divino; cum ne hîc quidem intelligatur quisquam in ſuâ perſonâ violâſſe Legem, quæ non erat ipſi ſufficienter promulgata, id eſt, cujus non erant idonea indicia, ei, naturâ ſuâ intelligere valenti, exhibita; poſteriore verò ſenſu, *cognoſcibilem*, legem ſupponendi neceſſitas, rectè ab Auctore ad forum humanum reſtringitur.

§. V. (1) Monendum priùs fuerat in genere, *Judicium hominis, de actionibus vel omiſſionibus ſuis, ad Legem comparatis*, vocari *Conſcientiam*; quæ, ſi futuras reſpiciat actiones, aut omiſſiones, dicitur *Conſcientia antecedens*; ſi præteritas, *Conſcientia ſubſequens*.

eo, quod agendum vel omittendum eſt, rectè informatus fuerit, & quidem ita, ut ſententiæ ſuæ certas & indubias rationes (2) nôrit reddere, ſolet vocari *Conſcientia Recta.* (3) Sed ubi quis veram quidem ſententiam circa agenda vel omittenda fovet, quam tamen ipſe per rationes demonſtrare nequeat, ſed eandem ex vitæ civilis tenore, ex aſſuetudine, aut ſuperiorum auctoritate, hauſerit; neque tamen ipſi ſuppetat ratio, quæ contrarium magis perſuadeat; ſolet vocari *Conſcientia Probabilis:* quâ maxima pars Mortalium regitur; quippe cum paucis rerum cognoſcere cauſas conceſſum ſit.

§. VI. Solet tamen quibusdam non rarò evenire, circa caſus potiſſimùm ſingulares, ut ex utraque parte ſeſe offerant rationes; nec illi ita polleant judicio, ut, utræ præpondere-

(2) Harum rationum in numero continentur quælibet leges poſitivæ, quarum ſatis perſpecta eſt auctoritas.

(3) Minus neceſſariò videtur Vir. Cl. *Gerard. Titius, Obſ.* 17. hanc appellationem reprehendere; contendens, Conſcientiam quæ hic definitur, appellari deberi *Conſcientiam Certam;* cum Conſcientia Probabilis ſit etiam *Rectà.* Nam contrà eſt dicendum, Conſcientiam tantùm *prôbabilem*, ſi vel maximè aliquando *vera* ſit; (quod ſolum fatetur Auctor) à rectitudine tamen tantum deficere, quantum deficit à certitudine: cum enim Legis promulgatæ certa indicia ſint hominibus exhibita; culpabili cuidam imbecillitati ad minimum, eſt tribuendum in foro DEI, quòd Legis ſententiam non certò ſciant. Quin & idem V. Cl. *Obſ.* 19. n. 4. fatetur, Conſcientiam probabilem non eſſe ſanam, ſed poſtulare remedium.

dererent, liquidò diſcernere queant: Id quod vocari ſuevit *Conſcientia Dubia*, de quâ hæc eſt regula; (1) QUAMDIU IN ANCIPITI HÆRET JUDICIUM, BONUM QUID SIT, AN MALUM, ACTIO ERIT SUSPENDENDA: Nam, nondum diſcuſſa dubitatione ad agendum ſeſe determinare, propoſitum peccandi, aut ſaltem neglectum legis, involvit.

§. VII. Sæpe etiam intellectus hominis pro vero falſum adprehendit; & tunc in ERRORE verſari dicitur.

Qui Error *Vincibilis* (1) ſolet adpellari, quando

§. VI. (1) Si quæſtio ſit, de eo quod in foro Divino exigitur; procul dubio Conſcientia eſt rectè inſtituenda; & id quod ſolidis rationibus commendatur, amplectendum: ſi verò quæratur, quid proximo loco, tanquam minus periculoſum, poſſimus eligere; admittenda eſt regula Auctoris; modò quæſtio tantùm verſetur, de aliquâ actione ſuſcipiendâ, vel omittendâ. At quandoque conſtat, alterum duorum eſſe faciendum; imo minùs ab re utrumvis fieri, quàm utrumque omitti; ubi tamen de utroque ſeorſum ſumpto, an hoc ſit rectum, ex æquo dubitatur: quem caſum à regulâ hic propoſitâ excipiendum, rectè monuit *Grotius*, *J. B. & P.* Lib. II. Cap. XXIII. §. 2. immeritò eâ de cauſâ notatus à *Puffendorfio*, & *Barbeyracio*, *J. N. & G.* Lib. I. Cap. III. §. 8.

§. VII. (1) Error *vincibilis* latiùs vel ſtrictiùs intelligi poteſt, juxta diſtinctionem propoſitam, *Obſ.* 2. in §. 4. prout veritas iſti errori oppoſita, aut ratio ſaltem judicium ſuſpendendi; priore tantùm, vel etiam poſteriore ſenſu, ibi explicato, ſupponitur eſſe cognoſcibilis. Errori autem latiore ſenſu vincibili, immediatè opponitur error ſtrictiore ſenſu invincibilis; ſicut errori ſtrictiore ſenſu vincibili, error latiùs dictus invincibilis.

quando quis, adhibitâ attentione & diligentiâ debitâ cavere poterat, ne in eum incideret. *Invincibilis* autem, quando quis etiam adhibitâ omni diligentiâ, quam vitæ communis ratio fert, iſtum evitare non poterat. Qualis error tamen, ſaltem inter eos, queis rationis lumen excolere, & vitam ad honeſtatem componere, cordi eſt (2), non circa communia vivendi præcepta, ſed, duntaxat, circa ſingularia negotia (3) incidere ſuevit. Nam & naturalis juris præcepta generalia plana ſunt: & qui leges poſitivas fert, id ante omnia agere ſolet & debet, ut illæ ſubjectis innoteſcant. Unde, citra ſupinam negligentiam heic error non naſcitur. Sed in ſingularibus negotiis, facile eſt, ut error invito, & præter culpam obrepat, circa objectum, aliasque actionis circumſtantias (4).

§. VIII.

(2) Malim, quod hic dicitur, reſtringi, ut in §. 4. ad eos qui ſunt *matura ætate & mente integra*: nam, ſi cui vel maximè non ſit cordi, rationis lumen excolere, & vitam ad honeſtatem componere; non ideo minùs, ut vincibiles, illi imputantur errores, quos circa officium admittit.

(3) Circa ſingularia facta, facilè contingere poteſt error, ſtrictiore ſenſu invincibilis: latiore autem ſenſu, contingere poteſt multis, etiam circa ſpecialiora (non æquè circa generaliora) Legis naturalis præcepta; ut & circa quorumlibet præceptorum applicationem, ad particulares, qui ſupponi poſſunt, caſus.

(4) Circumſtantiæ recenſeri ſolent vulgato iſto verſiculo,

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

§. VIII. Ubi verò ſimpliciter cognitio abeſt, vocatur *Ignorantia*. Quæ duplici modo conſideratur; uno, *prout ad actionem aliquid confert;* altero, *prout invito, aut non citra culpam, oborta fuit.*

Priore reſpectu, ignorantia ſolet dividi in *Efficacem* & *Concomitantem*. Illa eſt, quæ, ſi abſuiſſet, præſens actio non fuiſſet ſuſcepta. Hæc eſt, quæ licet abſuiſſet, nihilominùs actio ſuſcepta fuiſſet (1).

Poſteriore reſpectu, ignorantia eſt *Voluntaria*, vel *Involuntaria*. Illa eſt, quam quis vel *ultrò affectavit, rejectis veri cognoſcendi mediis*, aut *debitâ diligentiâ non adhibitâ* (2) *obrepere ſibi paſſus eſt*. Hæc eſt, quando quis ignorat, quæ nec ſcire poterat, nec tenebatur. Et hæc iterum duplex eſt. (3) Vel enim

§. VIII. (1) *Ignorantiæ efficacis* exemplum eſt, ſi quis occidat amicum ſub frutice latentem, dum exercitii cauſâ jaculatur; *Concomitantis* verò, ſi in ſimili caſu occidat hoſtem, quem, ſi ſciviſſet, non minùs occidiſſet.

(2) Hic etiam locus eſt diſtinctioni, quam inculcavimus *Obſ.* 2. in §. 4. Nota interim, *voluntariam* habendam eſſe ignorantiam, non modò, quam quis, rejectis veri cognoſcendi mediis, ultrò affectavit; ſed & quam, non adhibitâ debitâ diligentiâ, obrepere ſibi patitur: illa *affectata*, hæc *ſupina*, in Scholis dicitur.

(3) Ignorantia quidem *involuntaria*, vel talis eſt in ſe, ſed non in ſuâ cauſâ; vel & in ſe & in ſua cauſa: atqui hanc ſolam propriè involuntariam, ſeu invincibilem, dici, & factum noxium excuſare, obſervant Cl Viri, *Titius* & *Barbeyracius*, in *h. l.* Confer nihilominùs quæ obſervamus infrà, *Obſ.* 2. in §. 17.

enim quis in præſens quidem ignorantiam exuere non potuit, ut tamen in culpa ſit, quare in tali ſtatu verſetur. Vel non ſolùm in præſens ignorantiam vincere nequit, ſed & in culpâ non eſt, quare ad talem conditionem ſit devolutus.

IX. Altera facultas, quæ in homine præ brutis peculiariter cernitur, VOLUNTAS vocatur; per quam velut intrinſeco impulſu ad agendum ſeſe homo movet, & eligit quod ſibi maximè arridet; averſatur quod ſibi non convenire videtur. Habet igitur homo à voluntate, tum quod *Spontè* agat, id eſt, ut non per intrinſecam aliquam neceſſitatem ad agendum determinetur, ſed actionis ſuæ ipſe auctor ſit: tum ut *Liberè* agat, i. e. ut uno objecto propoſito, poſſit agere vel non agere, idemque eligere vel reſpuere, aut pluribus objectis propoſitis, unum eligere, cætera reſpuere. (1)

C Porrò,

§. IX. (1) Haud immeritò Auctorem hic reprehendit Cl. *Titius*, quòd *Spontaneitatem & Libertatem* recenſeat, tanquam diverſas affectiones voluntatis, ejuſve actuum, cum tamen hic, allatis utriuſque definitionibus, illam faciat partem hujus: quippe Spontaneitatem collocat in indifferentia, ad agendum vel non agendum; Libertatem verò, tum in illa indifferentia ad agendum vel non agendum, quæ dicitur *Contradictionis*, tum in indifferentia ad hoc vel contrarium agendum, quæ dicitur *Contrarietatis*. Sed majoris eſt momenti obſervare, neque indifferentiam Contradictionis, neque Contrarietatis, ad genuinam Voluntatis, ejuſve actuum, aut Spontaneitatem, aut Li-

Porrò, cum actionum humanarum quædam, propter ſe, ſuſcipiantur, quædam, quatenùs ad aliud conſequendum inſerviunt; i. e. cum quædam rationem *Finis*, quædam *Mediorum*, habeant: circa finem quidem ita voluntas verſatur, ut eum cognitum primò *adprobet*, dein ad eundem conſequendum *efficaciter ſeſe moveat*, & velut ad eum tendat, vehementiùs aut remiſſiùs; eoque ob-

Libertatem pertinere. Homo quidem experitur, ſe eſſe Agens, non *Spontaneum* modò, ſed *Liberum*; i. e. non ex interno tantùm, ſed & rationali principio, per voluntatis determinationem, agere; & hanc conditionem ad actionum humanarum moralitatem & imputabilitatem requiri, res ipſa clamat: ſed ad hunc effectum exigi abſolutam indifferentiam, omni præviæ determinationi oppoſitam; vel eam in liberrimis noſtris actionibus actu reperiri; nec ratio nec experientia ſuadet. Vid. *Suppl.* I. §§. 11. & 12. Quinimo, iſta hypotheſis, non tantùm abſoluto Summi Numinis in res creatas imperio derogat; ſed & ipſi Cauſalitatis naturæ adverſatur: ſicut enim nullus effectus exiſtit ſine aliqua adæquata cauſa; ita, nec ullam poteſt adæquatam cauſam agnoſcere, à quâ non determinatur ad exiſtendum; nec denique ad exiſtendum determinari poteſt ab ulla cauſa, in quâ nihil reperitur, quod ejus exiſtentiam potiùs quàm non exiſtentiam exigat. Confer, ſi libet, Cl. *Raphſoni Demonſt. de DEO, Partis* II. *Prop.* 11. Et ſanè tantum abeſt, ut per abſolutam indifferentiam in agendo, homo conſtituatur actionis ſuæ Dominus; ut contrà potiùs, per iſtam hypotheſin, ipſa actio concipiatur, ut independens quoddam, aut è nihilo quaſi ſponte natum, Entitatulum. Sed hæc ſunt alterius fori.

obtento adquieſcat, placidèque *fruatur.* (2) Media autem primò *probantur*, tum quæ maximè idonea fuerint viſa, *eliguntur*, ac demum *uſui adplicantur.* (3)

X. Quemadmodum autem hôc maximè nomine Homo *actionum ſuarum Auctor*, habetur, quia ipſe *voluntariò* eas ſuſcepit; ita, circa voluntatem id cum primis obſervandum, ejus *Spontaneitatem* (1) utique aſſerendam

(2) Nota hic tres actus Voluntatis circa Finem; *Velleitatem*, *Intentionem*, & *Fruitionem*, ut in Scholis appellantur.

(3) Nota hic quoque tres actus voluntatis circa Media, quos nominant Scholaſtici, *Conſenſum*, *Electionem*, & *Uſum.*

§. X. (1) Qualis tum Spontaneitas, tum Libertas, hic aſſerenda ſit, innui ſatis *Obſerv.* 1. in §. *præc.* ea ſc. quæ breviter explicata eſt, *Suppl.* I. §. 11. & fuſiùs multò ac nervoſiùs à Cl. Viro *Jo. Lockio*, *Tent. de Intellect. Hum. Lib. II. Cap.* 21. in hôc nimirum ſita, *Quod quis agat, vel non agat, prout vult agere, vel non agere.* In quâ ſc. re creatâ hæc agendi conditio reperitur; in eâ demum locus eſt rationibus, à *Boni* vel *Mali* repræſentatione ductis; quarum ut validiſſimæ eſſe debent, apud mentem rerum ſpiritualium cognoſcendarum capacem, quæ à Divinæ Legis præſcripto petuntur; ita, his ut quiſque movetur, ad actiones à DEO præceptas, per imperium ſuæ voluntatis exercendas, & vetitas omittendas, vel non movetur; ita, ipſius DEI, vel amorem & venerationem ab unâ parte, vel ab alterâ neglectum & contemptum, cenſendus eſt teſtari; eaque idcirco actionum ſuarum Conſequentia expectare debet, quæ, inde ſui cultoribus, hinc contemptoribus, diſpenſare, Summi Numinis Majeſtate, Sapientiâ, Sanctitate dignum eſt: ad hunc verò effectum requiri ab-

dam eſſe, ſaltem circa illas actiones, de quibus ab homine in foro humano ratio ſolet exigi. Ubi autem homini nihil planè Spontaneitatis relinquitur, ibi non ipſe homo, ſed qui eidem neceſſitatem adfert, auctor habebitur actionis, ad quam homo invitus membra viresque ſuas accommodat.

XI. Porro, quanquam voluntas bonum in genere ſemper adpetat, & malum in genere averſetur: magna tamen inter ſingulos homines, tum *adpetituum*, tum *actionum*, cernitur varietas. Idque inde provenit, quòd non omnia bona & mala homini velut pura adpareant, ſed invicem mixta, bona malis, mala bonis. Et quia diverſa objecta diverſas velut partes in homine peculiariter afficiunt, v. g. quædam *æſtimationem* illam, quam homo de ſeipſo habet, quædam

abſolutam indifferentiam, eſt puerile præjudicium, omnium ferè in hâc doctrinâ errorum πρῶτον ψεῦδος. Verum quidem eſt, Officium, etiam quando omittitur, ut *cognoſcibile*, [Vid. *Obſerv.* 2. in §. 4.] ita etiam *eligibile*, poſſe dici; vel primò, latiùs, ut notetur tantùm, eam eſſe menti inditam rationis facultatem, eaque exhibita eſſe Boni & Mali indicia, circa quæ, ſi quis accuratiſſimè uteretur ratione ſuâ, ad bonum amplectendum determinaretur; vel, *ſecundo*, ſtrictiùs, ut innuatur, eum eſſe in mente rationis vigorem, atque adeò perſpicuè Boni Malique indicia repræſentari, ut, ordinariam intellectûs attentionem comitante ordinariâ voluntatis conſtantiâ, determinaretur homo ad bonum amplectendum. Et horum quidem prius ſufficit ad imputationem in foro DEI & Conſcientiæ: poſterius verò in foro Humano rectè ut plurimùm requiri, haud inficiamur.

dam *ſenſus* ejus *exteriores*, quædam *amorem ſui*, quo ſeipſum conſervare ſtudet : inde eſt, quòd illa quidem homo adprehendat tanquam DECORA, iſta tanquam JUCUNDA, hæc tanquam UTILIA. (1) Et prout quodque horum validum motum homini impreſſit, ita, eundem quoque verſùs ſe peculiariter propendere facit. Cui accedit in pleriſque hominibus, ad certa quædam peculiaris *Inclinatio*, aut à certis *Averſatio.* Hinc fit, ut circa quamlibet ferè actionem, ſeſe ſimul offerant ſpecies *bonorum* & *malorum*, *verorum* aut *adparentium*, ad quas ſolidè diſcernendas, aliis major, aliis minor eſt perſpicacia. Inde mirum non eſt, unum in id ferri, abs quo alter maximè abhorret.

XII. Sed nec ſemper voluntas hominis circa quamlibet actionem, velut in æquilibrio poſita (1) deprehenditur, ſic ut inclinatio

§ XI. (1) Non videtur Auctor id ſibi hic loci propoſuiſſe, ut adæquatam Bonorum diſtributionem traderet; ſed Bonorum duntaxat terreſtrium; quorum eadem diſtinctio videtur innui ab Apoſtolo, 1. *Joh.* II. 16. Interim, cum *Bonum* illud, in quod voluntas perpetuò fertur, id ſit, quod *Felicitati*, hoc eſt, Voluptati & Doloris immunitati, conciliandæ vel conſervandæ inſervit; cui ſcopo vel *immediate* confert, vel *mediate*; patet, illud omne eſſe [ſi hæc vocabula paulò latius intelligantur] vel *Jucundum*, vel *Utile*.

§. XII. (1) Voluntas, dum ad agendum ſeſe applicat, nunquam ita in æquilibrio, nec ita extra æquilibrium, eſt poſita, ut non ad hanc partem, præ illa, à præſente ſua interna diſpoſitione proximè deter-

natio in hanc aut illam partem unicè ab impulſu ejuſdem intrinſeco poſt maturè perpenſa omnia proveniat : ſed frequentiſſimè per extrinſeca velut momenta verſùs unam magis quàm alteram partem homo propellitur. Ut enim prætereamus communem illam mortalium in prava proclivitatem, cujus originem atque indolem alterius fori eſt excutere; *primò*, voluntati ſingalarem quandam vergentiam conciliat *peculiaris* INGENII *diſpoſitio*, quâ ad certum genus actionis aliqui valde proclives redduntur. Quæ non in ſingulis tantùm hominibus, ſed & integris in nationibus deprehenditur. Eam autem producere videtur, *Cœli* nos ambientis, *ſolique genius*, *humorum in corporibus temperatura*, ex ipſo ſemine, ætate, victu, valetudine, ſtudiorum ratione, ſimilibuſque cauſis, proveniens; item *conformatio organorum*, queis animus ad functiones ſuas obeundas utitur, & ſimilia. Ubi notandum, præterquam quòd homo, adhibitâ curâ, temperamentum ſuum non parùm retundere & alterare poſſit; quantacunque etiam vis eidem tribuatur, non tamen eòuſque illa valere judicanda eſt, ut hominem neceſſariò in violationem

terminetur; quæ tamen diſpoſitio, ut eſt menti adventitia, fluit plerumque à variis externis cauſis. Voluntas autem Auctori noſtro tum dicitur eſſe in æquilibrio; quando nullæ aſſignari poſſunt ſpeciales cauſæ, vel occaſiones, ab ipſo propoſiti cujuſque Objecti valore diverſæ, quæ mentem ad unam partem, magis quàm ad alteram, inclinent.

lationem legis naturalis rapiat (2), quouſque hæc in foro humano exercetur; ubi pravæ cupidines, intra actum exteriorem ſubſiſtentes, non attenduntur. Adeoque, ſi vel maximè natura recurrat, furcâ licet expulſâ, id tamen prohiberi poteſt, ne exteriores actiones vitioſas producat. Et quæ in ſuperandâ ejuſmodi inclinatione occurrit difficultas, illam ſplendor laudis penſat, quæ heîc victorem manet. Quòd ſi autem ejuſmodi ſtimuli animum concutiant, quos nulla ratio, quo minùs erumpant, reprimere poteſt; via tamen eſt, ut citra peccatum velut depleri queant. (3)

XIII. 2. Valde quoque in certas actiones voluntatem inclinat frequens ejuſdem generis actionum repetitio, ex quâ enata proclivitas, CONSUETUDO vocatur. Per hanc quippe efficitur, ut libenter & expeditè actio aliqua ſuſcipiatur, ſic ut objecto præſente in id velut trahi animus videatur,

(2) Hoc eſt, Temperamentum per ſe non tantam vim habet, quin, adhibitâ illâ curâ, & animi firmitate, quam à viro mediocriter prudente & conſtante expectare liceat, retundi poſſit, aut eòuſque ſaltem coerceri, ne in exteriores actus erumpat. Similiter intellige, quæ ſimilia ſeqq. §§. dicuntur de Conſuetudine & Affectibus.

(3) Meritò notat Cl. *Barbeyracius*, hoc non ſemper eſſe verum; imò ſæpe accidere, ut cum inclinationibus noſtris omninò aſperiùs ſit agendum, h. e. Animus adverſùs earum ſtimulos obfirmatus, ad alia planè ſit avocandus: quod ſanè in his caſibus non eſt factu impoſſibile.

aut idem abſens vehementiſſimè deſideret. De quâ id obſervandum: uti nulla videtur eſſe adſuetudo, quin eam adhibitâ diligentiâ iterum exuere poſſit homo; ita, nulla quoque animum eouſque detorquere valet, ut non exterioribus ſaltem actibus, in quos illa rapitur, heîc & nunc cohibendis par homo ſit. Et quia penes hominem fuit ejuſmodi adſuetudinem contrahere; inde, utut hæc actiones facilitet, tamen neque inde bonarum actionum pretio aliquid decedit, neque pravarum malitiâ redditur levior. Quin uti bona adſuetudo hominis laudem, ita prava ejuſdem turpidudinem intendit.

§. XIV. 3. Plurimum quoque intereſt, an placida tranquillitas animo conſtet, an verò idem peculiaribus motibus, quos Affectus vocant, concutiatur. Circa quos illud tenendum: quantumcunque vehementes iſti ſint, tamen debito rationis uſu hominem iiſdem ſuperiorem eſſe poſſe, ipſorumque impetum ſaltem intra ultimum actum ſiſtere.

Cum autem affectuum alii excitentur ſpecie boni, alii ſpecie mali, & ſtimulent, vel ad adquirendum aliquod gratum, vel declinandum moleſtum; Naturæ humanæ congruens eſt, ut hos, quàm illos, plus favoris aut veniæ mortales inter comitetur, eòque magis, quò infeſtius & intolerabilius fuerit malum, quod eos excitavit. Longè quippe tolerabilius habetur carere bono,

ad naturæ conſervationem non adeo neceſſario, quàm excipere malum, ad naturæ deſtructionem tendens.

§. XV. 4. Denique, uti dantur certi MORBI, qui uſum rationis in perpetuum, aut ad tempus, planè tollunt: ita, multas apud nationes frequens eſt, homines ſibi ultrò arceſſere morbi quoddam genus brevi tranſiens, uſum rationis non parùm perturbans. Quo innuimus EBRIETATEM, ex certis potulentorum generibus, ac quibuſdam fumis, provenientem; quæ violento motu ſanguinem ac ſpiritus impellit & turbat, ac ad libidinem imprimis, iram, temeritatem, & enormem lætitiam, homines proclives reddit; ſic ut multi velut extra ſe per ebrietatem rapti videantur, & diverſum planè genium induiſſe, quàm quô ſobrii conſpiciebantur. Hæc tamen, uti non ſemper omnem uſum rationis ſequeſtrat; ita, quatenùs ultrò arceſſita eſt, odium potiùs quàm favorem actionibus per eandem ſuſceptis conciliare apta eſt.

§. XVI. Porrò, actiones humanæ, uti *Voluntariæ* ſolent vocari, quatenùs à voluntate proficiſcuntur & diriguntur; ita, ſi quæ reluctante voluntate ſcienter ſuſcipiuntur. INVITÆ (1) adpellantur, preſſiùs ſumpto

 hocce

§. XVI. (1) Actiones *invitæ per vim*, ſive *coactæ*, dicendæ ſunt potiùs *Paſſiones*, ut rectè notavit Vir Cl. *Ger. de Vries, Determ. Pneum.* Sect. II. Cap. VII. §. 6.

hocce vocabulo. Nam latiùs, id acceptum etiam illas comprehendit, quæ per *Ignorantiam* patrantur. *Invitum* autem nobis hoc loco idem notat, quod *Coactum*; quando nempe quis ab extrinſeco principio validiore adigitur membra ſua adplicare, ita ut averſationem & diſſenſum ſuum ſignis, ac præcipuè renitentiâ corporis, ſignificet. Minùs autem propriè *Invita* & illa dicuntur, quando, incumbente graviore neceſſitate, aliquid tanquam minùs malum eligitur, & ſuſcipitur, abs quo aliàs homo, extra neceſſitatem conſtitutus, vehementer abhorrebat. Quales actiones vulgò *Mixtas* vocant. Hæ cum ſpontaneis illud habent commune, quod voluntas pro præſenti ſtatu eas utique eligat, tanquam minus malum. Cum invitis autem aliquatenùs quoad effectum conveniunt, quod vel planè non (2), vel non ita graviter uti ſpontaneæ, ſoleant agenti imputari.

§. XVII. Cæterùm actionum humanarum, quæ ab intellectu & voluntate proficiſcuntur & diriguntur, hæc eſt præcipua Affectio, quod illæ homini poſſint Imputari,

§. 6. Ubi etiam de Actionibus *invitis per ignorantiam*, & *mixtis*, non minùs rectè pronunciat idem Auctor; in iſtis, id quod invitum dicitur, eſſe caſum duntaxat actioni, præter intentionem, accidentem; has verò, eſſe actiones verè liberas, utpote ex prævia electione ſuſceptas, etſi junctas cum velleitate in oppoſitum.

(2) Vid. infra *Obſerv.* in §. 24.

TARI, ſeu quòd homo pro earum Auctore rectè poſſit haberi, ac ad reddendam de iiſdem rationem adſtringi; quodque in ipſum redundent effectus, qui ex iſtis proveniunt. Nulla enim propior ratio eſt, quare alicui actio quæpiam imputari poſſit, quam quia ab iſto ſciente & volente, mediatè aut immediatè, profecta eſt; ſeu quia penes ipſum fuit, ut fieret vel non fieret. Hinc axiomatis primarii loco, in diſciplinis moralibus ad forum humanum ſpectantibus, habetur, quòd DE ILLIS ACTIONIBUS RATIONEM POSCI QUEAT HOMO, QUÆ UT FIANT VEL NON FIANT, PENES IPSUM EST. (1) Seu,

§. XVII. (1) Quæ per ſe ſunt penes hominem, ut fiant vel non fiant, ſunt ipſæ ejus actiones & omiſſiones *liberæ*, quales eas definivimus *Suppl.* I. §. 11. & *Obſ.* in hujus Cap. §. 10. *Indifferentiam* aliquam ſi quis omnino hûc pertinere velit; patet, in notione *Libertatis dd. ll.* definitâ, hanc indifferentiam contineri, quòd Agens *non aliter determinetur ad agendum, vel non agendum, quam quatenus determinatur ad volendum, vel non volendum*: cui & hoc adnexum eſſe in homine [& forte in quovis Agente libero creato] non inficiamur; quòd, *ſi meram ejus eſſentiam ſpectemus, ad utrumvis duorum determinari poſſit.* Si verò ultra indifferentiam hîc explicatam, alia aliqua ad effectum imputationis in *foro humano* requiratur; ea hoc ſolum includit, quod *Homo in talibus circumſtantiis conſtitutus* [quouſque hæ ab hominibus ante ipſum eventum cognoſci poſſunt] *ſine ſupernaturali Numinis interventu, ad utramvis partem eligendam poſſit determinari*: ſed neque hoc in *foro divino* requiritur. Porrò, cum ad actualem im-

Seu, quod eodem recidit; quòd *quælibet actio, directionis humanæ capax, quam penes aliquem eſt fieri vel non fieri, ipſi queat imputari. Sic & contrà, nemo pro auctore ejus actionis haberi poteſt, quæ penes ipſum, neque in ſe, neque in ſua cauſa, fuit.* (2)

§. XVIII.

imputationem, requiratur etiam Lex, ita promulgata, ut ab Homine ritè attendente cognoſci, & cognita, eum ſi modò rationes ſuas rectè inſtituat, ad Legis obedientiam movere, queat; quo ſenſu utrumque horum, intuitu tum Divini, tum Humani fori, intelligi debeat, indicavimus ſuprà, *Obſerv.* in §§. 4. & 10.

(2) Quod attinet ad liberarum noſtrarum actionum vel omiſſionum conſequentia, quæ Auctori dicuntur eſſe *penes nos in ſua cauſa;* hæc, non tam ipſa nobis imputantur in foro DEI, quàm actionis vel omiſſionis præcedentis, ex quâ fluunt, moralitatem, atque adeo imputationem, ingrediuntur; idque, non prout actu eveniunt, ſed prout probabiliter eventura expectari poterant: quin & iſtam moralitatem tum demum determinant, ſi gravioris momenti rationibus, ab altera parte ponderantibus, non præſentet. Confer *Suppl.* I. §§. 15. 16. In foro autem humano, ubi non ita ad vivum omnes rationes reſecantur, & innumeræ actiones & omiſſiones non priùs imputantur, quàm earum conſequentia eveniunt; ſolent antecedens Actio, vel Omiſſio, & Commodum, vel Damnum, quod ita inde fluit, ut illius moralitatem ſupponatur determinare, junctim conſiderari, ut una moralis Actio, vel Omiſſio, homini in bonam vel malam partem imputabilis, prout Commodi iſtius procurandi, vel damni evitandi, cauſâ, ſic, vel ſecùs, agendum fuerat. Atque ſecundùm hanc Obſervationem, judicandum eſt, de iis quæ ſuprà ad fin. §. 8. & infrà §§. 20. & 23. de Ignorantia, Imbecillitate, &c. in cauſa ſua voluntariis, ab Auctore traduntur.

§. XVIII. Ex hiſce præmiſſis, aliquot particulares formabimus propoſitiones, unde conſtet, quid cuique imputari, ſeu cujus actionis, eventûſque, auctor quiſque poſſit haberi.

Primò. *Actiones ab alio potratæ, ut & operationes quarumvis aliarum rerum, nec non quivis eventus, non poſſunt alteri imputari, niſi quatenùs ille poteſt & tenetur iſtas moderari.* Nihil quippe eſt frequentius inter homines, quàm ut uni commiſſum ſit alterius actiones dirigere. Heîc igitur, ſi actio aliqua ab altero ſit patrata, circa quam iſte omiſit, quod penes ſe erat; actio illa imputabitur, non ſolùm ei qui immediatè ipſam patravit, ſed etiam iſti, qui ex debita & poſſibili directione aliquid omiſit. Habet tamen ea res ferè ſuum modum finemque, ſic ut illud *poſſibile*, cum aliquo velut temperamento (1), & moraliter, ſit intelligendum: Cum per quamcunque ſubjectionem unius ſub altero, ſubjecti tamen libertas non extinguatur, quin alterius directioni reniti, & in diverſa tendere, poſſit; nec vitæ humanæ indoles ferat, ut quis uni perpetuò velut affixus, omnes iſtius motus obſervare queat. Igitur, ſi

§. XVIII. (1) Temperatur ſatis per alteram vocem, *Debita*: cui æquipollet verbum ſuperiùs poſitum, *Tenetur*: quæ limitationes ideo tantùm hîc ſunt neceſſariæ; quia agitur de imputabilitate ad eandem ſpeciem moralitatis, ſive de ea quæ præcedentis actionis vel omiſſionis moralitatem determinat. Vid. *Suppl.* I. §. 16.

ſi quis omnia fecit, quæ directionis ſibi injunctæ natura ferebat, ubi nihilominùs quid ab altero patratum fuit, patranti ſoli imputabitur.

Sic, poſtquam in animalia homines dominium exercent, quæ per illa in alterius detrimentum facta ſunt, domino imputabuntur, ſiquidem is ex debita cuſtodia & circumſpectione aliquid neglexit.

Sic & quævis mala, quæ alteri obtingunt, imputari iſti poſſunt, qui eorum cauſam & occaſionem, cum poſſet & deberet, non ſubtraxit. Sic, cum multarum rerum naturalium operationes promovere, aut ſuſpendere, ſit penes homines; quod ab hiſce commodi vel damni datum ſit, iſtis imputabitur, quantum eorundem opera vel neglectus ad id momenti attulit.

Aliquando etiam præter ordinem, imputantur alicui eventus tales, qui aliàs ſupra humanam directionem ſunt, quatenùs intuitu certi hominis iſtos divinum Numen peculiariter procuravit.

Extra hoſce & ſimiles caſus, ſufficit, ſi de propriis Actionibus rationem quis poſſit reddere.

§. XIX. Secundò. *Quæcunque in quolibet homine ſunt, vel non ſunt, quæ penes ipſum non fuit* (1), *ut adeſſent vel non adeſſent, non poſſunt ipſi*

§. XIX. (1) Hæc phraſis, & quæ huic æquipollent, quo diverſo ſenſu intelligi debeant, prout ad forum Divinum, vel Humanum applicantur; Vid. *Obſ.* 1. in §.17. & quæ illic citantur. *Obſervationes* in §§.4. & 10.

ipſi imputari, niſi quatenùs per induſtriam naturalem defectum non ſupplevit, aut nativas vires non adjuvit. Sic, cum perſpicaciam ingenii, viresque corporis, nemo ſibi præſtare poſſit, nemini quoque eo nomine imputari quid poterit, niſi quantùm culturam adhibuit, aut adhibere neglexit. Sic, non ruſtico, ſed urbano atque aulico, horridi mores vitio vertuntur. Unde & valdè abſurdæ ſunt judicandæ exprobrationes ejusmodi qualitatum, quarum cauſa penes nos non fuit, v. g. brevis ſtaturæ, formæ parùm felicis, & ſimilium.

§. XX. Tertiò. *Quæ per ignorantiam invincibilem* (1) *patrantur, imputari non poſſunt.* Quia neque dirigere actionem poſſumus, ubi intellectûs lumen non prælucet; & præſupponitur, tale lumen ſibi hominem non potuiſſe comparare, neque quo minùs poſſet, in culpa fuiſſe. Quin & in vita communi τὸ

§. XX. (1) Contendit Cl. *Titius*, inprimis hîc diſtinguendum eſſe inter Ignorantiam *Concomitantem & Efficacem*, (vid. ſuprà §. 8.) illam quippe, licèt invincibilem, non impedire imputationem. Ego quidem facilè largior, eum, qui invincibiliter ignorans damnum fecit, quod etiam ſciens fuiſſet facturus, ob malignam iſtam animi diſpoſitionem, peccato obſtringi in foro DEI; minimè verò ob illatum damnum, quod invincibiliter ignorabat cum facto connecti, ad quod ſuſcipiendum, ſatis gravibus, ut nunc ſuppono, rationibus permotus fuerat. Fruſtrà objicit V. C. Ignorantiam Concomitantem extra negotium verſari, atque ideo nihil poſſe mutare in ejus moralitate: nam contrà, actionis circumſtantia, quæ invincibiliter ignoratur, nullam ei moralitatem poteſt dare. Vid. *Suppl.* I. §. 15.

τὸ poſſe moraliter accipitur, pro illa facultate, ſolertia, & circumſpectione, quæ vulgò ſufficere judicatur, & quæ probabilibus rationibus ſubnixa fuit.

§. XXI. Quartò. *Ignorantia, ut & error, circa leges & officium cuique injunctum, ab imputatione non liberat.* Nam qui leges & officium alicui injungit, efficere ſolet & debet, ut in notitiam ſubjecti illæ perveniant. Et ad ſubjecti captum leges ac regulæ officii attemperari ſolent & debent; circa quas cognoſcendas & retinendas quemlibet ſolicitum eſſe oportet. Unde qui eſt cauſa ignorantiæ, reſpondere etiam tenebitur de iis actionibus, quæ ex illa ignorantia promanant.

§. XXII. Quintò. *Cui occaſio agendi citra ſuam culpam deeſt, illi non imputatur, quod non egerit.* Videtur autem occaſio quatuor hæcce complecti; 1. ut *objectum* actionis ſit in promptu; 2. ut adſit commodus *locus*, ubi non poſſimus ab aliis impediri, aut malo aliquo multari (1); 3. ut adſit opportunum *tempus*, quo non ſint obeunda negotia magis neceſſaria, quodque item aliis, qui ad actionem concurrunt, ſit opportunum; ut denique, 4. naturales agendi *vires* ſuppetant. Citra iſthæc enim cum actio fieri nequeat, etiam abſurdum fuerit, ſi alicui imputetur, ad

§. XXII. (1) Quòd poſſimus malo aliquo mulctari, non tollit obligationem ad officium alioquin debitum, ſi præſens ejus præſtatio (quod aliquando contingit) ſit majoris momenti quàm iſtud malum.

ad quod agendum occaſio defuit. Sic, medicus ſegnitiæ non poteſt argui, ſi nemo ægrotet. Sic, liberali eſſe non conceditur, qui ipſe indiget. Sic, talentum ſuum defodiſſe argui nequit, cui ritè ambienti ſtatio denegata fuit. Et cui multum datum fuit, ab eo multum repetetur. Sic non poſſumus ſimul ſorbere & flare.

§. XXIII. Sextò. *Non poteſt quoque alicui imputari, quod non præſtiterit ea, quæ vires ipſius excedunt, neque per eas prohiberi aut effici poſſunt.* Inde vulgò *impoſſibilium nulla eſſe obligatio* dicitur. Addendum tamen, *modo quis ſuâ culpâ vires præſtandi non detriverit, aut perdiderit* (1). Hic enim eodem modo tractari poteſt, atque ſi vires adhuc obtineret: cum aliàs facilis eſſet via, quamvis obligationem paulò laborioſiorem eludendi, ultrò corruptis præſtandi viribus.

§. XXIV. Septimò. *Imputari quoque non poſſunt, quæ quis coactè patitur, aut agit.* Talia enim amoliri aut defugere, ſupra ipſius vires poſitum intelligitur. *Cogi* autem dicimur duplici modo: uno, quando alius valentior per violentiam noſtra membra ad aliquid agendum aut patiendum adplicat: altero, ſi potentior grave aliquod malum cominùs intentet (1), (idque ſtatim repræſentandi

D facul-

§. XXIII. (1) Vide hîc quæ adnotavimus in fine Obſerv. 2. in §. 17.

§. XXIV. (1) Hic ſecundus cogendi modus, cum non impediat, quo minùs actio ſit verè libera, id eſt,

facultatem habeat) niſi ultrò nos ad aliquid faciendum moveamus, aut à faciendo abſtineamus. Tunc enim, niſi expreſsè obligemur, id quod alteri eſt inferendum noſtro malo redimere, is qui eam nobis neceſſitatem adfert, pro auctore facinoris habebitur; nobis autem non magis factum iſtud imputari poterit, quàm gladio aut ſecuri cædes.

§. XXV. Octavò. (1) *Eorum, qui rationis uſu deſtituuntur, actiones non imputantur.* Quia, quid agatur, liquidò dignoſcere, & ad normam comparare, nequeunt. Et hùc ſpectant actiones *infantum*, antequam uſus rationis paulò diſtinctiùs ſeſe incipit exſerere. Quòd enim iſti propter quaſdam actiones increpantur,

per voluntatis imperium hic & nunc ſuſcepta; neque ejus imputationem poteſt impedire. Utrum excuſet actionem, & reddat bonam, quæ alioquin fuiſſet mala, eſt alia quæſtio: ſed neque hoc eſt admittendum in foro DEI, circa actiones, quibus Numinis reverentia directè violatur, alterius hominis jus perfectum læditur, aut aliter, nobis, vel aliis immerentibus, noxa infertur, major præſertim vel æqualis, in iis de quibus libera diſponendi facultas homini non competit, ut in vita & membris. Alias verò pleraſque actiones, licèt extra eum caſum minimè exercendas, intentatum gravius malum poteſt reddere neceſſarias: eas etiam quas in foro Divino non excuſat, ſæpe plurimum extenuat; earumque imputationem in foro Humano plerumque tollit, ſi malum repræſentatum ejusmodi fuerit, cujus terror in gravem & conſtantem Virum poſſit cadere.

§. XXV. (1) Doctrina hujus & ſequentis §. ad forum magis Humanum, quàm Divinum, eſt accommodata: ut patebit expendenti *Obſerv.* in §. 17. & duas alias *Obſerv.* illic citatas.

pantur, aut verberantur, id non ideo fit, quaſi in foro humano pœnam propriè dictam meriti ſint; ſed per modum nudæ emendationis, & diſciplinæ, ne per talia moleſtiam aliis faceſſant, aut ne pravam adſuetudinem contrahant. Sic & *furioſorum*, *mente motorum*, & *delirorum*, actiones pro humanis non habentur, quibus quidem citra ſuam culpam iſte morbus provenit.

§. XXVI. Nonò. Denique, *imputari non poſſunt, quæ quis in ſomniis agere ſibi videtur:* niſi quatenùs talibus interdiu cogitandis cum delectatione immoratus, eorum imagines animo altè impreſſit: etſi & hæc rariſſimè in foro humano attendantur. Aliàs enim, phantaſia in ſomno eſt veluti cymba ſine rectore fluitans, ſic ut penes hominem non ſit præſtare, qualia viſa iſthæc effingat.

§. XXVII. Circa imputationem autem *actionum alterius*, paulò diſtinctiùs obſervandum, quod aliquando quidem contingat, ut *actio ei, qui immediatè eam patravit, planè non imputetur* (1), *ſed alteri, qui hôc tantùm velut inſtrumento uſus eſt.* Sed frequentius eſt, ut

 & ei

§. XXVII. (1) Hoc nunquam eſt admittendum in iis actionibus, in quibus homo, quacunque neceſſitate adactus, ſuæ voluntatis imperium interponit. Verum quidem eſt, has non ſemper immediatè patranti imputari, ad eandem ſpeciem (nedum gradum) moralitatis, ac ſi ipſe ultrò eas ſuſcepiſſet: quod ſolum hîc, & paſſim ubi talium imputationem negat, velle videtur Auctor: ſed neque hoc ipſum extendi debet ad iſtas actiones, quas diximus, *Obſervat.* in §. 24. ſecundo coactionis genere excuſari non poſſe.

& ei qui actionem patravit, & alteri, qui ad eandem agendo quid vel omittendo concurrit, illa ſimul imputetur. Id quod fit triplici potiſſimùm modo (2); vel ut alter *principalis cauſa* actionis, patrator *minùs principalis*, habeatur; vel ut uterque pari velut paſſu ambulet; vel ut alter minùs principalis, patrator principalis cauſa ſit.

Ad primam claſſem pertinent, qui alterum auctoritate ſuâ ad quid permoverunt; qui conſenſum requiſitum adhibuerunt, citra quem alter agere non poterat; qui poterant & debebant prohibere, & non fecerunt.

Ad ſecundam claſſem pertinent, qui mandant, aut ad facinus patrandum conducunt; qui adjuvant; qui receptum & defenſionem præ-

(2) Trimembri huic diſtinctioni explicandæ plurimam navat operam Cl. *Barbeyracius*; qui tamen, neſcio, an ſatis liquidò diſcernat inter ſecundum atque tertium membrum. Siquidem res alicujus momenti videatur (quamdiu non præcisè definiuntur morales effectus, qui diverſis hiſce generibus alligantur; imo dum quæritur, ut vult Cl. Annotator, non de gradibus malitiæ, ſed momenti quod ad actionem confertur) poterit quis diſtinguere; utrùm id quod agitur, absque causâ remotâ non fuiſſet, actum, fuiſſet absque hâc causâ proximâ; an verò, alterutrâ partem ſuam ſubtrahente, non fuiſſet actum; an denique, absque hâc causâ remotâ fuiſſet actum, non absque hâc proximâ; ut cauſa remota, in illo caſu, dicatur *Principalis*; in iſto, *Collateralis*; in hôc, *Subalterna.* Ubique per illam *partem* cauſæ remotæ, absque quâ idem fuiſſet, vel non fuiſſet, actum, intelligo, vel actionem ejus, vel omiſſionem, prout per illam, vel hanc, ad alterius factum concurrit.

præſtant; qui, cum opem ferre injuriam patienti poſſent & deberent, non fecerunt.

Ad tertiam claſſem referuntur, qui Conſilium ſpeciale (3) dant; qui laudant & aſſentantur ante patratum facinus; qui exemplo ſuo ad peccandum accendunt, & ſimiles.

(3) Imo generale Conſilium, licèt jure Civili non fundet actionem furti, vel condictionem furtivam, videtur tamen parere jure Naturali obligationem ad reſtituendum (de quâ infra) quousque reverà fuit in cauſa damni illati. Sed neque ipſa naturalis ad reſtituendum obligatio, pari paſſu ambulat cum imputatione in foro DEI: illa enim, ex damno quod actu ſequitur, & momento quod ad illud inferendum actio contulit, æſtimatur; hæc verò, præter actionis in ſe ſpectatæ enormitatem, ex damno probabiliter eventuro, quousque ejus eventuri probabilitas actioni fuit adnexa, definitur. Vid. *Suppl.* I. §. 15.

CAPUT II.

De Norma Actionum Humanarum, ſeu de Lege in genere.

§. I. *Actiones humanæ norma indigent.* II. *Lege ſcil. quæ deſcribitur.* III. *Obligatio, ex Lege oriunda, quid?* IV. *Homo ſuâ naturâ eſt obligationis capax.* V. *Obligatio omnis introducitur à ſuperiore.* VI. *Requirit notitiam Legis & Legislatoris.* VII. *Legis partes duæ, præceptum & comminatio.* VIII. *Materia Legis eſſe debet poſſibilis & utilis.* IX. *Diſpenſare, quid? quis poſſit? quâ cautelâ?* X. *Æquitas, quid? & quare neceſſaria?* XI. *Actio per Legem licita, bona, mala.* XII. *Juſtitia actionis, & perſonæ: hæc quæ?* XIII. *Illa quæ? & quid ab ejus bonitate differat?* XIV. *Juſtitiæ diviſiones vulgares.* XV. *Injuſtitia, injuria, culpa, quæ?* XVI. *Lex divina, humana, naturalis, poſitiva.*

 QUIA

QUIA actiones humanæ à voluntate dependent, voluntates autem ſingulorum non ſemper ſibi ſimiles, & diverſorum in diverſa ferè tendere ſolent: igitur ad ordinem & decorem in genere humano conſtituendum, neceſſarium fuit normam aliquam exiſtere, ad quam iſtæ componerentur. Aliàs enim, ſi in tanta voluntatis libertate, tantaque inclinationum & ſtudiorum diverſitate, quisque, citra reflexionem ad certam normam, ageret quod ipſi in mentem veniret, non poterat non maxima confuſio in genere humano exiſtere (1).

§. II. Norma illa vocatur LEX, quæ eſt *Decretum, quo ſuperior ſibi ſubjectum obligat* (1). *ut ad iſtius præſcriptum actiones ſuas componat.*

§. III.

§. I. (1) Rectè hic oſtendit Autor, ad humani generis incolumitatem pertinere, ut certâ regulâ hominum actiones contineantur; idemque latiùs illuſtrat, *J. N.* & G. Lib. II. Cap. I. quòd verò tali regulæ actu ſubjiciatur homo, ex ipſius DEI perfectionibus ſummis, ex Hominis rationali naturâ, & omnimodâ hujus ab illo dependentiâ, evinci oportet. Confer *Suppl.* I. ab initio.

§. II. (1) Minùs neceſſariò hanc definitionem reprehendunt Cl. Viri, *Titius* & *Barbeyracius*, ut non ſatis generalem; contendentes, præter Leges *obligantes*, dari etiam Leges purè *permittentes*: perperam ſaltem ad id confirmandum addunt, è Legibus purè permittentibus omnia Jura pullulare. Nam contrà, cum Jura & Obligationes, fatentibus Cl. Viris, pari paſſu ambulent, & ſint correlata, quorum proprietas eſt quod ſimul ponantur & tollantur;

eadem

§. III. Hæc definitio, ut eò melius intelligatur, evolvendum eſt, quid ſit *Obligatio*; unde ea oriatur; quis obligationem recipere; & quis eandem alteri injungere; queat?

Vulgò igitur OBLIGATIO dicitur, *vinculum juris, quô neceſſitate adſtringimur alicujus rei præſtandæ.* Scilicet, injicitur per eam quaſi frænum aliquod noſtræ libertati, ut, quamquam de facto voluntas in diverſum tendere queat, intrinſeco tamen per eadem velut ſenſu imbutam ſe deprehendat, ut, ni præſcriptæ normæ conformis ſit actio edita, non rectè (1) ſe egiſſe cogatur agnoſcere. Adeoque, ſi quid mali eo nomine homini eveniat, non immeritò id ſibi accidere judicet, cum normam, prout par erat, ſequenti iſtud evitâſſe licuerit.

eadem lex, quæ alicui jus tribuit adversùs alios validum, iſtis aliis eo ipſo correſpondentem imponit obligationem: Confer *Grotiùm*, *Lib. I. Cap. I.* §. 9. Neque ad meram *Licentiam*, quæ talem obligationem non includit, cujusmodi eſt Hobbianum *Jus naturale omnium ad omnia*, ulla lex, ſed omnium potiùs legum exilium, ſupponi debet, Nec tamen diffiteor, ut obligatio per legem priùs impoſita ſolvatur, ſæpe intervenire expreſſum actum ejus qui legem priorem ſimpliciter abrogans, *Legis* nomine venire ſolet; num ſatis propriè, non eſt operæ pretium diſputare.

§. III. (1) Non *recte* ſc. intuitu *Superioris*, qui eſt Auctor Legis. Vide infrà, §. 5. Nullam interim ſatis claram ac dilucidam *moralis rectitudinis* ideam habere poſſumus, niſi eam ultimò referamus ad *Divinam*

§. IV. Quòd autem *homo aptus ſit ad recipiendam obligationem*, duplex cauſa eſt: una quidem, quia is *voluntatem* habet, quæ ſeſe in diverſas partes flectere, adeoque & ad normam componere, poteſt: altera, quia homo *à poteſtate Superioris non eſt immunis.* Nam, ubi alicujus agentis vires per naturam ad uniformem agendi modum ſunt alligatæ (1), ibi libera actio fruſtrà expectatur: iſtique incaſſum præſcribitur aliqua norma, qui eam neque intelligere, neque ad eandem ſeſe componere, poteſt. Si quis autem non agnoſcat ſuperiorem, eo ipſo nemo exiſtit, qui neceſſitatem eidem jure queat injicere. Et ſi maximè is in agendo certam rationem obſervet, & à quibusdam actionibus conſtanter abſtineat; id tamen non

nam Legem; cujus idcirco, (ut adæquatæ omnis moralitatis normæ ac menſuræ) notionem, in ipſo limine ſtabiliendam cenſuimus. Vid. *Suppl.* I. §. 10. & *Obſ.* in *d.* §. 5. *infra*. De *Lege* in genere non adeò multùm attinet hic tractare: Leges enim humanæ (præterquam quod earum vis obligans, non niſi multò inferiùs, in hujus Diſciplinæ ordine ſit demonſtranda) ſatis commodè conſiderari poſſunt, inter innumeras alias circumſtantias, pro quarum diverſitate, ipſa Lex Divina diverſa à nobis officia exigit.

§. IV. (1) Confer hic quæ dicta ſunt *Obſerv.* in *præced. Cap.* §§. 9, 10, & 17. Hoc certum eſt, incaſſum iſti Agenti legem præſcribi, quod vel eam non omnino poteſt cognoſcere, vel per naturam ſuam ita ad certum agendi modum eſt alligatum, ut legis conſideratione moveri nequeat, ad illud, per determinationem voluntatis, agendum, quod abſque lege non ageret.

non ex obligatione aliqua, ſed ex proprio beneplacito, facere intelligitur. Sequitur ergo, ut ille obligationis ſit capax, qui & ſuperiorem habet, & normam præſcriptam poteſt cognoſcere, & voluntatem habet in diverſa flexilem; quæ tamen, ubi norma per ſuperiorem fuerit præſcripta, ſentiat ſe ab ipſa non rectè diſcedere, Quali naturâ hominem præditum adparet.

§. V. Introducitur obligatio in animum hominis propriè *à Superiore*, i. e. tali, cui non ſolùm *vires* (1) ſunt malum aliquod repræſentandi contranitentibus? ſed & cui *juſtæ* ſunt *cauſæ*, quare poſtulare queat, ex ſuo arbitrio voluntatis noſtræ libertatem circumſcribi. Talia enim, ubi in aliquo fuerint, poſtquam quid velit ſignificavit, neceſſum eſt in animo hominis oriri metum reverentiâ temperatum: illum quidem ex potentia; hanc autem ex conſideratione cauſarum, quæ etiam remoto metu allicere aliquem debebant ad iſtius voluntatem amplectendam. Qui enim nullam rationem

 alle-

§. V. (1) *Superior* is eſt, cui *juſtæ* ſunt cauſæ, cur ab altero ſub pœnæ comminatione poſtulare queat, ut ex illius arbitrio, hic ſuæ voluntatis libertatem circumſcribat. Is autem, vel DEUS eſt, cui vires deficere nunquam poſſunt; vel aliquis cui à DEO, immediatè vel mediatè, hæc poteſtas eſt conceſſa; & cui, ſi fortè aliquando non ſint in ſua manu ſufficientes ad hunc effectum vires, Divina potentia quaſi adſtare intelligitur, ad pœnam à contranitentibus exigendam parata.

allegare novit, quare mihi invito obligationem velit impingere, præter ſolas vires, is terrere quidem me poteſt, ut effugiendo majori malo ipſi tantiſper parere ſatius ducam; ſed eo metu remoto, nihil ampliùs obſtat, quô minus meo potiùs quàm illius arbitrio agam. Contrà, qui rationes quidem habet, quare ego ipſi parere debeam, à viribus tamen malum aliquod mihi imponendi deſtituitur, ejus juſſa impunè à me poſſunt negligi, ni potentior aliquis hujus auctoritatem proculcatam adſertum eat.

Rationes autem, quare quis rectè poſtulare queat, ut ab altero ſibi obtemperetur, ſunt, (2) ſi ab iſto in hunc inſignia quædam bona ſint profecta; ſi conſtiterit, iſtum & bene huic velle, & rectiùs, quàm ipſe valet, eidem proſpicere poſſe; ſimulque, ſi actu iſte hujus directionem ſibi vindicet; &

(2) Rationes ab Auctore hìc adductæ, præter ultimam (quæ non originariam ſed derivatam duntaxat poteſtatem fundat) haud ſatis ſunt validæ, ſive ſeorſim, ſive conjunctim, intelligantur. (Confer *J. N. & G. Lib. I. Cap. VI.* §. 12.) Rectiùs itaque dicemus, *Originariæ* poteſtatis, quæ ſoli DEO convenit, rationem eſſe petendam, ab *infinita DEI perfectione, noſtrique & omnium rerum, ab eo, tanquam prima & independente cauſa, omnimoda dependentia*: *derivatæ* autem poteſtatis, primam radicem eſſe *Legem DEI*, quâ uni Homini facultatem concedit imperandi alteri; ſed plerumque certis ipſorum hominum actibus intervenientibus, præcipuè eo, qui in ultima hujus §. clauſula memoratur, quòd ſc. *Quis ultro alteri ſe ſubjecerit, & in ipſius directionem conſenſerit.*

& denique, ſi quis ultrò alteri ſeſe ſubjecerit, & in ipſius directionem conſenſerit.

§. VI. Cæterum, ut lex vim ſuam, in animis eorum quibus fertur, exſerere poſſit, requiritur *Cognitio*, tum *Legiſlatoris*, tum ipſius *Legis* (1). Nemo enim obedientiam præſtare valebit, ſi neque cui parere debeat, neque ad quid teneatur, noverit.

Et *Legiſlatoris* quidem cognitio eſt facillima. *Legum* quippe *naturalium* eundem eſſe auctorem, qui univerſi, ex lumine rationis conſtat Nec civis ignorare poteſt, quis in ipſum imperium obtineat.

Leges porro *naturales* quomodo innoteſcant, paulò poſt exponetur, *Civiles* autem *Leges* per *promulgationem* publicè & perſpicuè factam in ſubjectorum notitiam perveniunt. In qua de duobus conſtare debet; tum quòd lex eum habeat auctorem, penes quem ſummum in civitate eſt imperium; tum quæ ſit legis ſententia. Prius cognoſcitur, ſi vel ipſe legem ſua voce promulget, vel autographo conſignet; vel ſi id fiat per ipſius delegatos: Quorum auctoritas

§. VI. (1) Ut Lex actu moveat ad obedientiam, requiritur actualis horum cognitio: ſed ut obligationem imponat, ſufficit hæc idoneis iudiciis fuiſſe ſignificata. Vid. *Supp.* I. §. 13. Sub cognitione autem *Legislatoris*, hoc ſolum includere videtur Auctor; quòd ille Homo, vel Cœtus, in nos imperium, ſeu Lege jubendi poteſtatem, habeat: quod enim eundem data quævis Lex Auctorem agnoſcat, refert infrà ad cognitionem *Legis*.

tas fruſtra in dubium vocatur, ſi conſtet, hoc cum munere, quod in civitate gerunt, eſſe conjunctum, & ipſos regulariter ad idem adhiberi; ſi iſtæ leges in uſum judiciorum deducantur; ſi nihil contineant, quod ſummo imperio deroget. Ut autem *ſententia legis* rectè percipiatur, promulgantibus incumbit, quantâ fieri poteſt perſpicuitate uti. Si quid in legibus obſcurum occurrat, ejus declaratio petenda abs legislatore, aut illis, qui ad jus ſecundùm leges dicendum publicè ſunt conſtituti.

§. VII. Cujuslibet *Legis perfectæ duæ partes* ſunt: una, per quam definitur, quid ſit faciendum, quidve omittendum; altera, per quam indicatur, quodnam malum ſit propoſitum (1) ei, qui præceptum intermittit, & interdictum facit. Nam uti, propter pravitatem ingenii humani, in vetita tendere amantis, ſupervacuum eſt dicere, *Hoc fac*, ſi non facientem nil mali ſit manſurum; ita, abſurdum eſt dicere,

Pœnas

§. VII. (1) Non eſt hoc ita intelligendum, quaſi in omni Lege poſitiva, expreſſam pœnæ mentionem fieri, eſſet neceſſe: ubi enim, is qui imperandi jus habet, voluntatem ſuam, obligandi animo, ſignificavit Subditis; ibi, contrà facientibus pœnam eſſe infligendam, intelligi ſemper debet: quæ verò, & quanta illa ſit; ſi neque in ipſa lege determinetur, neque ex aliarum legum analogia, vel uſu in ſimilibus caſibus recepto, liquidò colligi poſſit; ipſius Imperantis, vel etiam, in foro humano, Judicis arbitrio, ſed intra certum modum, definiendum relinquitur.

Pœnas dabis, ni cauſa, quæ pœnam mereatur, præceſſerit.

Sic igitur, omnis *vis legis* conſiſtit in ſignificando eo, quid ſuperior à nobis fieri velit, vel non velit, & quæ pœna violatoribus legis ſit conſtituta. *Vis* autem *obligandi*, i. e. intrinſecam neceſſitatem adferendi, & *vis cogendi*, ſeu per pœnas ad obſervationem legum adigendi, propriè eſt in legislatore, & cui legum cuſtodia atque executio eſt commiſſa.

§. VIII. Illud *quod per leges alicui injungitur*, debet non ſolùm *intra vires* (1) *eſſe illius, cui leges feruntur*, ſed & *utilitatem aliquam afferre* (2), ſive illi ipſi, ſive aliis. Nam, uti ſub comminatione pœnæ aliquid exigere velle ab aliquo, quod eſt & ſemper fuit ſupra ipſius vires poſitum, abſurdum & crudele fuerit; ita ſupevacuum eſt naturalem voluntatis libertatem conſtringere, ſi nulla in quenquam utilitas inde proveniat.

§. IX.

§. VIII. (1) Vide poſteriorem partem *Obſervationis* in §. 10. *præced. Cap.* & confer *Suppl.* I. §§. 11. & 12.

(2) Certum eſt, à DEO nihil præcipi, quod non ſit ſummæ rationi maximè conſonum, & illi ipſi cui præſcribitur, ſæpe etiam aliis, utiliſſimum. Hoc interim Auctoris monitum, ad Homines potiùs legum conditores pertinet: quorum intuitu & tertiam conditionem haud immeritò addit *Barbeyracius*, *ut* nempe *id quod præcipitur ſit juſtum.*

§. IX. Quamquam autem regulariter Lex omnes legiſlatoris ſubditos *complectatur*, *in quos materia legis quadrat*, & quos legiſlator ab initio exemptos non voluit; interdum tamen contingit, ut ab obligatione legis aliquis peculiariter ſolvatur. Id quod DISPENSARE (1.) vocant. Uti tamen *diſpenſare* ille tantùm poteſt, cui legem ferendi & abrogandi poteſtas competit; ita cavendum, ne promiſcuâ, & citra graviſſimas cauſas factâ, diſpenſatione, auctoritas legum convellatur, & invidiæ atque

§. IX. (1) Diſpenſatio in utraque legis parte habet locum; ſed ſæpiùs in ſanctione pœnali; de quo Diſpenſationis genere, vide *Grot de J. B. & P. Lib. II. Cap. XX.* §§. 25, 26. Celebris eſt quæſtio. Utrùm in Legibus naturalibus locum habere poſſit *Diſpenſatio*? Quin DEUS aliquando, poſitivâ ſuæ voluntatis declaratione, illud juſtum fecerit, quod alioquin jure naturali fuiſſet injuſtum, & contrâ; dubitari nequit: haud ab re tamen plurimi, in his caſibus, de ullo Juris naturalis præcepto DEUM diſpenſâſſe, negant; contendentes, à DEO, non ut Legiſlatore, ſed ut ſummo omnium rerum creatarum Domino, vel ſupremo Judice, objecti conditionem fuiſſe ita variatam, ut id jam Lege naturali præciperetur, quod extra eum ſingularem caſum fuiſſet vetitum, aut contrà. Vid. *Suareſ. de Legibus, Lib. I.* Quod ad Imperantes Civiles attinet; dum hi legibus poſitivis, *Juris*, atque adeo *Injuriæ*, limites paulò aliter ſecernunt, quàm ipſo Naturæ jure ſecernuntur; facultate utentes, quam iis ſinguli cives adversùs ſe conceſſerant, Jura ſua ad Civitatis ſalutem & incolumitatem attemperandi; non magis de Legibus Naturæ diſpenſare ſunt dicendi, quàm Creditor, dum remittit debitum, derogare quid dicitur Legi de ære alieno ſolvendo.

atque indignationi inter ſubjectos anſa præbeatur.

§. X. A *diſpenſatione* tamen multum differt ÆQUITAS (1), quæ eſt *correctio ejus, in quo lex deficit ob univerſalitatem;* ſeu dextra legis interpretatio, quâ, ex naturali ratione oſtenditur, caſum aliquem peculiarem ſub lege univerſali non comprehendi, eò quòd aliàs abſurdi quid inde foret ſecuturum. Nam quia, ob infinitam varietatem, omnes caſus neque prævideri, neque exprimi poſſunt; ideo judices, quorum eſt, generalia legum decreta ad ſpeciales caſus adplicare, debent à lege excipere ejusmodi caſus, quos excepturus fuerat (2) ipſe legislator, ſi præſens adeſſet, aut tales caſus prævidiſſet. (3)

§. XI.

§. X. (1) Hæc ſæpius Græco nomine appellatur Ἐπιεικεία; eſtque obſervanda, non tantùm Judicibus, ſed & privatis, quod ad proprias cujusque actiones dirigendas attinet, ſuo tamen periculo, ſi fortè nimium ſibi hîc indulgeant. Ἐπιεικείαν autem in Legibus naturalibus locum habere, rectè negat *Suareſius*, *d. l.* eò quòd hæ illud *Æquum Bonumque* in ſe actu contineant, à quo aliarum Legum commoda interpretatio petitur. Adde *Obſerv.* 1. in §. IX. Præf.

(2) Id eſt, dicturus, à ſe in ipſa lege tacitè exceptos intelligi. Confer *Grot. de J. B. & P. Lib. I. Cap. III.* §. 5. *n.* 3.

(3) Rectè monet Cl. *Barbeyracius*, deeſſe hîc doctrinam de Legum *duratione*, earumque *abolitione*; quam, ut ille ſuo, ita nos noſtro modo, ſupplemus. Leges Naturales; niſi cum ipſa rerum natura, ceſſare non poſſunt. Leges autem poſitæ obligare deſinunt, quando vel ſuâ ſponte exſpirant, vel contrariæ Voluntatis ſignificatione abolentur. Suâ ſponte exſpirant, quæ

§. XI. Porro, à relatione & congruentia ad normam moralem *actiones humanæ* certas ſortiuntur QUALITATES, & denominationes.

Et illæ quidem actiones, de quibus in neutram partem quid diſponit Lex, vocantur LICITÆ, ſive *permiſſæ* (1). Etſi, quandoque in vita civili, ubi non omnia ad vivum poſſunt reſecari, illa etiam *licita* dicantur, in quæ pœna fori humani non eſt conſtituta, etſi in ſe honeſtati naturali repugnent (2).

Quæ porro actiones cum lege congruunt, BONÆ; quæ diſcrepant, MALÆ vocantur. Sed

ad tempus fuerant conditæ, elapſo tempore; quæ certum rerum ſtatum manifeſtè ſupponebant, eo ſtatu ſublato. Contraria voluntas ſignificatur, vel expreſsè, ubi priſtina Lex novâ Lege antiquatur; vel tacitè; quod fit, ubi per longum temporis tractum, non contradicente eo qui ſummum habet Imperium, ſecùs quàm aliquâ Lege præſcriptum fuerat, & Cives publicè egerunt, & Judices definiverunt.

§. XI. (1) Ethicis vulgò hæ dicuntur *Indifferentes.* At non ſine cauſa negant plerique Scholaſticorum, ullam actionem humanam *in individuo*, id eſt, cum omnibus ejus circumſtantiis, conſideratam, eſſe indifferentem: agnoſcimus interim, innumeras eſſe tales, non tantùm *in ſpecie*, id eſt, abſtrahendo ab omnibus circumſtantiis; ſed & complexè ſumptas cum omnibus iſtis circumſtantiis, quæ ab aliis hominibus cognoſci & æſtimari poſſunt; ita ut homo, nec ob eas præſtitas, nec ob omiſſas, ab ullo Mortalium peccati poſſet argui.

(2) Quàm multa ſint hujus generis, vide luculentiſſimè explicantem Cl. *Barbeyracıum*, in Orationibus de *Permiſſione & Beneficiis Legum.*

Sed ut aliqua actio *bona* ſit, neceſſum eſt, ut ex omni parte cum lege congruat (3); ut *mala* ſit, ſufficit, ſi in una duntaxat parte deficiat.

§. XII. Justitia autem, quandoque eſt attributum *Actionum*, quandoque *Perſonarum* (1). Quando *Juſtitia perſonæ* tribuitur, ſolet

E

(3) Vide *Suppl.* I. §. 17.

§. XII. (1) Non *Juſtitia* modò, ſed in genere, moralis *Bonitas*, aut *Malitia*, primò actionibus tribuitur, (de quarum bonitate & malitia, vide §. præced. & *Suppl.* I. §. 10.) tum perſonis, quatenùs tales actiones exercendi *Habitu* ſunt præditæ. Moralis bonitas perſonæ, dicitur *Virtus*, & aptè definiri poteſt, *Habitus inclinans ad obtemperandum Legi Divinæ*, id eſt, ad actiones lege præceptas eo intuitu præſtandas, & vetitas eodem intuitu omittendas. Moralis pariter malitia perſonæ, dicitur *Vitium*, quod definitur, *Habitus inclinans ad transgrediendum Legem Divinam*, id eſt, ad actiones vetitas quocunque intuitu patrandas, aut præceptas omittendas. Confer *Suppl.* I. §. 10.

Quemadmodum verò *Juſtitia*, quæ actionibus ab Auctore tribuitur in §. ſeq. nihil eſt aliud, quàm earum bonitas, conſiderata in ordine ad perſonam, cui quæque actio debetur; ita *Juſtitia* quæ perſonis tribuitur, ſi ſenſu æquè lato accipiatur, pro *conſtante & perpetua voluntate erga unumquemque* (id eſt, erga Deum, noſmetipſos, & alios homines) *præſtandi officia quæ debentur*, integram *Virtutis moralis* latitudinem adæquat.

Nec tamen prorsùs de nihilo eſt, recepta quadrimembris *Cardinalium Virtutum* enumeratio: quamvis enim reliquæ tres (quousque ſunt morales) ſub *Juſtitiæ* modò definitæ ambitu contineantur; ſingulæ tamen ſunt quodammodo virtutes generales, & ad omnia officiorum genera ſui uſum extendunt. *Prudentia* quippe, inclinat ad ſedulò inquirendum, & maturè judicandum, quid, in ſingulis circumſtan-

ſolet vulgò definiri, quod ſit *conſtans & perpetua voluntas ſuum cuique tribuendi. Juſtus* quippe vir dicitur, qui juſta faciendo delectatur, qui juſtitiæ ſtudet, ſeu in omni re conatur facere id quod juſtum eſt. *Injuſtus* contrà, qui negligit cuique ſuum tribuere, vel id non debito ſuo, ſed præſente commodo, menſu-

tiis, DEO, nobismet, vel aliis hominibus, debeamus. *Temperantia* verò & *Fortitudo*, ſi ſenſu ſatis lato accipiantur, duo præcipua bene agendi impedimenta tollunt, nimiam ſc. affectationem bonorum, & nimium terrorem malorum, hujus vitæ; ita ut illa doceat ἀπέχεσθαι, hæc ἀνέχεσθαι; quibus duobus univerſæ Moralis Philoſophiæ Summam contineri, haud inſipidè docuit *Epictetus*. Præclarè etiam *Cicero*, Off. I. Cap. 11. *Nemo juſtus eſſe poteſt, qui mortem, qui dolorem, qui exilium, qui egeſtatem timet; aut qui ea quæ his ſunt contraria, æquitati anteponit.*

Virtutem, ſive Juſtitiam latè acceptam, propter unum illud principium, ex quo omnis genuina legis obedientia fluit, (DEI ſc. amorem reverentiâ temperatum, eumque in omnibus actionibus ſuis teſtandi habitualem voluntatem) definivimus potiùs ſenſu collectivo, quàm indefinito; ut non tam variæ *Virtutum ſpecies*, quàm variæ *Virtutis habitudines*, ſive *partes*, inquiri debeant: hæ autem aptiſſimè diſtinguuntur, ſecundùm varietatem officiorum, ad quorum præſtationem, vel, ſi mavis, præceptorum, ad quorum obedientiam, inclinant; & latiſſima quidem partitione, in *Pietatem*, quæ reſpicit officia immediatè præſtanda erga DEUM, & *Probitatem*, quæ reſpicit officia nobis vel aliis hominibus debita. Probitas quidem erga nosmetipſos, in tota ſua latitudine accepta, nullo, quantum novi, uno nomine inſignitur; *Sobrietas* enim, etſi latè ſumpta præcipuam quandam ejus partem faciat, integram tamen ejus latitudinem non exhaurit: Probitas verò erga alios homines, eſt illa ipſa *Juſtitia* ſtrictiùs accepta, quam Auctor dividit, §. 14.

menſurandum exiſtimat. Sic ut juſti hominis non paucæ poſſint eſſe actiones injuſtæ: & vice verſâ. Juſtus quippe juſta facit propter præceptum legis, injuſta non niſi per infirmitatem: injuſtus autem juſta facit propter pœnam Legi adjunctam (2), injuſta per animi malitiam.

§. XIII. Quando verò *Juſtitia Actionibus* tribuitur, tunc nihil aliud eſt, quàm *recta adplicatio earundem ad perſonam.* Et *juſta actio*, quæ ex proæreſi, ſeu à ſciente & volente, adplicatur ad perſonam, cui illa debetur. Sic ut *juſtitia* actionum à *bonitate* in hoc potiſſimùm differat, quòd hæc ſimpliciter notet convenientiam cum lege, *juſtitia* autem præterea involvat reſpectum ad eos in quos actio exercetur. Quo Nomine etiam *juſtitia* virtus adversùs alium (1) dicitur.

§. XIV. Juſtitiæ diviſionem non omnes eodem modo inſtituunt. Receptiſſima eſt

 diviſio,

(2) Injuſtus, quæ juſta facit, vel propter pœnam Legi adjunctam facit, vel propter aliam aliquam ſimilem cauſam, à ſincero Legis Divinæ intuitu diverſam. Sincerum autem illius Legis intuitum dicimus, qui fundatur in habituali Voluntate DEO in omnibus obediendi; ſive, conformitatem cum Lege Divina, præ omnibus aliis, quæ opponi poſſunt, rationibus, ubique ab oculos habendi. Atque talem Legis intuitum intelligi oportet, *Suppl.* I. §. 10. & aliàs, ubi de Legis obedientia, & actionibus verè bonis, eſt ſermo.

§. XIII. (1) *Juſtitia*, lato illo ſenſu quo hîc explicatur, ut nihil ſit aliud, quàm *bonitas*, relata ad perſonam in quam actio terminatur, poteſt ipſum Agentem, æquè ac alium quemvis, reſpicere.

diviſio, in *Univerſalem* & *Particularem* (1). Illa

§. XIV. (1) *Juſtitia*, quæ hic dividitur, ut ſuprà dictum, eſt ea ſola quæ alios homines reſpicit. Juſtitia autem *Univerſalis*, quantumvis incommoda ſit iſta appellatio, extendi hic tantùm debet, ad iſta officia quæ alter ſuo jure poſtulare non poterat; ne unum diviſionis membrum exhauriat Totum quod dividitur.

Sed quo hæc diſtinctio penitiùs intelligatur, advertendum eſt, *Juſtitiam erga alios homines*, id eſt, habitualem voluntatem præſtandi iis officia quæ debentur, atque adeò à contrariis actionibus abſtinendi, ſupponere, in eo versùs quem juſtitia eſt exercenda, *Jus* aliquod, ſive *Habilitatem Lege conceſſam*, *aliquid agendi*, *habendi*, *aut ab altero conſequendi*; in eo verò qui juſtitiam exercet, correſpondentem *Obligationem*, permittendi ita agere vel habere, aut præſtandi id quod alter à ſe conſequendi jus habet. Quinimo, ſicut Jus ab una, & Obligatio ab altera parte, fundatur (ut dicetur infra) in officii, circa quod verſatur, momento, ad vitam ſocialem inter homines conſervandam & fovendam; ita, pro vario hujus momenti gradu, tum jus, tum correſpondens obligatio, variatur. Alia quippe ſunt officia, quæ, cum ad vitam ſocialem ſint adeo abſolutè neceſſaria, ut iis ſublatis ipſa hominum Societas eſſet inſociabilis, ideo etiam ab invitis rectè extorquentur; alia verò, quæ, cum ad vitæ ſocialis commoditatem aut ornamentum, magis quàm eſſentiam, pertineant, uniuſcujuſque arbitrio & pudori ſunt relinquenda: ad illa quis dicitur habere *Jus perfectum*, quod ſæpe diſtinguitur nomine *ſui juris*; ad hæc *imperfectum* duntaxat; ſicut & illorum præſtandorum obligatio, *perfecta*, horum *imperfecta*, dicitur. Juſtitia denique, ad prioris generis officia præſtanda inclinans, dicitur *Particularis*, Grotio *Expletrix*; quæ quidem eſt *Juſtitia* illa ſtrictiſſimo ſenſu dicta, quam definiunt Juriſconſulti, *conſtantem & perpetuam voluntatem jus ſuum cuique tribuendi*: quæ verò juſtitia ad poſterioris generis officia inclinat, dicitur *Univerſalis*, Grotio *Attributrix*; atque complectitur omnes reliquas virtutes erga alios homines exercendas.

Illa dicitur, quando quodcunque officium exercetur erga alios, etiam quod per vim, aut intentatâ in foro actione, exigi non poterat. Hæc autem eſt, quando alicui potiſſimùm exhibentur, quæ ille ſuo jure poſtulare poterat: & hæc iterum ſolet dividi, in *Diſtributivam* & *Commutativam* (2). Illa nititur pacto inter ſocietatem & membra inito, circa participandum pro rata damnum & lucrum. Hæc autem nititur contractu bilatere, potiſſimùm circa res & actiones in commercium venientes.

Hic obiter eſt monendum, juris *perfecti* & *imperfecti*, atque adeo Juſtitiæ *Expletricis* & *Attributricis*, diſtinctionem, in Civitate regulariter eſſe petendam à Legibus civilibus, Actionem in foro dantibus, vel negantibus.

(2) Hæc membra, ut hic explicantur, ad ea ſola Jura & Obligationes ſe extendunt, quæ in aliquo pacto fundantur; cum tamen *Jus perfectum*, atque adeo *Juſtitia expletrix*, multò latiùs pateat. Hunc fortè defectum ſuppleveris, dicendo, juſtitiam *commutativam* reſpicere ſimplicem æqualitatem, inter id quod debetur, & cauſam debendi; *Diſtributivam* verò reſpicere æqualitatem rationis, ſive proportionem Geometricam, inter ea quæ ſingulis plurium debentur, & cauſas debendi ſingulis.

Rectè interim Auctor utrumque hoc membrum complectitur ſub ambitu juſtitiæ *Expletricis*: Ariſtotelici enim, dum ita applicant hanc diſtinctionem, ut ſub nomine juſtitiæ *Commutativæ* videantur intelligere *Expletricem*, ſub nomine *Diſtributivæ Attributricem*, eas verò utriusque generis definitiones & proprietates tradunt, quæ cum iſta ſuppoſitione haudquaquam conveniunt, miram hùc invexerunt farraginem contradictionum: quas rectè jampridem notavit *Grotius*, de *J. B. & P. Lib.* 1. *Cap.* 1. §. 8. nec eas ſatis feliciter conciliavit *Gronov.* in notis ad *d. l.*

§. XV. Cognito quid *Juſtitia* ſit, facilè etiam, quid INJUSTITIA ſit, colligitur. Ubi obſervandum, quòd actio injuſta, quæ deſtinato ex conſilio ſuſcipitur, & per quam violatur, *quod alteri perfectò jure debebatur*, aut *quod tali jure undecunque partum is poſſidebat*, propriè *Injuria* vocetur. (1) Quæ triplici modo fit (2), vel, *ſi alicui denegetur, quod ſuo jure poſtulare poterat*, [non ſi quid dunta-

§. XV. (1) *Injuria*, eſt *violatio juris perfecti alterius*, ſive fiat per injuſtam actionem, ſive per actionis debitæ omiſſionem, ſive ex deſtinato conſilio, ſive ex culpabili negligentia vel temeritate. Unde & Lege *Aquilia*, quæ contra damnum *injuriâ* inferentes lata eſt, teneri monet *Juſtinianus*, non modò qui *dolo*, ſed & qui *culpâ*, alterum lædit. *Inſt. Lib.* IV. *Tit.* III. §. 3.

(2) Vel jus competit ad aliquid ſimpliciter agendum, aut habendum; cui juri correſpondet in aliis indefinita obligatio permittendi ita agere aut habere: vel jus competit ad aliquid ab altero poſtulandum; cui correſpondet in illo altero magis definita obligatio id ipſum præſtandi: per læſionem alterutrius hujus juris, *Injuria* committitur: & hanc quidem diſtinctionem Auctor proximè præcedentibus verbis videtur inſinuare: quo etiam pertinent, ex tribus Juris præceptis, *Inſt. Lib.* I. *Tit.* 1. §. 3. traditis, iſta duo, quæ alios homines reſpiciunt, *Alterum non lædere*, *ſuum cuique tribuere*. Porrò, prius jus violatur, vel ipſi homini, aut rebus ab eo poſſeſſis, abſque juſta cauſa nocendo, vel has etiam ſine tali cauſa auferendo: poſterius autem violatur, denegando, vel rem, vel operam, ex perfecta obligationa debitam. Duas ſpecies prioris generis hic diſtinguit Auctor; poſterius verò genus integrum proponit, & quidem primo loco: idem contrà *Cap.* VI. §. 5. prius genus integrum proponit primo loco, duas verò poſterioris generis ſpecies diſtinguit.

duntaxat ex humanitate aut ſimili virtute debebatur] vel *ſi auferatur, quod ſuo jure, adverſus auferentem valente, tenebat*; vel *ſi malum aliquod alteri inferatur, quod inferendi poteſtatem non habebamus.* Ad *Injuriam* præterea requiritur deſtinatum conſilium (3), & malitia ejus qui facit. Quæ ubi abfuerit, læſio alterius, *Infortunium* aut *Culpa* vocatur; gravior aut levior, prout gravis aut levis fuerit ſocordia & negligentia, ex qua quis in alterum velut incurrit.

§. XVI. Lex reſpectu Auctoris dividitur, in Divinam & Humanam; illa à Deo, hæc ab hominibus, lata eſt. (1) Sed ſi Lex conſideretur, prout neceſſariam & univerſalem congruentiam cum hominibus, vel minus, habet, dividitur in Naturalem & Positivam. Illa eſt, *quæ cum rationali ac ſociali natura hominis ita congruit, ut humano generi honeſta & pacifica ſocietas* (2) *citra eandem conſtare nequeat.* Unde &

(3) Vid. *Obſerv.* in h. §.

§. XVI. (1) Inter plures Obſervationes Philoſophicas, liceat & unam criticam, ſalvo aliorum judicio, hic proponere: Legem ſc. fortè minus propriè *latam* dici ab eo qui legem *jubet*, & in cujus juſſu vis obligandi ſita eſt: quippe *Legislatio*, quantum mihi hactenùs obſervare licuit, non tribuebatur apud Romanos, vel populo libero, vel poſtea Imperatoribus, ſed Magiſtratui tantùm qui populo legis jubendæ fuit Auctor: neque alio ſenſu, Græcarum Civitatum *Legumlatores* Romanis Scriptoribus appellantur, *Solon*, *Lycurgus*, *Zaleucus*, &c.

(2) Hæc Legis Naturalis definitio, accommodata eſt Auctoris Hypotheſi de ejuſdem legis fundamentali

de & illa per rationis homini congenitæ lumen, & ex conſideratione humanæ naturæ in univerſum, inveſtigari & cognoſci poteſt. Hæc eſt, *quæ ex communi conditione humanæ naturæ hautquaquam fluit, ſed abs ſolo Legislatoris placito proficiſcitur*: etſi nec ipſa ſua ratione, ac uſu, quem certis hominibus, aut peculiari ſocietati generat, carere debeat.

Eſt autem *Lex Divina*, alia *Naturalis*, alia *Poſitiva*. *Humana* autem omnis, preſſè accepta, *poſitiva* eſt.

præcepto, de qua in *Suppl.* II. Subſtitue interim, ſi lubet, ex *Suppl.* I. §. 19. hanc breviuſculam Legis Naturalis definitionem, quòd ſit, *Lex Divina, per ipſam rerum naturam hominibus promulgata. Legis* autem *Divinæ* ideam, determinatam vide, ejuſdem *Supplementi* §. 10.

SUPPLEMENTUM II.

De Fundamentalibus Juris Naturalis Præceptis.

DOCTRINAM ab Auctore noſtro, de Fundamentali Juris Naturalis Præcepto, in Capite III. traditam, ut minùs ſufficientem, propoſitove ſcopo adæquatam, plurimi graves & eruditi Viri jamdudum reprehenderunt. Nos itaque, loco ſpecialiorum in iſtud Caput obſervationum, Doctrinæ de Juris Naturalis Principiis, quæ iſtis exceptionibus minùs obnoxia videri poterit, qualemcunque ideam, ſummo

ſummo quo poſſumus compendio, conabimur exhibere.

I. In primis, præ oculis habenda eſt notio, quam *Suppl.* I. §. 10, ſtabilivimus, *Legis Divinæ*, & officii per eam *præcepti;* quòd ſc. DEUM nobis aliquid *præcipere*, nihil ſit aliud, quàm eum ſignificare, ſe talem actionem velle exigere, &, eo intuitu præſtitam, reputare, ut teſſeram amoris ac venerationis erga ſe; ejus omiſſionem contrà, & multò magis contrariam actionem, interpretari velle ut indicium contemptûs vel odii. Porrò, cum utrumlibet hunc affectum erga DEUM, homo actionibus ſuis teſtari poſſit, vel immediatè ac directè, vel mediatè ac indirectè; hinc Officia lege nobis præſcripta, alia ſunt *immediata*, alia *mediata*.

II. Officia immediata, ut debitum erga Numen affectum immediatè exprimunt; ita eadem, quouſque Jure naturali præcipiuntur, ad illum affectum teſtandum pertinere, immediatè ſive per ipſam ſui notionem, innoteſcunt. Hujus generis ſunt Officia ab Auctore recenſita in *Cap.* IV. quæ omnia ſummatim comprehenduntur in hoc uno, quod & *Primum* ſtatuimus, Juris naturalis præcepto, *DEUM eſſe colendum.*

III. Ad mediata verò officia quod attinet, ea ſcilicet, quibus non immediatè erga DEUM, ſed erga res creatas, præſtitis, idem debitus erga DEUM affectus declaratur, eorum Summa in hoc videtur conſiſtere, ut *quiſque univerſum Creaturarum rationalium Syſtema, Benevolentiâ DEI amori & reverentiæ ſubordinatâ, proſequatur; ejuſdemque adeo commune Bonum, quouſque vires ejus pertingunt, atque illud Divinæ Gloriæ illuſtrationi adverſari non habet compertum, conetur,*

tur promovere. Creaturas autem *Rationales* hîc dicimus, quæ non tantùm qualicunque cogitandi facultate ſunt præditæ, ſed & eâ, cujus recto uſu, ad DEI Opt. Max. ſuæque verſùs eum Obligationis, cognitionem poſſint aſſurgere. Hæ ſc. peculiari quodam modo Creatoris ſui gerunt imaginem: in his, & in divina circa has diſpenſatione, præcipuè eluceſcunt illæ DEI perfectiones, quarum illuſtratio omnium operum divinorum eſt ſcopus: erga has, effecta ſuæ Bonitatis adeò largâ manu DEUS diſpenſavit, ut, poſt illam ſuarum perfectionum illuſtrationem, harum felicitatem, quouſque in debita erga eum ſubordinatione ſe gererent, præcipuè videatur intendiſſe. Sicut igitur, amor erga Patrem-familias oſtenditur, per efficacem Benevolentiam erga ejus domeſticos; ita, devotus erga DEUM affectus, cui ipſi nec benefacere poſſumus nec nocere, aptè declaratur, per Benevolentiam & Beneficentiam, quam exercere poſſumus maximam, erga ejus creaturas rationales, quouſque ejus imaginem gerunt, eique contrariæ non ſunt.

IV. Sed quò propiùs ad praxin deducatur hæc Regula, duo ſunt notanda. *Primò*, Nullam rationem ſuadere, eſſe alias, præter ipſos homines, creaturas rationales, quibus homines, ullis ſuis actionibus, vel benefacere poſſunt, vel nocere; multò minùs, aliis iſtis, per maximam, quam homines hominibus conciliare poſſunt, felicitatem, quidquam damni vel detrimenti inferri: unde ſequitur, in Regula, ſive Summa, Officiorum mediatorum, ſuprà poſitâ, pro *univerſo Syſtemate Creaturarum Rationalium*, ſubſtitui jam poſſe *univerſum Humanum Genus.* Notamus

tamus *Secundò*, nec ullam eſſe rationem quæ ſuadeat, Divinæ Gloriæ illuſtrationi adverſari, maxima quælibet commoda, quæ homines hominibus conciliare valent. Quamvis enim res ipſa nimis apertè clamet, hominum genus à DEO deſciviſſe, ejuſque juſtiſſimæ Nemeſi ſe reddidiſſe obnoxium; idem tamen eſſe adhuc in ſtatu probationis, nec in ineluctabilem ſtatus pœnalis abyſſum homines in terra viventes adhuc eſſe detruſos, integra ſeries divinarum erga humanum genus diſpenſationum videtur probare. Imò, cum Bona, quæ hominum in hiſce terris ſtatum comitantur, immixta mala, ſi ſolum peccatum excipias, longè ſuperent, & multò majore exceſſu ſuperarent, modò ſibi & aliis hominibus ſinguli homines non deeſſent; ut ſinguli, quæ poſſunt officia contribuendo, uberiorem ſibi & aliis hominibus præſtent uſum iſtorum Bonorum, quæ Divina Benignitas in eorum poteſtate poſuit, & futurorum quoque ſpem, quam poſſunt optimam, concilient, Divinæ Gloriæ manifeſtationi adeò non adverſatur, ut contrà, ad DEI Sapientiæ & Munificentiæ laudes prædicandas plurimùm conducat.

V. Atque hinc tandem deducimus *Secundum* Fundamentale Juris Naturalis Præceptum, quod Officia mediata (ut Primum immediata) complectitur, *Unicuique* ſc. *Homini, univerſi Humani Generis commune Bonum, &, quoad hoc patitur, proprium ſingulorum, pro viribus eſſe procurandum.*

VI. Specialiùs autem inquirenti, quibus præcipuè actionibus humani generis commoda oporteat promovere, iſtud ſecundum generale Præceptum in duo proximè ei ſubordinata eſt diffindendum. Inprimis enim occurrit, quaſdam

eſſe

eſſe actiones, quibus quis ſibi, vel alicui alii, ita benefacit, ut nullius alterius utilitatem lædat: de his, quin ad humani generis commune Bonum faciant, non eſt locus dubitandi: Qui enim uni Syſtematis parti prodeſt, abſque alterius cujuſquam partis noxa vel damno, prodeſt haud dubiè integro Syſtemati: cumque ad hoc genus præcipuè pertineant innumera Officia, quæ cuique erga ſe præſtandi quotidie eſt occaſio; & cum officia quocunque caſu præſtanda erga alios, ad præceptum Socialitatis haud incommodè referri queant; ſufficit, prioribus iſtis accommodari primum ſubordinatum Præceptum, quo ſtatuitur, *Unicuique Homini ſe eſſe curandum, ſuamque innoxiam utilitatem promovendam.* Hûc pertinent officia explicata Cap. V. §§. 1, 2, & 3. & *Suppl.* III.

VII. At ſæpiuſculè evenit, diverſorum hominum, atque adeò noſtra & cæterorum, commoda inter ſe collidi, ut omnibus ſimul conſulere non poſſimus: quo in caſu, quid humano generi in univerſum ſit utilius, non æquè eſt apertum. Hîc itaque locus eſt ratiocinio, quo in tertio Capite utitur *Puffendorfius:* Hominum ſc. naturam ita eſſe conſtitutam, ut & ſinguli ad vitam conſervandam (cujus tamen tenerâ admodum curâ & ſollicito ſtudio quiſque ducitur, §. 2.) nedum ad eam commodè agendam, alienæ opis indigeant, §. 3. (ubi confer *Ciceronem* de Off. Lib. II, Cap. 3. & 4.) & contrà, variis animæ corporiſque dotibus, ad opem aliis ferendam, præ reliquis cunctis animantibus, ſint inſtructi, ſimul ac proclives facti, (vide *Cumberland. De Legibus Naturæ*, Cap. II. §. 23. & ſeqq.) nec minùs interim, & omnibus iſtis naturæ

turæ ſuæ prærogativis ad noxas efficaciùs invicem inferendas abuti queant, §. 5. & ſtimulorum, quibus ad hoc volendum incitentur, aſſultibus ſint obnoxii, §§. 4. & 6. Unde ſequitur; humano generi, ut ſit ſalvum, neceſſum eſſe ut ſit *ſociabile*, id eſt, ut homines ſecùm mutuò facilè conjungantur, & invicem ita ſe gerant, ut, non ſui ſolius quiſque, ſed & aliorum, debitam ſe habere rationem oſtendant; eoque pacto, ſinguli, quantum in ſe eſt, concilient foveantque mutuam *Benevolentiam*, & mutuam *Fiduciam*; quibus duobus cardinibus vertitur alacris præſtatio mutuorum quorumlibet officiorum, ad vitam humanam ſeu conſervandam, ſeu commodiorem reddendam, pertinentium.

VIII. A generali igitur Præcepto, de *Humani Generis communi Bono promovendo*, hoc alterum ſubordinatum Præceptum deducitur; *Cuilibet homini, quantum in ſe, colendam & ſervandam eſſe Socialitatem;* id eſt, inclinationem & Vitam ſocialem, tum in ſe erga alios, tum in aliis erga ſe, & in omnibus hominibus erga ſe mutuò, unicuique homini, quantum penes ipſum eſt, fovendam eſſe & promovendam.

IX. Neque hâc colligendi ratione, *Socialitas Philautiæ* ſubordinatur; quod *Puffendorfio* noſtro objicit *Titius*, jure an injuriâ, non hic vacat expendere: quippe non dicimus, ideo tantùm debere unumquemque ſocialiter vivere, quia non aliter ipſe poteſt eſſe ſalvus; ſed, quia Vita ſocialis in univerſum ad humani generis ſalutem & incolumitatem neceſſaria eſt, & quæque illius violatio ad hujus detrimentum tendit, ideo ad illam fovendam & confirmandam, unumquemque operam ſuam, quoad poteſt, debere conferre.

X. Et

X. Et horum quidem Præceptorum Divinam Auctoritatem pluribus adſtruere, eſſet in methodo noſtra ſupervacuum. Cum enim ſuprà oſtenſum ſit, ad amorem & venerationem erga DEUM teſtandum pertinere, ut *Humano Generi quiſque conetur quantum poteſt benefacere;* nec minùs evictum ſit, ad humani generis commune Bonum pertinere, *Innoxiam ſui curam*, & *Socialitatem;* utrumque horum DEUM ab hominibus exigere, in teſſeram debiti illius affectûs erga ſe, atque hûc pertinentium officiorum præſtationem præmiis, aut certè neglectum & violationem pœnis, velle proſequi, eſt ſatis manifeſtum: cum porrò, per eam, quam DEUS hominibus conſpiciendam præbuit, rerum naturam, rationis, quam idem DEUS iis conceſſit, interveniente uſu, hæc innoteſcant; ſatis conſtat, eaſdem rationes, quibus *Suppl.* I. §. 20. Legis Naturalis in genere Divinam Auctoritatem adſtruximus, in Præceptis hiſce generalibus, & conſequenter in omnibus eorum Conſectariis, abundè eluceſcere.

XI. His autem præceptis *Sanctionem* non deeſſe, evincunt, non modò rationes iſtæ generales, quibus *Suppl.* I. §§. 1. —— 9. demonſtravimus, uniuſcujuſque hominis quam maximè intereſſe, ut cuivis Legi Divinæ obſequioſum ſe præbeat; ſed & ſpecialiora illa præmia, quæ ex horum præceptorum obſervatione, & pœnæ, quas ex eorum violatione, naturaliter profluere, ratio & quotidiana experientia comprobant. Et hæc quidem in *Officiis* hominis *erga ſe* ſuperfluum eſſet indicare: ſed & *Officia Socialia* verſùs alios præſtita, naturaliter excipiunt, *Animi Serenitas, cum ſana Corporis temperie conjuncta*

(quæ,

(quæ, etiam abſtrahendo à Boni moralis conſideratione, benignos & blandos affectus comitari ſolet) *aliorum hominum Benevolentia*, &, quæ inde plerumque naſcitur, *Securitas;* contrarias verò actiones, perpetua *Inquietudo* (quæ, malignos & tetricos affectus naturaliter comitans, etiam *Corporis valetudinem labefactat*) aliorum hominum *Contemptus*, vel *Odium*, & innumera, quæ inde naſci ſolent, *Pericula*. Hæc latè inculcantem conſule *Ciceronem*, de Off. Lib. II. Neque hæc, quia naturali quâdam conſecutione, cum Socialitatis lege obſervatâ, vel ſpretâ, connectuntur, ideo minùs præmiorum aut pœnarum rationem habent: quippe illa ipſa naturalis connexio, à DEO, tum Naturæ tum Legis naturalis Auctore, eſt ſtabilita.

XII. Legibus itaque Naturalibus, non unum, ut Cl. Auctor, ſed tria Fundamentalia Præcepta, ſubſternimus, *DEUM eſſe colendum*, *Innoxiam cuique ſuam utilitatem quærendam*, *&* *Socialitatem fovendam.* Ad primum horum reducimus, officia immediatè præſtanda erga DEUM; ad ſecundum, iſta Hominis officia erga ſe, quæ cum nullius alterius utilitate colliduntur; ad tertium denique, omnia hominis officia verſùs alios homines, ut & ea verſùs ſe, quæ, cum aliorum quorundam rationibus adverſentur, non priùs ſunt ſuſcipienda, quam ad Socialitatis libellam exigantur.

XIII. Quò autem diſtinctiùs intelligatur Uſus & Applicatio præcepti, *de Colenda Socialitate*, ad faciendorum & omittendorum limites definiendos, in iis caſibus, in quibus diverſorum hominum utilitates diverſa videntur ſuadere; tria hîc cenſemus notanda.

XIV.

XIV. *Primò* notamus, eſſe quaſdam *Utilitates*, aut *Voluptates*, quas homines, vel ex ſuis actionibus, vel ex rebus externis, vel ex actionibus aliorum hominum, poſſunt capere; quaſque in certis circumſtantiis iis ſalvas præſtari, nec ab aliis hominibus impediri, auferri, vel intercipi, humanæ Societatis intereſt, utpote ad inclinationem & vitam ſocialem inter homines conſervandam, & corroborandam, pertinens: quæ idcirco utilitates, & voluptates, in iſtis circumſtantiis, generali *Colendæ Socialitatis* præcepto muniuntur, & evadunt *Jura;* perfecta, vel imperfecta, prout ad ſocialitatem conſervandam ſunt neceſſaria, vel ad eam duntaxat corroborandam conducunt.

XV. Notamus II. Hæc Jura eſſe, in ſimilibus circumſtantiis, omnibus *æqualia;* atque adeò, ſive à natura data ſint, omnibus, quouſque eorum jacturam non fecerunt, ex æquo competere; ſive interveniente aliquo humano facto acquirantur, ab omnibus, in ſimilibus circumſtantiis, per interventum ſimilium factorum, ex æquo acquiri poſſe. De quo infrà in Cap. VII.

XVI. Notamus III. Vitæ ſocialis indoli neutiquam adverſari, quinimo ad eam ſuſtinendam omnino requiri, etiam illic ubi diverſorum utilitates inter ſe colliduntur, ut quiſque *circa ſe, ſuaque, peculiarem quandam curam, ſed Socialitatis cultura ſubordinatam, gerat:* iſthoc enim ni fieret, ſumma inveheretur omnium rerum confuſio; pleriſque mortalium, dum alieno niterentur ſubſidio, ſocordiæ ſe dantibus, & opes humano generi à natura conceſſas excolere negligentibus; unde ex adverſo ſequeretur futurum, ut nemo ſibi quidquam ab aliis firmiter polliceri

polliceri poſſet, aut aliorum opi rationes ſuas ſuperſtruere.

XVII. Concludimus itaque, rectam *Socialis Vitæ* culturam in eo conſiſtere, quòd *quiſque Jus ſuum ita tueatur, ut cujuſvis Juris*, ſeu perfecti, ſeu imperfecti, *ſecundùm naturalis Æqualitatis hypotheſin alii cuicunque competentis, debitam rationem habeat.* Unde ſequitur, ad Officii, cæterorum hominum intuitu cuique incumbentis, limites definiendos, rectiore viâ nos incedere non poſſe, quàm, varia, quæ ſingulis hominibus, hominum cœtibus, aut etiam humano generi univerſim ſumpto, competunt, vel competere poſſunt, Jura, & diverſa, quibus quæque nituntur, fundamenta, ordine perpendendo: ex iſtis enim, per ſuprà dicta, ſponte innoteſcet, quæ ſingulis ex adverſo reſpondeant Obligationes.

XVIII. Methodi autem, quæ hic nobis videtur tenenda, quæque à *Puffendorfiana* haud parùm recedit, generalem qualemcunque ideam in Appendice ſubjungemus.

CAPUT III.

De Lege Naturali.

I. *Lex naturæ ex natura hominis eruenda.* II. *Conſervationi ſui ante omnia homo ſtudet.* III. *Ei, citra Societatem, minus quam bruta par:* IV. *Ob majorem alteri nocendi proclivitatem;* V. *Et majorem noxas mutuo inferendi vim;* VI. *Majoremque ad mutuas colliſiones diſpoſitionem.* VII. *Inde deducitur Societatis colendæ neceſſitas.* VIII. *Huic ſervientes Leges ſunt Leges naturæ.* IX. *Lex fundamentalis, ſervandam Socialitatem.* X. *Quæ ut vim legis habeat, ſupponendus DEUS.* XI. *Legis naturalis DEUS evincitur Auctor.* XII. *Ea,*

 quo

quo ſenſu dicatur eſſe natura nota? XIII. *Officia Legis ſpectant DEUM, nosmet, alios.*

QUÆNAM LEGIS NATURALIS ſit *indoles*, quæ neceſſitas, & quibus eadem præceptis in iſthac mortalium conditione conſtet, planiſſimè perſpicitur, ſi quis *naturam & ingenium hominis* penitiùs perſcrutatus fuerit. Sicuti enim ad accuratam legum civilium cognitionem plurimum facit, ſtatum civitatis moresque & ſtudia Civium probè intellexiſſe; ita perſpecto communi mortalium ingenio ſtatuque, facilè patebit, quibus legibus eorundem incolumitas contineatur.

§.II. Id igitur homo habet commune cum omnibus animantibus, queis ſenſus ſui ineſt, ut ſeipſo nihil habeat carius, *ſeipſum ſtudeat* omnibus modis *conſervare*: ut, quæ bona ſibi videntur, adquirere; quæ mala, repellere, nitatur. Qui quidem affectus regulariter tantus eſt, ut reliqui omnes eidem cedant. Et quicunque hominis ſalutem impugnatum it, eum non poteſt non iſte averſari, eòusque, ut etiam depulſo malo intentato, plerumque odium & cupiditas vindictæ adhuc remaneat.

§. III. Aſt in eo præ brutis homo deteriore jam conditione videtur, *quòd vix ullum aliud animal tanta à nativitate Imbecillitas proſequatur*; ſic, ut miraculi ſit inſtar futurum, ſi quis ad maturam ætatem pervenerit, niſi aliorum hominum auxilium accedat. Cum

nunc

nunc, inter tot inventa humanæ neceſſitatis adminicula, plurium annorum ſollicita informatio requiratur, ut proprio quis Marte victum & amictum ſibi parare queat. Fingamus hominem, citra omnem ab aliis hominibus accedentem curam & culturam ad robuſtam ætatem provectum, cui nihil ſit ſcientiæ, niſi quod ex proprio ingenio velut ultro pullulavit, eundemque ab omni aliorum hominum ope atque conſortio in ſolitudine deſtitutum. Sanè, vix miſerabilius animal deprehendetur: Elingue nimirum, ac nudum; cui nihil aliud relictum, quàm herbas radicesque vellere, aut ſponte natos fructus legere; ſitim fonte, flumine, aut lacunâ obviâ levare; repellendis aeris injuriis antra ſubire, aut muſco gramineve corpus utcunque tegere; tempus tædioſiſſimum per otium exigere; ad quemvis ſtrepitum, aut alterius animantis occurſum, exhorreſcere; denique, fame, frigore, aut per feram beſtiam, demum perire.

Contrà, quidquid jam commoditatum vitam humanam comitatur, id omne ex mutua hominum ope redundavit. Sic, ut poſt Deum O. M. nihil in hoc orbe ſit, ex quo major utilitas homini provenire queat, quàm ex ipſo homine.

§. IV. Iſthoc tamen tam utile invicem animal *non paucis laborat vitiis*, & *non minore Nocendi facultate præditum eſt;* quæ conjunctionem cum ipſo reddunt ſatis ancipitem,

F 2 magnam-

magnamque requirunt cautionem, ne pro bono malum quis ab illo ſortiatur.

Jam primùm, major ferè *ad nocendum proclivitas* in homine, quàm in quovis brutorum, deprehenditur. Nam bruta ferè cibi deſiderio & veneris efferantur, quorum utrique tamen facili negotio ipſa ſatisfacere poſſunt. Et eo deſiderio ſopito, non temerè in iras, aut ad lædendum alios, concitantur, niſi quis irritaverit. Aſt homo animal eſt nullo non tempore in libidinem paratum, cujus ſtimulis longè frequentiùs vellicatur, quàm conſervandæ ſpeciei neceſſarium videbatur. Ejusdem quoque venter non ſatiari duntaxat, ſed & titillari vult; & ſæpe plura adpetit, quàm natura digerere valet. Veſtibus ne indigerent bruta, natura proſpexit. Aſt homo, non ad neceſſitatem tantùm, ſed & ad oſtentationem, veſtiri gaudet. Multi præterea affectus atque cupidines, brutis ignoti, in mortalium genere deprehenduntur; ut ſuperflua habendi libido, avaritia, gloriæ & inter alios eminendi cupiditas, invidia, æmulatio, ingeniorumque contentio. Indicio eſt, quod pleraque bella, quibus genus mortalium colliditur, ob cauſas gerantur brutis ignotas. Atque iſta omnia ſtimulare homines poſſunt & ſolent, ut ſibi mutuò nocere velint. Accedit in multis eximia quædam petulantia,& aliis inſultandi libido; quibus cæteri, etiam modeſto ingenio præditi,ſtudio ſe ac ſuam libertatem conſervandi

ac tuendi, non poſſunt non offendi, ac ad reſiſtendum accingi. Quandoque etiam homines ad mutuas læſiones incitat inopia, & quod præſens rerum copia cupiditatibus aut indigentiæ eorum non ſufficiat.

§. V. Sed & maxima *Vis* ineſt hominibus *ad noxas mutuò inferendas.* Nam etſi neque dentibus, neque unguibus, aut cornibus ſint formidabiles, ut multa brutorum; tamen habilitas manûs in efficaciſſimum nocendi inſtrumentum evaleſcere poteſt; & ſolertia ingenii, aſtu & per inſidias graſſandi facultatem dat, quo apertâ vi pertingere non licet. Sic ut facillimum ſit, homini graviſſimum malorum naturalium, nempe mortem, inferre.

§. VI. Denique, & in genere humano conſideranda eſt inſignis illa *Ingeniorum varietas*, qualis in ſingulis brutorum ſpeciebus non cernitur; quippe, quæ conſimiles ferè inclinationes habent, parique affectu & appetitu ducuntur. Aſt, inter homines, quot capita, tot ſenſus, & ſuum cuique pulchrum. Nec ſimplici aut uniformi cupidine omnes agitantur, ſed multiplici & variè inter ſe mixtâ. Imo, unus & idem homo, ſæpe ſibi diſſimilis cernitur, & quod uno tempore concupivit, ab eodem alio tempore valde abhorret. Nec minor in ſtudiis, inſtitutis, & ad exſerendum animi vigorem inclinationibus, varietas, quæ jam in infinitis ferè vitæ generibus conſpi-

 citur.

citur. Per quæ ne mutuò collidantur homines, ſollicitâ temperaturâ & moderatione opus eſt.

§. VII. Sic igitur, homo jam eſt animal ſui conſervandi ſtudioſiſſimum, per ſe egenum, ſine auxilio ſui ſimilium ſervari impotens, ad mutua commoda promovenda maximè idoneum; idem tamen juxtà malitioſum, petulans, & facilè irritabile, ac ad noxam alteri inferendam pronum, non minùs quàm validum. Unde colligitur, eidem, ut ſit ſalvus, *neceſſum eſſe, ut ſit ſociabilis*, id eſt, ut cum ſui ſimilibus conjungatur, & adversùs illos ita ſe gerat, ut ne iſti probabilem cauſam accipiant eum lædendi, ſed potiùs ejusdem commoda ſervare & promovere velint.

§. VIII. Hujus ergo *Socialitatis* Leges, ſeu, quæ docent, quomodo quis ſeſe debeat gerere, ut commodum ſocietatis humanæ membrum exiſtat, vocantur *Leges Naturales.*

§. IX. His poſitis, adparet, *Fundamentalem Legem Naturalem* eſſe hanc: CUILIBET HOMINI, QUANTUM IN SE, COLENDAM ET SERVANDAM ESSE SOCIALITATEM. Ex quo conſequitur, quia qui vult finem, vult etiam media, ſine quibus finis obtineri nequit, omnia, quæ ad iſtam *Socialitatem* neceſſariò & in univerſum faciunt, jure naturali præcepta; quæ eandem turbant aut abrumpunt, vetita, intelligi.

Reli-

Reliqua autem præcepta, ſunt tantùm velut ſubſumptiones ſub hacce generali lege, quorum evidentiam lumen illud naturale hominibus inſitum inſinuat.

§. X. Iſthæc porrò præcepta, etſi manifeſtam habeant utilitatem, tamen ut eadem *vim Legis* obtineant, neceſſum eſt præſupponi, DEUM eſſe, & ſuâ providentiâ omnia regere; eundemque mortalium generi injunxiſſe, ut iſta rationis dictamina, tanquam leges, ab ipſo vi congeniti luminis promulgatas, obſervent. Aliàs enim, poſſent ea quidem fortaſſe obſervari, intuitu utilitatis, ſicut quæ à medicis regendæ valetudini præſcribuntur, non autem tanquam leges; quippe, quæ neceſſariò ponunt ſuperiorem, & quidem talem, qui alterius gubernationem actu ſuſceperit.

§. XI. Eſſe autem DEUM *Legis Naturalis Auctorem*, ex ratione naturali ita demonſtratur, ſi præcisè præſenti mortalium conditioni inhæreamus, non attendendo, an primæva conditio diverſa ab hac fuerit, & unde iſtà mutatio provenerit.

Cum natura hominis ita ſit conſtituta, ut citra ſociabilem vitam humanum genus incolume eſſe nequeat, hominisque animus notionum hùc inſervientium capax deprehendatur; & verò pateat, non ſolùm genus humanum, uti alias creaturas, originem ſuam DEO debere, ſed & eundem iſtud utcumque jam conſtitutum providen-

tiæ ſuæ moderamine complecti: inde conſequitur, Deum velle, ut homo iis viribus, quas ſibi præ brutis peculiares ineſſe ſentit, ad naturæ ſuæ incolumitatem utatur, utque adeò à brutorum exlege vitâ, humana vita ſit diſtincta. Id quod cum aliter, quàm ſervatâ lege naturali, obtineri nequeat; intelligitur quoque à Deo obligatum hominem ad iſthanc ſervandam, tanquam medium, non ex arbitrio hominum inventum, ac ex eorum libidine mutabile, ſed expreſsè ab ipſo Deo huic fini procurando conſtitutum. Qui enim obligat ad finem, cenſetur quoque eundem obligâſſe ad uſurpanda media fini neceſſaria.

Sed & ſocialem vitam à Deo hominibus pro imperio injunctam eſſe, indicio eſt, quòd, in nullo prætereà animante, ſenſus religionis, aut metus Numinis, deprehendatur; qui in animali exlege intelligi non poſſe videtur. Abs quo generatur tener admodum ſenſus, in animis hominum non planè corruptorum, quô convincuntur, in Legem naturalem peccando, offendi illum, cui in animos hominum imperium eſt, & qui metuendus ſit, etiam ubi ab hominibus metus non impendet.

§. XII. Quod vulgò dicitur, *Iſthanc Legem naturâ notam eſſe*, id non ita capiendum videtur, quaſi in animis hominum jam naſcentium inhæreant actuales & diſtinctæ propoſitio-

poſitiones circa agenda & fugienda, Sed partim, quod illa per lumen rationis inveſtigari poſſit: partim, quod ſaltem communia & præcipua capita Legis Naturalis ita plana & liquida ſint, ut ſtatim aſſenſum inveniant, & ita animis inoleſcant, ut nunquam inde iterum deleri queant, utut fortè homo impius, ad ſopiendas conſcientiæ vellicationes, eorundem ſenſum planè ſtudeat extinguere. Quô nomine etiam, in ſacris Literis, *cordibus hominum inſcripta* dicitur. Inde & cum à puero, ex vitæ civilis diſciplina, eorundem ſenſu imbuamur; & verò recordari non poſſimus id tempus, quando primum eadem hauſerimus; non aliter de ea cognitione cogitamus, ac ſi illa nobis naſcentibus jam adfuiſſet. Id quod cuilibet etiam circa linguam ipſi vernaculam contingit.

§. XIII. Diviſio OFFICIORUM, quæ ex lege naturali homini incumbunt, commodiſſimè videtur inſtitui ſecundum *Objecta*, erga quæ iſta ſunt exercenda. Quo intuitu illa in tres principales partes diſpeſcuntur, quarum prima tradit, quomodo, ex ſolo rectæ rationis dictamine, quis ſeſe debeat gerere adversùs DEUM; altera, quomodo adversùs SEIPSUM; tertia, quomodo adversùs ALIOS HOMINES. Quanquam autem primariò & directè, ea præcepta Legis naturalis, quæ ad alios homines ſpectant, ex *Socialitate*, quam fundamenti loco ſub-

ſtravimus, deriventur: tamen etiam indirectè (1) officia hominis erga DEUM, tanquam Creatorem, inde deduci poſſunt, quatenùs ultimum firmamentum officiis erga alios homines à religione & metu Numinis accedit, ſic ut ſociabilis quoque non eſſet homo, ni religione foret imbutus. Et quia ſola ratio in religione ulterius progredi nequit, quàm quousque illa inſervit promovendæ tranquillitati & ſocialitati hujus vitæ: Nam, prout religio ſalutem animarum procurat, ex peculiari revelatione divina provenit. Officia autem hominis erga ſeipſum, ex religione & ſocialitate

§. XIII. (1) Patet ex dictis, indirectam hanc officia versùs DEUM deducendi rationem, nobis haudquaquam debere ſatisfacere: imo priùs & evidentiùs conſtat, *DEUM eſſe colendum*, *quam Socialiter cum Hominibus eſſe vivendum;* præſertim cum, fatente Cl. Auctore, hujus Cap. §. 10. ut præceptum de *Colenda Socialitate* vim Legis obtineat, neceſſum ſit præſupponi, *DEUM eſſe*, *& ſuâ Providentiâ omnia regere.* Neque verum eſt, quod hic ſubjungit Auctor, *ſolam Rationem in Religione ulterius progredi nequire, quam quousque illa inſervit promovendæ tranquillitati & ſocialitati hujus vitæ:* quamvis enim illa religio, quæ ſalutem animarum efficaciter procurat, ex peculiari revelatione Divina proveniat; ipſa tamen ratio docet, in DEO colendo, & univerſali obſequio Divinis Legibus præſtando, aliquid ultra præſentis vitæ commoda præ oculis eſſe habendum; præſertim, ſi hæc tantùm ſpectentur, quatenùs naturali quâdam conſecutione ex præſtitis illis officiis fluunt. Vide *Suppl.* I. §§. 4. & 7. & confer *primam Obſervationem* in §. VI. *Præfat.*

tate (2) conjunctim promanant. Ideo enim quædam, non pro abſoluto ſuo lubitu, homo circa ſeipſum diſponere poteſt, partim, ut cultor idoneus divini Numinis, partim, ut commodum & utile membrum ſocietatis humanæ, eſſe queat.

(2) Verum quidem eſt, Hominem, ob utramque rationem ab Auctore hic aſſignatam, debere ſui curam gerere. Sed, ut nulla ratio jubet, à *Socialitate*, *ſui curam* deducere; ad quam quilibet homo teneretur, licèt ipſe ſolus in orbe terrarum exiſteret; ita, nec ſatis apparet, cur iſta *cura ſui*, magis quàm ipſa *Socialitas*, à *Religione* ſtrictiùs acceptâ deducatur. Utriusque ſanè generis officia, intuitu DEI ſunt præſtanda; nec tamen eò minùs, ex ſuis quæque principiis ſuprà ſtabilitis, absque reſpectu ad immediatum DEI cultum, aptè deducuntur. Fatendum eſt interim, inter officia hominis erga *DEUM*, erga *Se*, & erga *Alios Homines*, adeò arctum eſſe nexum; ut nunquam deeſſe poſſit color illi, qui omnia, perverſo ordine, ex uno quolibet trium principiorum, ſuprà poſitorum, velit demonſtrare.

Caput IV.

De Officio Hominis erga DEUM, ſeu de Religione Naturali.

I. *Officium erga DEUM conſtat ſenſu & cultu.* II. *Senſus de DEO, primùm eſt, DEUM exiſtere:* III. *Deinde, eſſe hujus univerſi Conditorem:* IV. *Mundique generisque humani Rectorem.* V. *Denique, imperfectionis nihil habere:* VI. *Cultus DEI naturalis internus, quibus;* VII. *Externus, quibus partibus abſolvatur?* VIII. *Æternæ ſaluti obtinendæ haud ſufficit.* IX. *Absque Religione nullum Societatis vinculum.*

OFFI-

OFFICIUM hominis erga DEUM, quantum quidem ex naturali ratione inveſtigari poteſt, duabus partibus abſolvitur: tum ut *de DEO rectè ſentiamus* (1), tum ut *actiones noſtras ad ipſius voluntatem componamus* (2). Inde RELIGIO NATURALIS conſtat propoſitionibus, tum *Theoreticis*, tum *Practicis*.

§. II. Inter ea, quæ de DEO cuivis homini ſentienda ſunt, primum omnium eſt, ut certò perſuaſus ſit, DEUM EXISTERE, id eſt, reverâ dari ſummum aliquod & primum Ens, abs quo hoc univerſum dependeat. Id quod ſapientes, ex ſubordinatione cauſarum, quæ demum in primo aliquo ſiſti

§. I. (1) Rectè Auctor, inter officia DEO debita, ponit primo loco, rectas de DEO ſententias. Cum autem ad prima diſciplinæ moralis rudimenta, certa ac ſolida de DEO, ejusque attributis, omniumque rerum ab eo dependentiâ, ſupponi debeat notitia (quo nomine rectè obſervavit Vir Cl. *Ger. de Vries, Determ. Pneum. Sect.* 3. *Cap, ult.* §. *ult.* Pneumatologiæ finem eſſe Moralis Philoſophiæ initium) non tam hic proponuntur iſtæ ſententiæ, ut earum veritas ſtabiliatur, quàm ut cujusque hominis circa eas fovendas ac tuendas officium inculcetur.

(2) Dic potiùs, *Ut cultum DEO præſtemus*, *rectè conceptis de eo Sententiis conſonum:* Nam, *actiones noſtras ad DEI voluntatem componere*, eſt generale quid, quod omne officiorum genus ſub ſe complectitur; atque adeò parùm accuratè ponitur pro *immediato cultu* · ſed minùs accuratè infra adhibentur phraſes ejusdem ſignificationis, in fine §. 6. pro uno membro cultûs interni, & rurſus in fine §. 7. pro uno membro cultûs externi: Vide tamen quæ notabimus ad dictos locos.

ſiſti volunt, ex motu, & ex contemplatione machinæ hujus univerſi (1), & ſimilibus argumentis, liquidiſſimè demonſtrarunt. Quæ ſi quis neget abs ſe capi poſſe, non ideo *Atheiſmi* ſui excuſationem invenit. Cum enim univerſum genus humanum in perpetua velut poſſeſſione iſtius perſuaſionis fuerit, neceſſum erat, ſi quis eadem oppugnare velit, ut non ſolùm omnia argumenta, quibus DEUS eſſe probatur, ſolidè deſtruat, ſed & plauſibiliores rationes pro aſſertione ſua proferat. Simulque, cum generis humani ſalutem eâ perſuaſione contineri hactenus creditum ſit, oſtendendum ipſi præterea fuerit, generi humano per Atheiſmum meliùs conſuli, quàm retento ſano cultu Numinis. Quod cum fieri nullo modo queat, omnium eorum, qui iſthanc convellere quocunque modo aggrediuntur, impietas maximè eſt deteſtanda, & graviſſimis pœnis coercenda.

§. III. Alterum eſt, DEUM ESSE UNIVERSI HUJUS CONDITOREM. Cum enim ex ratione manifeſtum ſit; iſthæc omnia non extitiſſe à ſeipſis; oportet ut eadem ſum-

§. II. (1) Haud inutiliter de hoc argumento legi poſſunt antiquiores Scriptores; ut ſciamus, naturam rerum, etiam cum minùs eſſet explorata, non obſcurè Auctorem ſuum eſſe faſſam: ſed præcipuè hic conſulendi recentiores; quò enim majores in rerum naturalium ſcientia facti ſunt progreſſus, eò luculentiora Divini Opificis emicuerunt indicia.

ſummam aliquam cauſam habeant: Quæ ipſa eſt id, quod DEUM appellamus.

Ex quo conſequitur, falli eos, qui ſubinde *Naturam*, tanquam ultimam omnium rerum & effectuum cauſam, crepant. Nam, ſi per id vocabulum intelligitur, efficacia illa & vis agendi, quæ in rebus conſpicitur; illa ipſa utique Auctorem ſui, id eſt, DEUM, arguit: tantum abeſt, ut ejus vis ad negandum DEUM quid valere poſſit. Sin autem, per Naturam intelligatur Summa rerum omnium Cauſa, ex profano quodam faſtidio defugitur plana & recepta DEI appellatio.

Errant quoque illi, qui credunt, DEUM eſſe aliquid eorum, quæ in ſenſus incurrunt, & præcipuè *Sidera*. Nam hæc omnia ſubſtantia ipſorum arguit, non eſſe primum aliquod, ſed ab alio ortum.

Nec minùs indignè de DEO ſentiunt, qui eum *mundi animam* dicunt. Anima enim mundi, qualiſcunque illa demum ſit, partem mundi notat: pars autem rei, quomodo ejusdem cauſa, i. e, prius aliquid, èſſe potuit? Quod ſi autem, per *animam mundi* intelligatur primum illud & inviſibile, à quo omnium rerum vis & motus dependet, pro plano vocabulo obſcurum & figuratum nomen ſubſtituitur.

Ex hoc ipſo quoque adparet, *mundum non eſſe æternum*. Id enim abhorret à natura ejus, quod cauſam habet. Et qui mundum

dum æternum aſſerit, aliquam ejus cauſam negat, & ſic ipſum DEUM negat.

§. IV. Tertium eſt, DEUM, TUM IN UNIVERSUM MUNDUM, TUM IN GENUS HUMANUM, REGIMEN EXERCERE (1). Id quod ex admirabili & conſtanti ordi-

§. IV. (1) Ut perſuaſio de exiſtentia & providentia Summi Numinis, tanquam omnis religionis & moralitatis immota baſis, eſt animis noſtris altè infigenda; ita, omnes huic adverſantes ſententiæ, ut quæ in ipſis hominum moribus pernicioſiſſimum effectum obtinent, ſeduló ſunt cavendæ ac eradicandæ.

Huc pertinet inprimis (præter Atheiſmum & Epicureiſmum, quorum utroque omnem religionem & moralitatem æquè directè impugnari hîc notat Auctor) Sententia eorum Veterum, ſeu Philoſophorum, ſeu Pœtarum, qui docuerunt, omnes res & actiones, inevitabili quodam fato, Divinæ Voluntatis determinationem antecedente (imo cui & ipſum *Jovem* ſubjecerunt) neceſſariò determinari.

Sed neque de abſoluto DEI dominio rectè ſentiunt, qui exiſtimant, cauſarum ſecundarum & effectuum adeo firmum ac inviolabilem eſſe nexum, ut ne quidem ab ipſo DEO, poſtquam rerum originariam poſitionem ſtabilivit, tolli, aut in particulari caſu ſuſpendi, poſſit: Hujus quippe doctrinæ falſitatem ſatis evincunt innumera miraculorum exempla: iniquè tamen eidem objicitur ab Auctore noſtro *J. N. & G. Lib. II. Cap. IV.* §. 4. quòd hâc ſententiâ admiſsâ, effectus precum, pœnitentiæ, & emendationis, perimi videantur: DEUS enim, ut decreto ſuo, ita etiam, ſi voluit, præſtabilitâ rerum harmoniâ, potuit morales hominum actiones cum moralibus iſtis effectibus conjungere: quod & omnino factum par eſt credere; cum experientia probet, in rerum eventu moralibus noſtris actionibus attemperando, egregiè ſæpe eluceſcere Divinam Providentiam, etiam ubi miraculum interveniſſe nulla ratio ſuadet. At ſi cauſarum & effectuum phyſicam concatena-

ordine, qui in hoc univerſo cernitur, liquidò adparet. Quoad effectum autem moralem, perinde eſt, utrùm quis neget, DEUM exiſtere, an ab eodem humana curari; cum utrumque omnem religionem planè tollat. Fruſtrà enim metuitur aut colitur, utut in ſe ſit præſtantiſſimus, qui nullâ plane noſtri curâ tangitur, & nihil boni malique in nos vult aut poteſt conferre.

§. V. Quartum eſt; NULLUM ATTRIBUTUM IN DEUM CADERE, QUOD ALIQUAM IMPERFECTIONEM INVOLVAT. Cum enim ille omnium rerum cauſa ſit & origo, abſurdum foret, creaturam ipſius aliquam ſibi poſſe perfectionem animo concipere, quæ abs DEO abeſſet. Imo cum iſtius perfectio infinitis modis exſuperet captum tantillæ creaturæ, eandem terminis potiùs negativis, quàm poſitivis, exprimere par erit. Inde DEO haudquaquam ſunt tribuenda, quæ *finitum* aut *determinatum* quid notant; quia finito majus ſemper attribui poteſt. Et omnis determinatio

tenationem, ad moralem, de qua diximus, connexionem excludendam, quis urgere velit; haud facilè admitti poteſt error, perniciosæ magis, quod ad mores attinet, conſequentiæ. Qui verò inſuperabilem ejusmodi efficaciam, circa bonos aut malos, qui ſingulis hominibus contingere poſſunt, eventus, tribuunt Siderum aſpectibus, aliisve cauſis imaginariis, quæ cum iis nihil commune habent, impietati addunt inſaniam; dum vanâ, haud minùs quàm irreligioſâ, ſe torquent ſollicitudine.

natio ac figura (1) terminos ac circumſcriptionem involvit. Quin nec dicendus eſt *diſtinctè & plenè comprehendi*, *aut concipi*, *noſtra imaginatione*, *vel quacunque facultate animæ noſtræ*; quia quicquid animo diſtinctè & plenè concipere valemus, id finitum eſt. Neque verò ideo, quia *DEUM infinitum* dicimus, ejus conceptum plenum animo tenemus: cum *Infinitum* propriè non notet aliquid in ipſa re (2), ſed impotentiam in animo noſtro; ac ſi diceremus, non capere nos magnitudinem ejus eſſentiæ. Inde nec rectè dicitur, quòd *partes habeat*, aut ſit *totum* aliquid; quia hæc attributa finitorum ſunt. Neque quòd *in loco aliquo contineatur*; quia hoc innuit fines & terminos magnitu-

§. V. (1) Natura ſpiritualis, ſive cogitativa, cum extenſione, utpote partium realem diverſitatem includente, conciliari haudquaquam poteſt: nec igitur illius infinitudo in infinita extenſione, nec finitudo in figura, ſive extenſionis terminatione, eſt poſita. Figura itaque non ideo duntaxat DEO eſt neganda, quia rei figuratæ terminos, ſive circumſcriptionem, involvit; ſed & quia ſupponit extenſionem; quæ, vel ideo quòd ex partibus finitis neceſſariò conſtituatur, Entis infinitè perfecti attributum eſſe non poteſt. Et ob eandem cauſam, DEUS, *Imaginatione* propriè ſic dicta, non tantùm non plenè comprehendi, ſed nec ullatenùs attingi, poteſt.

(2) Intelligit Auctor, noſtram ideam *Infiniti*, non poſitivè ac ſpecialiter exhibere, quid res ipſa ſit: quippe, notat ea quidem in Objecto ſummam perfectionem; ſed quam per hoc ſolum deſignat, quòd eam neque animo poſſimus comprehendere, neque ullâ aliâ re metiri.

dinis. (3) Neque quòd *moveatur*, aut *quieſcat;* utrumque enim ſupponit eſſe in loco. (4)

Sic nec Deo propriè attribui poſſunt, quæ *dolorem* aliquem aut *paſſionem* notant, [*propriè* dico; nam ubi talia Deo attributa leguntur, id fit ἀνθρωποπαθῶς, pro effectu, non affectu] ut eſt ira, pœnitentia, miſericordia. Item, quæ *egeſtatem & abſentiam alicujus boni* notant; ut eſt adpetitus, ſpes, concupiſcentia, amor cupidinis. Nam hæc involvunt indigentiam, adeòque & imperfectionem: cum intelligi non poſſit, ut quis adpetat, ſperet, cupiatve, niſi quibus indiget, caretve.

Sic & quando Deo tribuitur *intellectus*, *voluntas*, *ſcientia*, & *actus ſenſuum* (5), viſio, au-

(3) Terminos, dic potiùs, *perfectionis*. Vide *Obſerv.* 1. *in h.* §.

(4) Imo certè utrumque ſupponit, *in loco contineri:* aliàs enim, *eſſe in loco* ſano ſenſu Deo poteſt tribui.

(5) Omnino hic diſcrimen admittendum cenſuerim. Quæ enim ſub nominibus *Senſationis*, & ſingularum ejus ſpecierum, propriè acceptis, intelliguntur, cum in ipſa idea ſui, paſſionem, atque adeò dependentiam, involvant, à Deo longè ſunt removenda: Aliud verò dicendum de nominibus *Intellectûs*, *Voluntatis*, & *Scientiæ* [modò hæc ad Dianoeticam non reſtringatur:] quamvis enim notent ea, quæ in hominibus reverà ſunt imperfecta; in ipſis tamen abſtractis ideis, iſtis nominibus alligatis, imperfectiones iſtæ haudquaquam involvuntur: neque enim verum eſt, intellectionem, ſive cognitionem

auditio, illa longè ſublimiori modo ſunt capienda, quàm quo nobis inſunt. Nam *voluntas* eſt adpetitus rationalis: adpetitus autem præſupponit abſentiam & indigentiam rei congruentis. Et *intellectio* ac *ſenſus* in hominibus involvit paſſionem, per objecta in organa corporis & potentias animæ impreſſam. Quod eſt indicium potentiæ ab alio dependentis, & conſequenter non perfectiſſimæ.

Denique, & illud à perfectione divina abhorret, ſi dicantur *plures uno Dii.* Nam, præterquam quòd admiranda mundi harmonia unum duntaxat ejus moderatorem arguit, etiam finitus tunc foret Deus, ſi plures eſſent paris poteſtatis ab ipſo non dependentes. Sic ut contradictionem involvat, plura dari infinita.

Quæ cum ita ſint, maximè rationi congruum eſt, circa attributa Dei utcunque exprimenda, uti nominibus vel *negativis*, ut infinitus, incomprehenſibilis, immenſus, æternus, i. e. principio & fine carens; vel *ſuperlativis*, ut optimus, maximus, potentiſſimus, ſapientiſſimus, &c. vel *indefinitis* (6),

nem veri, per ſe involvere paſſionem; aut voluntatem, quâ talem, ſupponere indigentiam rei congruentis: imo, indignè admodum de Deo ſentiret, qui eum non conciperet, perfectiſſimo modo intelligentem, ſimul ac volentem; adſtipulante Auctore noſtro, de *J. N. & G. Lib. II. Cap. IV.* §. 3. & paſſim alias.

(6) Nomina indefinita, ut *Bonus*, *Juſtus*, & quæ ſunt

ut bonus, juſtus, creator, rex, dominus, &c. eo ſenſu, ut non tam velimus, quid ſit, diſtinctè dicere, quàm noſtram admirationem & obedientiam qualicunque expreſſione profiteri; quod eſt ſignum animi humilis, & animi honorantis quantum poteſt.

§. VI.

ſunt ſimilia, cum DEO tribuantur κατ' ἐξοχὴν, æquipollent hîc ſuperlativis: addenda igitur potiùs cenſuerim, pro tertio membro, nomina *relativa;* cujuſmodi ſunt, quæ hic ſubjiciuntur, *Creator*, *Rex*, *Dominus*, &c.

Ex dictis patet, non ſolùm à Summo Numine omnes imperfectiones longè eſſe removendas, quod fit præcipuè per *Attributa* ejus *incommunicabilia;* ſed & eidem omnes puras perfectiones, & in ſpecie Agentium rationalium proprias, quæ *Attributa* Numinis *communicabilia* dici ſolent, ut perfectiſſimo, atque adeò incommunicabili modo, ab eo poſſeſſas, conſtanter eſſe tribuendas; eamque ſimul omnem circa res creatas, inprimis rationales, operationem, quæ illis perfectionibus eſt digna: Hoc eſt, DEUM concipiendum eſſe, *Spiritum infinitè Sapientem*, *Potentem*, *Juſtum* atque *Sanctum;* à quo, tanquam cauſâ intelligente & liberâ, cæteræ res originem & motûs ſui principium habent; qui, ut omnibus rebus imperio *phyſico*, ita rationalibus, in ſpecie Hominibus, imperio *morali*, moderatur; quo certa ab iis officia exigit, quorum obſervatio ipſi probetur, violatio & neglectus diſpliceat; eoque nomine ab omnibus incorruptè, & citra reſpectum perſonarum, rationem eſt exacturus. Moralis etenim DEI imperii, & moralium, quæ in eo elucefcunt, perfectionum, agnitio, ſpeciali quodam modo ad mores hominum ritè moderandos confert: huic itaque adverſantes ſententiæ ſedulò caveri & procul arceri debent.

Hujus generis ſunt figmenta eorum, qui ſomniant, Summum Numen peccata hominum quaſi nundinari,

§. VI. Propoſitiones *Practicæ* religionis naturalis verſantur, partim circa *Internum*, partim circa *Externum*, *Cultum DEI.*

Internus Cultus DEI conſiſtit in ejus HONORE. *Honor* autem eſt opinio (1) alienæ potentiæ, conjunctæ cum bonitate. Debet ſcilicet animus hominis, ex conſideratione potentiæ & bonitatis DEI, quantam

G 3 poteſt

ri, h. e. vel munerum oblationem, vel rituum quorumcunque [præſertim è vanis hominum cerebellis excuſorum] præſtationem, accipere in ſatisfactionem delictorum, ab hominibus vel priùs admiſſorum, vel deinceps admittendorum; vel etiam ullâ ſatisfactione pro peccatis præſtitâ, hominem liberari poſſe, ab obligatione ad pietatis & probitatis officia in poſterum præſtanda. Sed & magis eorum deteſtanda eſt veſania, qui opinantur Numen quibuſdam ſceleribus favere, eaque velut jocularia habere; quemadmodum veteres Ethnici fingebant, Deos ſuos amantium perjuria ridere; quin & ſingulis ferè ſceleribus, ſingulos Deos Patronos præficiebant. Procul etiam arcenda eſt eorum impietas, qui ſperare audent, DEO placituras eſſe ſceleſtas preces, quibus aliis immeritum aliquod malum ſuæ utilitatis gratiâ imprecantur; aut eidem gratam fore religionem, cujus præcepta eò tendunt, ut communia Socialitatis Jura evertant; ut ſi doceant v. g. cum hominibus ab illa religione alienis fidem non eſſe ſervandam, ad religionem propagandam nihil non licere, &c. Hæc, inquam, & ſimilia doctrinarum monſtra, tanquam pariter in DEUM ejuſque imperium contumelioſa, ac omni religioni & morum probitati inter homines inimica, ſunt omnibus bonis ſummopere deteſtanda.

§. VI. (1) *Honor* potiùs eſt, *Amor reverentiâ temperatus*; qui affectus ex opinione ab auctore deſcripta naturaliter fluit.

poteſt animo venerationem adversùs ipſum concipere.

Ex quo fluit, ut eundem debeat AMARE, tanquam omnis boni auctorem & datorem; IN EUM SPERARE, tanquam abs quo in futurum quoque omnis noſtra felicitas dependeat; EJUS VOLUNTATE ADQUIESCERE, tanquam qui pro ſua bonitate omnia optimè faciat, nobisque det, quæ maximè expediunt (2); EUM TIMERE, tanquam potentiſſimum, & cujus offenſa maximum ſit malum conciliare apta; ei denique, IN OMNIBUS HUMILLIME OBSEQUI (3), tanquam creatori, domino, ac rectori optimo maximo.

§. VII. *Externus* DEI *cultus* in hiſce potiſſimùm conſiſtit,

1. Ut HOMO DEO GRATIAS AGAT (1), pro tot bonis ab eo acceptis.

2. Ut

(2) Haud facilè homo peccati ſibi conſcius, dum ſolo naturæ lumine utitur, ſolidè ſibi perſuadere poteſt, ſe ſemper à DEO accepturum quæ ſibi maximè expediunt: iſtius verò perſuaſionis loco, ad fundandam eam, quæ obmurmurationi opponitur, *Acquieſcentiam*, valere debet agnitio Divinæ Juſtitiæ.

(3) *Obſequi* (ut ſuprà notavimus in §. 1. *Obſ.* 2.) eſt vocabulum nimis generale; cum non tantùm ad externum, æquè ac internum cultum, ſed & ad omne genus officii, ſe extendat. Rectiùs cum Cl. *Barbeyracio* hic ſubſtitues, *Animum habere diſpoſitum ad DEO in omnibus humillimè obſequendum;* vel potiùs (ut actum aliquem, non merum habitum, dicamus) *DEO in omnibus obſequi firmiter apud ſe ſtatuere.*

§. VII. (1) *DEO gratias agere*, ut & *eum admirari*, & *ad*

2. Ut ipſius voluntatem per actiones ſuas, quantum fieri poteſt, exprimat, ſeu EI OBTEMPERET.

3. Ut EJUS MAGNITUDINEM ADMIRETUR, ET CELEBRET.

4. Ut PRECES AD IPSUM FUNDAT pro obtinendis bonis & averruncandis malis; preces enim ſunt ſigna ſpei, ſpes verò bonitatis & potentiæ divinæ agnitio eſt.

5. Ut, ſi res tulerit, PER SOLUM DEUM JURET, & JURAMENTUM RELIGIOSISSIME OBSERVET. Hoc enim poſtulat omniſcientia & potentia DEI.

6. Ut DE DEO CONSIDERATE LOQUATUR; id enim eſt ſignum timoris; timor autem potentiæ confeſſio eſt. Ex quo conſequitur, *non eſſe utendum DEI Nomine temerè & fruſtrà.* utrumque enim inconſideratum. *Non eſſe jurandum, ubi non eſt opus;* eſt enim fruſtrà. *Non eſſe curioſè & petulanter diſputandum circa Naturam & gubernationem DEI:* Ex hoc enim nihil aliud ſequitur, quàm ut DEUM exigere velimus ad modulum noſtræ rationis.

7. Item, ut QUICQUID DEO PRÆSTANDUM EST, IN SUO GENERE SIT EXIMIUM, ET HONOREM EXPRIMERE APTUM.

& ad eum preces fundere, non per ſe (ut rectè *Barbeyracius*) ſed tantùm, quatenùs externis ſignis dicti actus, cæteroquin interni, exprimuntur, ad *cultum externum* pertinent.

8. Item, ut HOMO DEUM NON SOLUM SECRETO, SED ET PALAM ET PUBLICE IN CONSPECTU HOMINUM COLAT. Occultare enim aliquid eſt, quaſi quis eo exercendo erubeſceret. Contrà, publicus cultus non ſolùm de noſtra devotione teſtatur, ſed & alios exemplo incitat.

9. Denique, ut SUMMO CONATU LEGES NATURALES OBSERVET (2).

Nam, uti imperium DEI parvipendere ſuperat omnes contumelias; ita, è contrario, omnibus ſacrificiis eſt acceptior obedientia.

§. VIII. Enimverò id certum eſt, effectum hujus *Religionis Naturalis*, præcisè & pro præſenti hominum conditione conſideratæ, intra ſphæram hujus vitæ terminari (1); ad æternam autem ſalutem nanciſcendam nequaquam valere. Ratio quippe humana ſibi relicta jam ignorat, pravitatem quæ in facultatibus & inclinationibus hominis cernitur, per culpam humanam proveniſſe, Deique offenſam & æternum exitium mereri. Eoque & neceſſitas Salvatoris, ejusque officium

(2) Cur hoc ultimum membrum, ut & ſecundum, quod cum eo coincidit, minùs rectè hic cenſeam acenſeri, intelligi poteſt ex dictis, *Obſerv.* 2. in §. 1. & *Obſerv.* 3. in §. 6. Utriusque loco ſubſtitue, ſi placet, *Illos cultûs externi ritus obſervare*, *quos DEUS Legibus poſitivis præſcripſerit:* Nam & hi, ex hypotheſi datarum iſtiusmodi Legum poſitivarum, ipſo Jure naturali imperantur.

§. VIII. (1) Vide *Obſerv.* 1. *in Præfat.* §. VI. & confer *Obſerv.* 1. *in* §. *ult. Cap. III.*

officium & meritum, nec non promiſſa Dei humano generi facta,& quæ alia inde dependent, eandem latent: per quæ ſola ſalutem æternam hominibus provenire, ex divinis literis conſtat.

§. IX. Operæ pretium porrò fuerit, paulò diſtinctiùs expendiſſe uſum, quem in vita humana *Religio* gignit; ut conſtet, *eam reverà eſſe ultimum & firmiſſimum humanæ Societatis vinculum* (1).

Nam, in *libertate naturali*, ſi metum divini Numinis removeas, ubi quis propriis viribus ſiſus fuerit, quælibet imbecillioribus pro libitu inferet, ac honeſtatem, pudorem, fidem, inter inania vocabula reputabit, nec ad rectè faciendum aliter, quàm ſenſu propriæ imbecillitatis adigetur.

Porrò, religione remota, *Civitatum* firmitas intrinſeca ſemper in incerto foret, ac ad cives

§. IX. (1) Nomine *Religionis*, de qua hæc affirmantur, non tam hîc preſsè intelligitur, immediatus Dei cultus, quàm univerſalis ille reſpectus ad Deum, tanquam Supremum Dominum ac Judicem, qui in omni Legis obſequio debet includi; & quo penitùs ſublato, Boni & Mali moralis ideæ in ſonos inanes evaneſcunt. Contraria quidem ſententia temerè arrepta eſt à multis, imo ab ipſo *Grotio*, de *J. B. & P. Prolegom.* §. XI. & noſtro ſæculo à nonnullis deteriore conſilio propugnata; ut ſc. fœdam Atheiſmi deformitatem obducto qualicunque fuco diſſimulent. Sed hæc res ampliorem requirit diſcuſſionem, quàm patitur hujus inſtituti ratio. Vide quæ habet Cl. *Barbeyracius*, in defenſione Auctoris, adversùs Anonymi (id eſt, Cl. *Leibnitii*) cenſuram, §. XIII. & ſeqq.

cives in officio continendos haudquaquam ſufficeret metus temporalis pœnæ, fides ſuperioribus data, ejusque ſervandæ gloria, & gratitudo, quòd ope ſummi imperii à miſeriis ſtatûs naturalis defendantur. Tunc enim reverà locum haberet, *Qui mori ſcit, cogi neſcit* (2): Quippe, cum DEUM non metuentibus, nihil magis quàm mors metui poſſit, huic contemnendæ qui ſufficeret, in imperantes quævis tentare poſſet. Ut autem id vellet, vix cauſa defutura foret; putà ut declinaret incommoda, quæ ſibi ab alterius imperio videntur incumbere; aut, ut ipſe potiretur commodis, quæ imperii poſſeſſorem comitantur. Præſertim, cum facilè judicare poſſit, jure ſe id facere; vel quòd, qui in præſens rerum potitur, pravè remp. videatur gerere, vel quòd ipſe longè meliùs imperaturum ſeſe ſperet. Occaſio autem ad talia tentanda facilè offerri poſſet, rege vitam ſuam non ſatis cautè circumſepiente, (& quis tali rerum ſtatu cuſtodes ipſos cuſtodiet? (3) vel multis conſpirantibus, vel bello externo ingruente, adſcitis in partes hoſtibus. Prætereà, cives ad injurias mutuò inferendas futuri eſſent proniſſimi. Cum enim in foro civili pronuncietur ſecundùm acta & probata,

(2) SENECA, *Herculis furentis*, Act. II. Scen. *Lycus*, *Megara*, &c.
—— *Cogi qui poteſt, neſcit mori.*

(3) JUVENALIS, Sat. VI. verſ. 347, 348.
—— *Sed quis cuſtodiet ipſos Cuſtodes?*

ta, omnia ſcelera & flagitia, ex quibus lucrum provenire aptum eſt, ſi occultè patrari & ſine arbitris poſſent, pro dexteritate ingenii, in qua placere ſibi quis poſſet, haberentur. Nemo quoque opera miſericordiæ aut amicitiæ foret exerciturus, niſi gloriæ aut emolumenti exploratâ ſpe. Ex quo & illud conſequeretur, ut dum nemo in alterius fide, remotis pœnis divinis, ſolidam fiduciam collocare poſſet, ſinguli perpetuo metu & ſuſpicionibus anxii viverent, ne ab aliis deciperentur, aut læderentur. Sed & tam imperantes quàm ſubjecti parùm proclives futuri eſſent ad præclara & glorioſa opera patranda. Nam imperantes, nullo conſcientiæ vinculo conſtricti, omnia munia, ipſamque juſtitiam, venalia eſſent habituri, & in omnibus privatum commodum quæſituri, cum oppreſſione civium: à quorum rebellione uti ſibi ſemper metuerent, ita ſuam ſalutem unicè in eo poſitam intelligerent, ut iſtos quàm maximè enerves redderent. Cives contrà, oppreſſionem imperantium formidantes, nunquam non circumſpecturi forent occaſiones rebellandi: nec minùs tamen ipſi inter ſe diffiſuri, ſeque mutuò formidaturi erant. Quin & conjuges, obortâ vel levi querelâ, ſe invicem eſſent ſuſpectaturi, ne veneno, aut alio clandeſtino modo, necarentur. Par periculum à familia immineret: cum enim ſine religione nulla quoque futura foret conſcientia, non facilè eſſet oc-

culta

culta ejuſmodi ſcelera deprehendere; quippe, quæ plerumque per inquietudinem conſcientiæ, & terrores in exteriora indicia erumpentes, prodantur.

Unde adparet, quantopere interſit generis humani, atheiſmo omnes vias, ne invaleſcat, præcludere; ſimulque quanta vecordia eos agitet, qui ad opinionem prudentiæ politicæ conciliandam facere autumant, ſi in impietatem proclives videantur.

CAPUT V.

De Officio Hominis erga Seipſum.

I. *Officia circa ſe haud fruſtrà homini injuncta.* II. *Primum eorum ſpectat animi culturam*; III. *Proximum, corporis vires conſervandas.* IV. *Quid juris homini in propriam vitam?* V. *Defenſio ſui licita citra noxam alterius*; VI. *Quin & violenta, cum læſione invaſoris*: VII. *Salvo tamen inculpatæ tutelæ moderamine.* VIII. *Hoc latius patet in naturali libertate*: IX. *Multò reſtrictius eſt in imperio civili.* X. *Etiam ex errore invadenti reſiſtere licet.* XI. *Tempus tutelæ quod in libertate naturali?* XII. *Ejus quale ſpatium in civili Societate?* XIII. *Non fugere aliquando licet, non ſe ſponte ſiſtere.* XIV. *Defenſio vitæ, atque membrorum ſuorum.* XV. *Etiam pudicitiæ, pari paſſu hic ambulant.* XVI. *Rerum ſuarum defenſio, quouſque pateat?* XVII. *Invaſori, quid juris ad ſe defendendum.* XVIII. *Conſervatio ſui multa præcepta reſtringit.* XIX. *Sinit abſcindere membrum pro ſalute totius.* XX. *Jactura hominum levare ſcapham degravatam*: XXI. *Perituro aliàs ſecum mortem maturare*: XXII. *Innocenti periculum mortis intentare.* XXIII. *In neceſſitate victum invito Domino ſubducere.* XXIV. *Quid liceat in res alienas pro ſervandis noſtris?*

QUAN-

QUANQUAM hominem *amor ſui* penitùs infixus ſubigat, ſolicitam ſui curam agere, ſuaque commoda omnimodis procurare, ſic ut hoc intuitu alim obligationem comminiſci, ſupervam (1) videatur; alio tamen reſpectu, no utique certa quædam CIRCA SEIPſ obſervare tenetur. Cum enim non ſoli ſit natus homo, ſed ideo tam exis dotibus à Creatore ſit ornatus, ut & ius gloriam celebret, & idoneum ſocieis humanæ membrum exiſtat; inde ita e componere homo tenetur, ut ne dona reatoris inculta perire patiatur, & ad ſoetatem humanam aliquid pro virili conrat. Sic, etſi ſua cuique ruditas maximo t probro & damno; rectè tamen à magiro vapulat diſcipulus, ſi, quarum capax rat, artes addiſcere negligat.

§. II. Porrò, cum Homo conſtet duaus partibus, *Anima* & *Corpore*, quarum illa ectoris, hoc miniſtri aut inſtrumenti, vicem ubit, ſic ut animi imperio, corporis ſervitio, magis utamur; utriuſque quidem cura, ſed illius tamen præcipuè, agenda. Et ANIMUS quidem ante omnia AD COMMODE TOLERANDAM VITAM SOCIALEM

§. (1) Non eſt ſupervacua obligatio, ut homo ſui curam agat intuitu *Legis*, & illius *Superioris* qui legem impoſuit: per hanc autem, quo nomine ad ſe curandum quiſque teneatur, diximus *Obſerv. ult.* in *Cap.* III.

LEM EST FORMANDUS, OFFICII QUE ET HONESTI SENSU ET AMORE IMBUENDUS (1). Tum pro cujuſque capacitate & fortuna aliquid addiſcendum, ne quis inutile terræ pondus ſit, ſibi gravis, aliis moleſtus. Sed & tempeſtivè eligendum honeſtum vitæ genus, prout impulſus genii, corporis atque ingenii habilitas, natalium conditio, fortunæ bona, parentum auctoritas, imperantium civilium juſſa, occaſio, aut neceſſitas ferunt.

§. II. (1) Sicco nimis pede hic præterit Auctor *Culturam Animi*; quæ tamen, inter officia Jure Naturali nobis præſcripta, haud infimum locum obtinet; & cujus doctrina ferè ſola, ſub *Ethicæ* nomine, apud recentiores quoſdam ſcriptores, quibus Ethicam à Naturali Juriſprudentia diſtinguere placuit, videtur comprehendi. Hunc defectum ut plures, in variis hujus Tractatûs editionibus, ſive in Textu, ſive in ſubjectis notis, aut additamentis, ſuppleverunt, ex ipſo Auctore de *J. N. & G. Lib. II. Cap. IV.* ita nos ſequens Supplementum, maxima ex parte, ut in *præfatime* monuimus, inde deſumptum, hic inſerendum cenſuimus.

SUPPLEMENTUM III.

De Officiis Hominis erga ſuam mentem.

MENTIS Cultura in his præcipuè verſatur; ut, *ea ſanis imbuatur ſententiis circa res ad officium pertinentes;* ut *iſta Objecta rectè addiſcat æſtimare, quæ appetitum humanum ſtimulare ſolent;* ut *Affectibus ſuis juxta Ratio-*

ıis normam aſſueſcat imperare ; ut denique, *a aliquâ Arte, cujuſque conditioni & viven-eri accommodatâ, maturè inſtruatur.*

Inter Sententias quibus Mens inprimis eſt enda, primum locum obtinet, certa & ſo-ıerſuaſio eorum, quæ de DEO, CREA-ʀE, CONSERVATORE ET RE-)RE HUJUS UNIVERSI, Capite o ſunt tradita : In hac quippe perſuaſione, modò præcipuum quoddam hominum of-n vertitur [ſub qua conſideratione ea di-V. Capite fuit inculcata] ſed & eadem eſt amentum ſuavis cujuſdam acquieſcentiæ, hominum mentes intrinſecùs perfundun- nec non firmamentum omnis probitatis alios homines exercendæ : ita ut recta per-ɔ de Exiſtentia & Providentia Numinis, ſit um, diverſo reſpectu, erga *DEUM*, erga *tipſos*, & erga *alios Homines.*

Poſt Cognitionem DEI, uniuſcujuſque nis quàm maximè intereſt, ut probè NO-ʀIT SEIPSUM, idque quatenùs referum ad DEUM, tum ad alios Homines. iore quidem reſpectu, nôſſe debet unuſue homo, ſe eſſe à DEO conditum, at-ıb ejuſdem efficace providentia in ſolidum ere; adeoque ad eum colendum, eique m gerendum in omnibus, utcunque ſuæ liorum hominum lubidini adverſantibus, iſſimo vinculo teneri. Scire etiam debet, uctore ſuo, rationali ſe facultate donatum cujus rectus uſus poſtulat, ut ne, Brutomore, cæco velut impetu feratur; ſed fi- natura ſua dignum ſibi præſtituat, atque ım conſequendum aptè electis mediis uta-

tur;

tur; atque adeò per hunc mundum [quæ viri ſapientis eſt prærogativa] non volvatur, ſed procedat. Reſpectu verò aliorum Hominum, agnoſcere ſe debet unuſquiſque, quantuſcunque ſibi videatur, exiguam duntaxat eſſe partem humani generis; in quo alius quilibet homo partem naturaliter æqualem facit: atque idcirco, cum *de ſimilibus ſimiliter ſemper judicare* ſana ratio doceat, eadem omnia, in ſimilibus circumſtantiis, cæteris eſſe permittenda, quæ ſibi aſſumit; nec privata ſua commoda pluris ſibi eſſe facienda, ſi cum communi humani Generis bono comparentur, quàm ipſe æſtimat rectam diſpoſitionem unius cujuslibet minutiſſimi ſui membri, cum totius corporis ſanitate collatam.

III. Quin etiam, ad debitam ſui cognitionem pertinet, ut unuſquiſque VIRES ſuas probè exploratas habeat; & quem effectum ſingulæ ſuæ actiones in rebus externis producere valeant. Hæc qui ritè perpenderit, facilè agnoſcet, eſſe quædam, quæ ejus actionibus neque promoveri neque impediri poſſunt; alia, quæ nonnihil quidem ab influxu ejus actionum pendere videantur, ſed ita, ut ab aliis innumeris cauſis, conatum ejus fruſtrantibus, intercipi queant: alia denique, quæ ab ejus voluntatis determinatione in ſolidum pendent, cujuſmodi ſunt uniuſcujuſque liberæ Actiones: circa has igitur præcipuè ſatagere debet homo, ut ad ſanæ Rationis normam exigantur; utpote quæ ſolæ, per ſe, in laudem vel vituperium, præmium vel pœnam, ei imputari queunt.

IV. Circa res verò ab humano arbitrio non in ſolidum pendentes, ita laborare debet homo, ſi & omnem actionum ejus influxum non planè ex-

ant, & ad finem ejus legitimum faciant, ,næ ſint, propter quas labor impendatur: a divinæ providentiæ ſunt committenda; uiſquam ſe inquietare debet, ob mala, quæ ſuam culpam ſibi obvenerunt, aut poſthac iire poterunt: quo ipſo humanarum cu- ı non exigua pars præſcinditur. Quinimo, in iis, quæ humanæ providentiæ locum nt, res cœcæ velut aleæ non eſt commit- ; ita, ſi quantum penes nos eſt factum fue- cætero, improviſum, & à noſtra directio- n pendentem, eventum, præſtare non poſ- ;. Porrò, ſicut ſapientis eſt, non ea tan- |uæ ante pedes ponuntur cernere, ſed fu- ετiam, quoad humana conditio patitur, dere, & propoſitum hac ratione rectè for- n conſtanter proſequi, ita ut nec metu ;. æſentis voluptatis illecebris, ab eodem ſe 'acilè patiatur; ſic ex altera parte, ſtolidè ati eſt, contra torrentem niti, & non re- ɔtiùs ſemet accommodare, quouſque has t accommodare non poteſt. Denique, cum rum rerum exitus ſit incertus; nec præ- ıs nimis ſecurè eſt confidendum, nec fu- imis anxia ſollicitudine ſunt præcipienda: ıs ſecundis inſolentia, in adverſis deſpera- procul habenda.

Ad rectam quoque animi culturam perti- :ximus, ut quiſque aſſueſcat EA RITE IMARE, QUÆ HOMINUM AP- TUM STIMULARE SOLENT. hæc inprimis occurrit EXISTIMA- quæ hominibus erectioris indolis, & ex ; luto fictis, ſemper fuit in pretio. At- quidem ſummopere curare debet unuſquiſ-

H que,

que, ut, quantum fieri poteſt, ſimplicem tueatur exiſtimationem, *h. e.* famam & opinionem *honeſti Viri;* atque hanc, ſi quando calumniis eam impeti contingat, quantùm in ſe eſt, nitori ſuo reſtituere conetur: ſi verò, omni adhibito conamine, ſiniſtra opinio apud multos invaleat; viro bono ſatisfacere debet, innocentiæ ſuæ, cujus DEUM quoque teſtem habet, conſcientia. Exiſtimatio verò intenſiva, quæ in ſpecialibus honoribus, & honorum inſignibus, ſita eſt, à Viro ſapiente non ulteriùs affectari debet, quàm quatenùs ea, vel ex præclaris meritis oritur, vel illuſtribus factis, & quibus de humano Genere bene eſt meriturus, latiorem campum aperit. Parto inſuper Honore, non eſt inſolenter gloriandum; multò minùs immeriti honores ſunt ambiendi; omnium minimè, per pravas & pudendas artes ad eos eſt graſſandum. Denique, ſi meritis noſtris æquales honores aſſequi non contingat; non ideo deponendus eſt animus, aut bene agendi ſtudium omittendum.

VI. Variæ inſuper RES EXTERNÆ, ad vitæ ſuſtentationem ſunt neceſſariæ; quas etiam aliis parare quandoque officium exigit: circa has itaque parandas, quantum vires, occaſio, & honeſtas permittit, ritè ſatagimus. Hìc verò unuſquiſque meminiſſe debet, ſuis & ſuorum uſibus, finitam, imo modicam, harum rerum copiam ſufficere; ut in immenſum curas & cupidines ſuas diſcat non extendere. Inſuper, quæ parta ſunt, haberi debent, ut ſubſidia noſtræ neceſſitatis, & materia de aliis bene merendi; non ut quibus, ſine fine modoque congeſtis, vanam quis imaginationem titillet. Cogitandum eſt etiam, Naturam non deſinere, iſtarum rerum

quæ

hominibus uſui ſunt eſſe fœcundam: Item, in futurum reponuntur, variis caſibus eſſe oxia, ut in iis cuſtodiendis, ſæpe non minùs m in acquirendis, anxia ſolicitudo homines iare ſoleat: omnia denique morienti eſſe reuenda. Sicut igitur, externas res juſtè acendi occaſio non eſt negligenda; ita, neque nterceptis, vel amiſſis, concidere debet ani-. Et ſicut eædem, officio ſic poſtulante, alacriter erogandæ; ita non ſunt præter netatem diſſipandæ: æquè enim ſtultum fueeas, uſui cui ſunt deſtinatæ ſubtrahere, ac ad tos & ſuperfluos uſus prodigè conſumere.

/II. Ad VOLUPTATES porrò ſenſibiles, etiam Hominum appetitum ſolent allicere, ue oppoſitos *Dolores*, quod attinet; Dolores neceſſarii, quantum fieri poteſt, ſunt fugienutpote qui, & corporis rectam temperiem, a ſaltem in parte, lædunt, & mentis capaem occupantes, hanc ad munera ejus obla minùs habilem reddunt: imo objecta bus grata, ad aliquem ſaltem gradum, ſunt lectenda; hæc enim modicè uſurpata, tum orporis ſanitatem, tum ad ipſius mentis in tionibus ejus obeundis alacritatem, condu-: non tamen delicatiſſimæ Senſuum Volues ſunt exquirendæ; utpote quæ, & corporis vires labefactantes, & Animi vigorem opientes, hominem ad ſeria quævis negotia anda reddere ſolent inutilem; tempus inr melioribus uſibus deſtinatum ſuffurantur; ion rerum externarum apparatum, ad vicommodè agendam neceſſarium, plerumque umunt; atque aliàs non raro cum delicto conjunctæ. Sicut igitur veſaniæ proximum

 fuerit,

fuerit, dolores non neceſſarios arceſſere; ita ſapientis eſt, voluptates ſenſibiles, modicè potiùs delibare, quàm penitus deglutire: præſertim verò cavendum, ne quam, voluptatis causâ, officii violationem admittamus.

VIII. Ad Animi culturam pertinere inſuper, ſuprà monuimus, ut AFFECTIBUS MODERARI ASSUESCAMUS: Hi enim, ſi Rationis frænum excutientes, immodici aut inordinati fuerint, tum Animi tum Corporis vigorem profligant, Judicii aciem obnubilant, & ad innumeras ab officio deviationes præcipites agunt. Verùm hîc ad ſpecialiora deſcendere operæ pretium fuerit.

IX. *Amorem* & *Odium* omnium Affectuum eſſe fontes, eſt vulgò notum: ab horum igitur recta temperie, omnium Affectuum moderamen pendet. Amoris verò & odii rectitudo, in his ferè duobus conſiſtit. I. Ut in objecta idonea ferantur. II. Ut eorum intenſio, ipſorum objectorum valori & momento accommodata fuerit. Cum verò Amor & Odium, ſpeciali quodam modo, ſe exerere ſoleant erga Perſonas; ſciendum eſt, Amorem Perſonarum haud ineptè vulgò diſtingui, in Amorem *Benevolentiæ*, quo aliis bene eſſe volumus, & Amorem *Complacentiæ*, quo volumus qualicunque aliorum conſortio frui. In priore quidem Amoris genere, non adeò facilè extra oleas vagamur; modò aliena, æquè ac noſtra, commoda, Divinæ Providentiæ diſpenſationi lubentes ſubjiciamus; & modò falſa ac imaginaria, magis quàm vera Bona, aliis non optemus. In Amore verò Complacentiæ, ſolicidè cavendum eſt; ut in objectum dignum feratur; ut ad turpia patranda ſe non vertat,

at, aut ex turpibus pabulum ſibi quærat;
liis officiis remoram injiciat, aut in mor-
degeneret; ne denique, ſi ad objecti frui-
em, cujus conſecutio, vel conſervatio, pe-
noſtrum arbitrium non eſt, adſpiret, ſit adeò
nſus, ut objecto illo intercepto, vel amiſſo,
mus planè concidat. Odium ſimiliter Per-
rum, vel eſt *Malevolentia*, vel *Diſplicentia*.
ris generis Odium ſemper eſt malum; eique,
uam pernicioſiſſimo animi morbo, pro vi-
eſt obnitendum. Sed & Odium Diſplicen-
quo alicujus perſonæ conſortium, vel etiam
tionem, averſamur, eſt Affectus habenti
moleſtus; adeòque non tantùm ita tempe-
lus, ne in perſonam averſatione non dignam
tur, nevè ad aliquid contra officium cui-
m inferendum propellat; ſed inſuper, exe-
lus potiùs per ſimplicem neglectum, ſive fu-
mentionis & conſortii, perſonæ, ſi qua ſit,
n meritò averſamur, quàm per ipſum actum
tivum ſæpiùs iteratum: neque enim, ſi quis
n maxime odio dignus ſit, ideo nobis ipſis
tudinem debemus arceſſere.

.. Ex dictis facilè innoteſcit, qua in re ſin-
rum Affectuum moderamen conſiſtat. *Cu-*
as inprimis, quæ nihil eſt aliud quàm Amor
Odium intuitu futuri temporis ſe exerens,
s limitibus circumſcribitur, ſi ſimplex Amor
Odium, unde naſcitur, dignitatis objecti
lum non exceſſerit: ubi verò Cupiditas ver-
r circa objectum, quod extrinſecus intercipi
mitti poteſt; ad vitæ tranquillitatem haud
m intereſt, ut nè mentem in iſtius objecti
emplatione nimis fixam hærere patiamur;
Cupiditatis actum nimis anxiè iterando,

eam in ægritudinem converti permittamus; quæ, ſi objecto deſiderato nos deſtitui contigerit, in omnium paſſionum deterrimam aliquando deſinet: *Triſtitiam* intelligo, cui, tanquam naturæ noſtræ inimicæ, nimium reſiſtere vix poſſumus: niſi quatenus pietas, ut delicta à nobis, vel aliis, admiſſa, Humanitas, ut calamitates aliis hominibus incidentes, doleamus, exigit. Omnium verò maximè deteſtanda eſt illa triſtitia, quæ propter cauſas non idoneas ſe exerit; ut ſpeciatim propter res proſperas aliorum; unde orta triſtitia, ſpeciali nomine vocatur *Invidia;* quæ ſæpe in aliis, ſemper in ipſo invido, effectus parit pernicioſos; invidus enim propriis moribus, ut rubigine ferrum, corroditur. Triſtitiæ affinis eſt *Metus;* Affectus non minùs pernicioſus, & ad res gerendas mentem debilitans, quàm moleſtus; cui idcirco non ulteriùs eſt indulgendum, quàm ut excitemur ad iſta media tempeſtivè adhibenda, quibus imminentia mala, quantum in nobis eſt, amoliamur: quicquid hanc cautionem excedit, inutile eſt ac nocivum. Ad tetricorum quoque Affectuum claſſem pertinet *Ira*; violenta iſta paſſio, quam Stoici *Brevem Furorem* nominabant: Nos, uti eam penitus damnare non audemus, ita cum nonnullis ejus utilitatem celebrare, inutilem planè laborem ducimus: quotusquiſque enim hìc non fræno magis eget quàm calcare? certè, ut iram juſtis limitibus circumſcribere eſt difficillimum, ita ejuſdem exceſſus, inter ea quæ omnium maximè vitam humanam inſociabilem reddunt, & effectus Humano Generi pernicioſiſſimos ſecum ferunt, eſt cenſendus; ut in ira cohibenda nimis eſſe ſeduli vix poſſimus: præſertim verò cavendum, ne

uid longam conſequentium ſeriem poſt ſe
urum, quamdiu fervefcit ira, perpetremus;
ipſius iræ ægritudinem, per ſe ſanè ſatis gra-
, expellere non poſſimus, pernicioſa ſaltem
conſequentia nobis aliisve non arceſſamus.

I. Blandiorum Affectuum chorum ducit
tia; humanæ quidem naturæ amica paſſio;
tamen ita eſt moderanda, ne intempeſtivè,
ex cauſis non idoneis (præſertim verò ex
is malis) ſe exerat; ne ad ineptias proce-
, ne malorum, quibus adhuc ſubjecti aut
oxii ſumus, debitum ſenſum deleat; neve
idam futurorum curam excludat. Lætitiæ
is eſt *Spes:* quæ, utcunque menti adblandia-
, ita temperanda eſt; ne per eam animus
eſcat; ne, dum vana, incerta, aut ſupra
s poſita, operosè amplectitur, gratis ſe fa-
t; neve ſpes in infinitum protracta impe-
, quo minùs mens bonorum jam præſentium
edinem guſtare queat.

II. Omnibus verò immoderatis affectuum
ltibus obviam ire ſi velimus, neceſſe eſt, ut
ebus quæ nobis offeruntur, quæque ad nos
s ſpecialem aliquem reſpectum habent (nam
olæ in nobis paſſiones excitare valent) cau-
e ſolerter inquiramus; atque à judicio de iis
ndo, ſi res patiatur, tantiſper abſtineamus,
ec fervidus paſſionis impetus eòusque ſaltem
rveſcat, ut ſanæ Rationis moderamen ad-
tere non renuat. Hunc in finem, cogitatio-
pauliſper ſunt aliò divertendæ, donec tem-
& quies, ſanguinis & ſpirituum animalium
motionem aliqualiter ſedaverint. Quòd ſi
, ex una parte, paſſio urgeat; ex altera,
ſentis negotii indoles agendi moras non ad-

 mittat;

mittat; quo paſſionis impetus, quàm minimum fieri poſſit, nos à recto transverſos agat, contrariæ rationes ſunt menti ſuggerendæ; quæ, etiamſi levioris ſint momenti, quam ut eam penitus determinare debeant, id tamen efficere poterunt, ut priorem impetum retundendo mentem ponant quaſi in æquilibrio, atque adeò ad genuina ſanæ Rationis dictamina percipienda magis idoneam reddant. Si his aliisque mediis (quibus immorari hìc non vacat) Affectus noſtri ad juſtam temperaturam reducti, & Rationis imperio ſubjecti, fuerint; negari nequit, eos non ſpernendam obtinere utilitatem; quatenus & mentem & corpus, ad ea quæ Ratio præſcripſerit, & alacriùs obeunda, & expeditiùs exſequenda, acuunt.

XIII. Verùm hæc omnia, & quæcunque alia ad moralem Animi culturam ſpectant, eò præcipuè collineant, ut is recti amore, & debitis ad omne officium præſtandum diſpoſitionibus, imbuatur. Id autem cum, in hoc depravato Humani Generis ſtatu, ſine ſpeciali Numinis ſubſidio obtineri nequeat; imo, cum genuinæ quælibet ejusmodi diſpoſitiones, ſupponant ſolidam rectèque fundatam perſuaſionem, de certa ratione DEI favorem, & in eo poſitam ſummam felicitatem, obtinendi; quæ perſuaſio, in Hominibus corruptis, non alio, quàm ſpeciali aliquâ divinæ voluntatis revelatione, ſatis firmo niti poteſt fundamento; manifeſtum eſt, Juris utique Naturalis præſcripto quemque teneri, illam revelationem quærere, eique inventæ morem gerere; atque adeò ipſam *Religionem Naturalem*, quodammodo ad *Revelatam* ducere.

XIV. Porrò, cum hoc quoque officium unicuique circa ſui culturam incumbat, ut *maturè*

eligat

eligat & capeſſat aliquod vitæ genus, honeſtum, proficuum, & ſuæ capacitati fortunæque conveniens; tenetur etiam *tempeſtivè animum adplicare, ad ea diſcenda, quorum, in iſto, quod intendit vitæ genere, uſus eſt futurus.* Neque ab hac obligatione prorsùs immunes ſe æſtimare debent, quibus benignior fortuna indulſit, ut citra quæſtum laboribus ſuis comparatum vitam agere queant: quamvis enim hi nulla lege obligari videantur, ad artem aliquam quæſtûs causâ exercendam; tenentur nihilominus, non tantùm ſuis rebus invigilare, easque prudenter adminiſtrare, (quod ipſum ſine aliqua diſciplina fieri non poteſt) ſed & aliqua in parte, Humanæ Societatis, præcipuè Civitatis cujus ſunt membra, & Hominum quibuscum verſantur, commodis & emolumentis promovendis incumbere: illud enim perquam indignum foret, ut lautioris fortunæ homines, qui præ cæteris Exiſtimationem ac Auctoritatem ſibi vendicant, nulla Humano Generi commoda præſtarent, ſed eſſent inutilia terræ pondera, aut fuci, alienorum laborum fructibus depaſcendis nati: contrà, quò magis præ aliis in pretio haberi expectant, eò magis ſoliciti eſſe debent, ut præclaris ſuis, in proximos, in Patriam, in Genus Humanum, collatis beneficiis, peculiarem illum Honorem mereant, quem aliàs, ut ſuis natalibus vel fortunæ debitum, fruſtra arrogaverint. Cum itaque locupletioris fortunæ Hominibus, præ aliis, & otium, & alia ſtudendi adminicula, ſua ſors ppeditet; nec non gravioris momenti officia ga Rempublicam præſtandi (quibus ſine mul-aria rerum cognitione ritè defungi non potent) occaſionem polliceatur; dubitari nequit,

 quin

quin tales (ſi modò natura bonam mentem, quam ſibi deeſſe perpauci queruntur, non denegaverit) ad multiplicem Scientiam acquirendam adſpirare debeant. Vide *Lock. de Intellectu Humano*, Lib. IV. Cap. XX. §. *6.*

§. III. Cum autem animus fulturis CORPORIS ſuſtineatur, inde VIRES ejus CONGRUENTIBUS ALIMENTIS AC LABORIBUS, ERUNT FIRMANDÆ ET CONSERVANDÆ; nec intemperantiâ cibi potûſque (1), intempeſtivo ac non neceſſario labore, aliâve ratione, affligendæ. Quo nomine vitanda *Ingluvies*, *Ebrietas*, *immodica Venus*, & ſimilia. Cum etiam inordinati & vehementes *Affectus*, non ſolùm ad perturbandam ſocietatem ſtimulos moveant, ſed & ipſi homini plurimùm noceant; inde danda opera, ut quis affectus ſuos, quantum fieri poteſt, compeſcat (2). Et quia multa pericula repelli poſſunt, ubi animosè iis obviam eatur, *mollities* animi ejicienda (3), idemque contra periculorum terrores obfirmandus.

§. IV.

§. III. (1) Recté Auctor ad Corporis curam refert, exercitium, tum *Temperantiæ*, tum *Fortitudinis*, juxta ſtrictiorem utriusque ſenſum; quatenus ſc. illa reſpicit voluptates ſenſibiles, hæc pericula corpori minitantia: latiorem verò ſenſum, illius, ad omnia *Bona*, hujus, ad omnia *Mala*, præſentis vitæ, pertinentem, vide explicatum ſuprà, *Cap. II.* §. **12.** *Obſerv.* 1.

(2) Ex his, collatis cum iis quæ in Supplemento tertio, ea de re dicta ſunt, patet, Affectuum moderamen, tum ad *Animi*, tum ad *Corporis*, curam pertinere.

(3) Vide ſuprà, *Obſ.* 1.

§. IV. Quia autem nemo ſibi ipſi vitam edit, ſed illa pro Dei beneficio eſt habenda; adparet quoque, Homini neuaquam competere Potestatem n propriam vitam, hactenus ut eanem pro lubitu poſſit abrumpere; ſed exectandum utique eſſe, quoad quis evoceır ab eo, qui nos in hacce ſtatione colloavit.

Equidem id utique rectè fieri poſſe videır, cum homo poſſit & debeat ſuâ operâ iis inſervire, & verò certum genus laboım, aut eorum intenſio, vires hominis a atterat, ut enium vitæque terminus ıaturiùs ingruat, quàm ſi quis molliter tatem exegiſſet; ut quis eligat probabim occaſionem brevioris vitæ, quo talenti ıi uſum aliis eò largiùs diſpenſet.

Sed & cum ſæpe multorum vita ſervari equeat, niſi pro iis alii probabili ſeſe vi periculo exponant; per imperantem letimum poſſet civi ſub comminatione graſſimarum pænarum injungi, ne ejuſmodi riculum fugâ declinet. Imo & ultrò tale riculum ſubire licebit, modò graviores uſæ non retrahant (1), & ſpes ſit iſthoc in

§. IV. (1) Ut determinetur in talibus caſibus, quid ſtræ, quid aliorum ſaluti, debeamus; *Tria* præuè rationum genera videntur in computationem ıibenda, & quaſi in ſe invicem ducenda; *Gravi*ſc. *Malorum* quæ utrinque timentur; ſpecialis *obabilitas*, quæ ab hac, vel ab illa parte, ea minatur

in aliorum ſalutem ceſſurum, & hi digni ſint qui tam carè redimantur. Nam id ſtolidum fuerit, alteri perituro fruſtra ſeſe comitem addere, aut egregium virum pro nauci homine mortem oppetere. De cætero tamen, per legem naturæ haudquaquam præcipi videtur, ut quivis cujusvis alterius vitam ſuæ vitæ præferat; ſed cæteris paribus, ſibi quisque proximus eſſe permittitur.

Aſt verò, qui vel tædio moleſtiarum, quæ vitam humanam communiter comitantur (2), vel indignatione malorum, quæ humanæ ipſos ſocietati erubeſcendos non erant redditura, vel metu dolorum, queis fortiter toleratis exemplo ſuo prodeſſe aliis poterant, vel per vanam jactantiam fidei aut fortitudinis, vitam ultò abrumpunt & projiciunt, utique in legem naturalem peccare ſunt cenſendi.

§. V. Cæterùm, quia ſæpenumerò conſervatio ſui, quam & tenerrimus affectus, & ratio homini commendat, cum præcepto de

natur eventura; & *Numerus* perſonarum quæ utrinque periclitantur; ita tamen, ut Numerum ſupplere poſſit *Dignitas* in perſona multis utili: Cæteris verò propemodùm paribus, unusquisque ſibi proximus eſſe permittitur.

(2) Superfluas exiſtimo hujuſcemodi limitationes: Nulla enim cauſa, quæ in vita humana poteſt occurrere, cuiquam facit licitum, vel directè ſibi manus inferre, vel, vitæ abrumpendæ conſilio, ſeu quidquam eò tendens facere, ſeu ullum honeſtum medium, quo vita producatur, negligere.

de ſocialitate collidi videtur, dum nempe ſalus noſtra ab alio homine in periculum conjicitur ſic, ut, aut nobis ſit pereundum, vel grave incommodum ſubeundum, aut alter cum læſione propulſandus; igitur, quali cum moderamine DEFENSIO NOSTRI (1) contra alios homines ſit temperanda, jam tradendum.

Inſtituitur igitur defenſio noſtri, vel *ſine læſione* ejus, abs quo malum nobis imminebat, dum efficimus, ut ei anceps aut formidoloſa noſtri invaſio videatur; vel *cum iſtius læſione* aut pernicie, Prior modus quin ſit licitus, omnique peccato vacet, dubium non habet.

§. VI. Enim verò, circa poſteriorem modum ſcrupulus moveri poteſt, quòd parem acturam videatur facere genus humanum, occiſo invaſore, quàm ſi ipſe peream; & quòd utique perdendus ſit mei ſimilis, quicum ad colendam vitam ſocialem adſtringor; & quòd majores turbas videatur parere violenta defenſio, quàm ſi vel fugam arripiam, vel corpus patienter invaſori præbeam.

Verùm iſta hoc defenſionis genus haudquaquam faciunt illicitum. Nam ut adversus aliquem pacificè & amicè agam, requiritur, ut ipſe ſe talem erga me præbeat, qui ejusmodi officia à me recipere idoneus ſit. Et quia ſocialitatis lex ad ſalutem mortalium

§. V. (1) De defenſione ſui & rerum, vide *Grotium J. B. & P. Lib. II. Cap. I.*

lium ſpectat, ideo ejusdem talis eſt facienda interpretatio, quæ ſingulorum ſalutem non peſſumdet. Inde, ubi alter exitio meo imminet, nulla eſt lex, quæ meam me ſalutem prodere jubeat, ut alterius malitia impune graſſari queat. Et qui ex tali occaſione læditur aut occiditur, habet quod ſuæ pravitati imputet, quæ mihi iſthanc neceſſitatem impoſuit. Aliàs quippe, omnia bona, quæ natura aut induſtria nobis peperit, fruſtra forent conceſſa, ſi alteri injuſtè illa invadenti vim non liceret opponere; & ut parata præda improbis expoſiti forent probi, ſiquidem hi iſtis nunquam deberent vim opponere. Sic ut violentam ſui defenſionem planè proſcribere, exitio generi humano ſit futurum.

§. VII. Non tamen ſemper, quando injuria intentatur; ad extrema licet provolare; ſed TUTIORA PRIUS REMEDIA TENTANDA (1); putà ut aditum invaſori intercludam, ut intra munita loca me contineam, ut invaſorem moneam à furore deſiſtere. Sicut & hoc prudentis eſt (2), LEVIS INJURIÆ PATIENTIA, SI COMMODE FIERI POSSIT, DEFUNGI, & de ſuo Jure aliquid remittere potiùs, quàm intem-

§. VII. (1) Vide *Grotium*, de *J. B. & P. Lib. II. Cap. XXIV.*

(2) Imo & humani; neque enim adverſus hoſtem ſtatim ceſſat humanitas.

empeſtivâ violentiæ oppoſitione majori ſe-
e periculo exponere; præſertim ubi im-
etatur id, quòd facilè reparari aut penſari
queat. Verùm ubi hôc aut ſimili modo ſa-
us mea in tuto locari nequeat, pro eadem
xpedienda vel extrema tentare licebit.

§. VIII. Sed ut liquidò judicari poſſit,
n quis intra *limites inculpatæ defenſionis* ſub-
iterit, diſpiciendum priùs eſt; utrùm quis
1 *Naturali Libertate*, nulli mortalium ſub-
ctus, an verò *Imperio Civili* obnoxius, degat.
Priore ſtatu, ubi alter injuriam inferre
ertendat, nec pœnitentiâ pravi conatûs
luctus ad pacem mecum colendam redire
elit, hunc vel cum cæde repellere potero.
dque non ſolùm (1) ſi vitam meam impe-
it, ſed & ſi vulnerare, aut lædere duntaxat,
ut etiam res ſalvo corpore eripere, cone-
ır. Nam, neque cautum eſt mihi, quòd
iſtis injuriis ad majores non ſit tranſitu-
ıs; & qui ſeſe hoſtem profitetur, nullo
npliùs jure (2) munitur, quò minùs quo-
vis

§. VIII. (1) Triplex eſt diſcrimen Statûs Naturalis
Civilis, quod ad latitudinem, quæ in hoc, vel
o, violentæ defenſioni conceditur: conſiſtit enim,
rtim in violentæ defenſionis ſuſcipiendæ idonea
uſa, partim in *Termino à quo* ea rectè inchoa-
, partim denique in *Termino ad quem* juſtè con-
uatur. Et ab his quidem verbis, deſcribere inci-
Auctor *Cauſas* ſuſcipiendæ ejusmodi defenſionis,
l, ſi mavis, ejus *Objecta*, in ſtatu naturali.
(2) Nullo ſc. *perfecto* jure. Vide *Obſ.* 2. in §. *præ-*
. Nec tamen urgeri hic debet jus *imperfectum*,
ad

vis modo à me repellatur. Ac reverà tunc inſociabilis eſſet hominum vita, ſi contra eum, qui modicas injurias continuare non deſiſtit, extrema non liceret adhibere. Hoc modo enim modeſtiſſimus quisque deterrimo cuique perpetuum ludibrium deberet.

In hoc porrò ſtatu (3), non ſolùm in præſens intentatum periculum repellere, ſed & hoc depulſo, invaſorem eò uſque perſequi poſſum, quoad *ab illo in futurum ſatis mihi cautum ſit.* Super quâ cautione ita habendum. *Si quis injuriâ intentatâ, ultrò pœnitentiâ ductus, veniam petat, & damni reſtitutionem offerat, in gratiam cum ipſo, fide acceptâ, redire debeo.* Nam firmum eſt ſignum animi emendati, ſponte pœnitere, & veniam petere. Aſt, *qui tunc demum pœnitentiam præ ſe fert, quando reſiſtendi vires deficiunt, ejus nudo promiſſo fidere parùm tutum videtur.* Igitur tali vel vires nocendi ſubtrahendæ, vel aliud vinculum injiciendum, ne deinceps nobis exiſtat formidabilis.

§. IX,

ad proſcribendum omnem violentam defenſionem rerum in ſtatu naturali, etiam quæ ad invaſoris cædem progrediatur, tanquam Charitatis legi adverſam: unde & verba paulò poſt ſequentia apud Auctorem, *Extrema non liceret adhibere*, accipienda cenſeo de iſta *licentia*, quæ omnem in contrarium obligationem, ſeu perfectam, ſeu imperfectam, excludit.

(3) Hinc ad finem hujus §. deſcribit Auctor violentæ defenſionis Terminum *ad quem* in ſtatu naturali.

§. IX. Qui autem *Imperio Civili* ſubjecti
;unt, tunc (1) violentam ſui defenſio-
m licitè adhibent, quando tempus ac lo-
s non fert auxilium magiſtratûs implorari,
repellendam eam injuriam, quâ vita,
æque æquipollens aut irreparabile bo-
m, in præſentaneum periculum conjici-
. Et quidem, ut periculum tantummo-
depellatur: vindicta autem, & cautio
non offendendo in poſterum, magiſtra-
arbitrio relinquatur.

;. X. Licet autem defenſionem ſuſcipere,
ı adverſus eum, qui *dolo malo*, quàm qui
errorem, exitium mihi intentat; putà,
uis inſaniâ agitatus me invaſerit, aut quia
alium, quicum inimicitiæ ipſi inter-
unt, crediderit. Nam ſufficit, quòd
ri non ſit jus ad me invadendum, aut
idendum, neque in me ſit obligatio ad
tem fruſtra ſubeundam.

. XI. Circa *Tempus* (1) intra quod de-
io recte fieri poteſt, ita habendum eſt.
in *Naturali Libertate* utrinque degunt,
poſſint ac debeant præſumere, alios ad-
ıs ſe officia legis naturalis obſervaturos:
en, propter malitiam ingenii humani,

I nun-

X. (1) Hic ſummatim repræſentat Auctor vio-
defenſionis, in Civitate, Terminum *à quo*,
m, & Terminum *ad quem.*

XI. (1) Fusè hic exponit Auctor, Terminum *à*
iolentæ defenſionis in ſtatu naturali: debent
hæc conjungi cum §. 8. ubi explicuit cauſam,
rminum *ad quem.*

nunquam ita ſecuri eſſe debent, quin ſibi maturè innoxia munimenta circumponant; puta, aditum præſtruendo hoſtilia molientibus, arma viroſque comparando, ſocios adjungendo, aliorum conatus vigilanter obſervando, & quæ ſunt ſimilia. Verùm iſta ſuſpicio, orta ex communi hominum malitia, non ſufficit, ut ſub obtentu defenſionis meæ, alterum ultrò armis opprimere poſſim; ne quidem, ſi potentiam ipſius nimis gliſcere videam; præſertim, ubi eandem innoxiâ induſtriâ, aut per benignitatem fati, citra aliorum oppreſſionem, adauxerit.

Quin ſi quis, præter facultatem nocendi, etiam voluntatem oſtendat, non quidem adverſùs me, ſed alium; non ideo ſtatim meo nomine eum invadere ultrò poſſum (2); niſi ad auxilium alteri, qui injuſtè à potentiore invaditur, ex fœdere teneár. Quod eò promptiùs facere expedit, ſi probabile ſit, iſtum, altero oppreſſo, in me quoque tranſiturum, & priore victoriâ pro inſtrumento ſequentis uſurum.

Aſt ubi liquidò adparet, alterum circa inferendam mihi vim jam occupari, licèt conatus ſuos nondum plenè expromſerit; ſtatim licebit violentam ſui defenſionem auſpicari,

(2) Poſſum tamen nomine læſi, opem meam rogantis, vel oblatam accipientis; idque licet nullo fœdere ad id tenear: quod & ipſe Auctor infrà fatetur, *Lib. II. Cap. XVI.* §. 11. circa finem.

ſpicari, & noxam adparantem occupare; ſiquidem nulla ſpes ſit fore, ut amicè admonitus hoſtilem animum exuat, aut ejuſmodi admonitio rebus noſtris noxia ſit futura. Unde heic pro aggreſſore erit habendus, qui prior voluntatem nocendi alteri concepit, & ad eandem exſequendam ſe comparavit; defenſionis autem favor illum comitabitur, qui celeritate uſus, tardiùs molientem oppreſſerit. Neque enim ad defenſionem requiritur, primum ictum excipere, aut ictus, qui intentantur, eludere duntaxat & repellere.

§. XII. Aſt in *Civitatibus* (1) haud quidquam tam laxum ſpatium ad ſui defenſionem indulgetur. Nam heic, licèt quis intellexerit, civem ſeſe comparare ad vim ipſi inferendam, aut atroces minas ſpargere; nequaquam occupare iſtum licebit; ſed ad communem imperantem erit deferendus, & ab eodem cautio petenda. Verùm, ubi quis ab altero jam invaditur, & in eas redigitur anguſtias, ut magiſtratûs, aut aliorum civium, implorandi ſubſidium, facultas non ſit; tunc demum ad repellendam vim vel extrema invaſori licebit intentare; non quidem eâ intentione, ut per cædem vindicta ob injuriam exigatur, ſed quatenùs

§. XII. (1) Jungi debent hæc cum §. 9. utpote continentia fuſiorem explicationem, termini *à quo*, & termini *ad quem*, violentæ defenſionis in ſtatu civili.

nùs vita citra ejuſmodi cædem è præſenti periculo nequit eripi.

Initium autem temporis illius, quô quis in ſui defenſionem alium impunè poteſt occidere, inde ſumitur; quando aggreſſor, voluntatem impetendi vitam meam præ ſe ferens, & à viribus inſtrumentiſque nocendi inſtructus, jam intra illum locum exſtiterit, ex quo reipſa nocere poſſit, computato quoque illo ſpatio, quô opus eſt, ſi ego prævenire, quàm præveniri, malim. Etſi, propter perturbationem animi, quam tantum periculum excitat, modicus exceſſus in foro humano non curetur.

Perdurat autem ſpatium inculpatæ tutelæ, quoad aggreſſor fuerit depulſus, aut ultrò receſſerit, vel pœnitentiâ in ipſo facinoris momento tactus, vel quòd conatum ejus eventus deſtituerit, ita ut in præſens nocere ampliùs nequeat, nobiſque ſit facultas in loca tuta nos recipiendi. Nam ultio injuriæ, & cautio in futurum, ad imperii civilis curam & poteſtatem ſpectat.

§. XIII. Quanquam autem dictum ſit (1), *Non rectè ad cædem provolari, ubi commodiore*

§. XIII. (1) Rectè hìc obſervat Cl. *Titius*, doctrinam hujus §. præcipuè referendam videri ad ſtatum civilem; de quo & proximè præcedente §. Auctor dixerat. Plures tamen cautelæ, ad violentæ defenſionis licentiam reſtringendam hìc adductæ, ſi modò rectè explicentur, utrique ſtatui bene poſſunt applicari. Nam nec in ſtatu naturali, *rectè* [ſaltem per

diore viâ periculum depelli poteſt : tamen, propter *perturbationem animi*, quam imminens periculum parere ſolet, non omnia ad vivum

per Legem Charitatis] ad cædem provolatur, ubi commodiore viâ, periculum, non præſens modò ſed futurum, depelli poteſt : unde & in illo ſtatu, ex loco tuto ad provocantem ultrò deſcendere temerarium eſt ; ubi provocatio ex impetu aliquo ſubitaneo, brevi forſan evanituro, provenit ; vel, ubi ſpes eſt fore, ut deinceps, minore cum noſtro aut aliorum damno, aggreſſoris audacia reprimatur. Denique, odium Duellorum, in fine hujus §. ab Auctore aſſertum, in utroque ſtatu magna ex parte valet, adverſùs eum, qui alterum in duellum provocavit, vel provocatus ultrò ſe ſtitit, & *in eodem animo pertinaciter perſeverat.* Sicut enim condictum certamen, etiam in ſtatu naturali, eſt non admodùm eligibilis jus ſuum aſſerendi modus, & quem ſola neceſſitas poteſt excuſare ; [Vide *Grotium* de *J. B. & P. Lib. III. Cap. XX.* §. 43.] Ita *Injuriæ* ſtrictiùs ſic dictæ, i. e. *Contumeliæ*, quæ ferè concives inter ſe duellis ſolent committere [quæ enim rei dubiæ decidendæ, vel rei perfecto jure non debitæ aſſerendæ, cauſâ, ineuntur duella, ſunt manifeſtiùs injuſta] Contumeliæ, inquam, ne quidem in libertate naturali, juſtam extremæ violentiæ cauſam præbent ; utpote quas iſthôc modo ſeu repellere ſeu vindicare velle, ab æquitate & humanitate, imo ab ipſa juſtitia, prorſùs abhorret : læſæ ſc. Exiſtimationis reparatio, ad quam pertinere ferocem iſtiuſmodi injuriarum ultionem vulgò jactitant, purum putum eſt vaniſſimorum hominum inſomnium : doceri hi debent, veram Exiſtimationem [quæ nihil eſt aliud, quàm hominum, proborum inprimis & cordatorum, de alicujus excellentia opinio] non niſi bene agendo, & de humana Societate merendo, ſeu conciliandam eſſe, ſeu tutandam : eamque ſicut aliorum injuriis nequit ulteriùs labefactari, quàm quouſque

reſecari ſolent ; cum in tali periculo trepidanti non ita accuratè omnes evadendi vias liceat circumſpicere , ſicut ei qui tranquillo animo rem conſiderat. Inde, uti ex loco tuto ad provocantem ultrò deſcendere temerarium eſt ; ita, ſi in aperto me loco conſtitutum alter invadat , non præciſè ad fugam obligor ; niſi fortè in propinquo ſit tale ſuffugium , in quod me citra periculum poſſim recipere : neque ſemper ceſſim ire teneor. Nam & ibi nudum tergum oſtendendum , & utrinque periculum lapſûs imminet , ac ubi ſemel gradu ſis depulſus , eundem iterum componere haud facile eſt.

Uti autem aliquis favore defenſionis non excluditur, quòd ultrò in publicum ad ſua negotia obeunda prodiit , cum ſi domi manſiſſet , à periculo immunis erat futurus : ita eodem non fruitur , qui ab altero in *Duellum* provocatus , ubi comparuerit , ita pre-

iis læſus in ſuſpicionem adducitur, quaſi dignus eſſet qui adeò malè haberetur ; ita in tali caſu, non aliis mediis reſtitui poſſe aut redintegrari, quàm quibus iſta ſuſpicio è medio tollitur ; quo vel hilum conferre violentiam privato auſu injuriæ Auctori intentatam , nemo niſi demens ſibi perſuaſerit. Sacrilego igitur auſu , duo ſancta admodùm vocabula temeratum eunt , qui praviſſimas Conſuetudines , *Divinis & Humanis Legibus* è diametro adverſantes, à barbaris nationibus & ſeculis , magno Humanæ Naturæ, ne dicam Chriſtiani Nominis, *Dehoneſtamento* , ad nos tranſmiſſas, pro *Legibus Honoris* venditare non erubeſcunt.

premitur, ut, ni illum transfodiat, ipſi ſit pereundum. Nam, cum leges id periculum ſubire vetent, ejus quoque ad excuſandam cædem nulla habetur ratio.

§. XIV. Quod pro defenſione vitæ, idem & pro *defenſione membrorum* conceditur; ſic ut & ille innocens habeatur, qui violentum invaſorem occidit, cui fortaſſe intentio fuit membro eum duntaxat mutilandi, aut grave vulnus infligendi. Nam & naturâ à mutilatione, & gravi læſione, maximè abhorremus; & mutilatio membri, præcipuè nobilioris, quandoque non multo minoris quàm ipſa vita æſtimatur. Quin, in anteceſſum non conſtat, an non ex mutilatione ac vulnere mors ſit ſecutura: ac talis patientia communem hominum conſtantiam ſuperat, ad quam leges regulariter non ſolent obligare, in gratiam præſertim hominis malitioſi.

§. XV. Sed & quod pro vita, id & pro *Pudicitia* licere judicatur: quippe, cum nulla major contumelia honeſtæ fœminæ inferri queat, quàm ſi quis invitæ eripere aggrediatur, cujus integritate ejus ſexûs decus maximè æſtimatur; & efficiat, ut hoſti ex ſuo ſanguine prolem ſuſcitare cogatur.

§. XVI. *Defenſio* autem *Rerum*, inter eos quidem qui in naturali libertate vivunt, etiam ad cædem uſque invaſoris procedere poteſt; modò res non ſit ejuſmodi, ut contemni mereatur. Nam citra res utique vi-

ta noſtra ſervari nequit; & æquè hoſtilem animum declarat, qui res, quàm qui vitam, per injuriam impetit.

Verùm in civitatibus, ubi erepta ſubſidio magiſtratûs recuperari poſſunt, id regulariter non conceditur; niſi in eo caſu, ubi qui res noſtras ereptum venit, in judicium adduci non poteſt. Quô intuitu licitum eſt, occidere prædones, & fures nocturnos (1).

§. XVII. Atque hæc de defenſione ab iis facta, qui ultrò ab aliis per injuriam invaduntur. Qui autem prior alterum læſit, tunc demùm rectè ſe defendere, eâque defenſione iſtum denuo lædere poteſt; poſtquam pœnitentiâ tactus, reparationem damni dati, & cautionem de non lædendo in poſterum, obtulit; & læſus eandem per aſperitatem animi reſpuit, ac manu ſibi vindictam facere pertendit (1).

§. XVIII.

§. XVI. (1) Pro vita quidem, membris, & pudicitia, utpote Bonis irreparabilibus, quæ defenſio naturâ permittitur, ea Legibus civilibus, ubi alius modus evadendi non relinquitur, haud juſtè poteſt prohiberi: Quid verò pro *Rebus* defendendis liceat in ſtatu civili, Legum civilium eſt definire. Per Leges Hebræis datas, licuit occidere furem nocturnum, *Exod. Cap. XXII. V.* 2. & 3. Per Leges XII. Tabb. diurnum quoque, ſi telo ſe defenderet, & læſus cum clamore teſtificaretur.

§. XVII. (1) Læſus quidem, ultra ea quæ hic ab Auctore memorantur, non habet quod ſuo nomine à lædente exigat. Aſt haud immeritò quæritur, an non, etiam in ſtatu naturalis libertatis & æqualitatis, iis qui naturæ Legem apertè violârunt, infligi inſuper

§. XVIII. Denique, & tanti habetur conſervatio ſui, ut, ſi ea obtineri aliter nequeat,

 in

ſuper poſſit pœna corporalis, quaſi nomine Humani Generis, tanquam medium ad hujus communem ſecuritatem pertinens ? Id nos, cum *Grotio* [*de J. B. & P. Lib. II. Cap. XX.* §. 40. *& ſeqq.*] & *Lockio* [*Tract. poſt. de Imperio*, *Cap. II.*] in delictis ſaltem atrocioribus, & malitioſè perpetratis, omninò affirmandum ducimus. Magna interim hic adhibenda eſt moderatio : neque enim ſubitò pœna, neque clanculùm, eſt exigenda ; ne majores turbæ in humana ſocietate exorientes, remedium reddant ipſo morbo pernicioſius : in primis verò cavendum, ne ipſe læſus, irâ adhuc æſtuans, pœnarum exactionem, cum violentia ad ſui juris aſſertionem adhibita, continuare velit.

Hucuſque, de defenſione adverſùs injuſtum aggreſſorem adhibenda, Auctor diſſeruit; ſed præmaturè ; cum priùs diſpiciendum ſit, de natura humanorum Jurium, & fundamentis quibus innituntur, quàm de licentia ad eorum defenſionem permiſſa : quod idem ſuo modo inſinuare videtur *Titius*, *Obſ.* 119. ubi monet, præcepta Philautiæ & Socialitatis ſeorſum cognita eſſe debere, antequam inter ſe comparari poſſint. Doctrinæ interim de defenſione ſui juris, adjungi debet doctrina de ejuſdem profecutione ; nec ſanè minùs commodè ab Auctore ad hunc locum potuiſſet referri : cum enim [ut monuimus *Obſ.* 2. in §. 15. *Cap. II.*] Jus nobis competat, non tantùm ad aliquid ſimpliciter agendum, aut habendum, ſed & ſæpe ad aliquid ab altero poſtulandum ; ut illud jus rectè aſſeritur, reſiſtendo ei qui nos vel res noſtras injuſtè invadit ; ita hoc non minùs rectè, in ſtatu naturali, vi extorquendo quod noſtrum eſt, vel nobis debitum, ab eo qui recuſat ultrò præſtare : ſicut igitur in illo caſu violenta *defenſio* ſui juris, ita in hôc violenta ejuſdem *proſecutio*, ſuppoſitis idoneis circumſtantiis, eſt officium quod homo debet *ſibi ipſi* : de hac itaque nonnulla ſunt addenda.

Conſtat

in plurimis caſibus ab obligatione communium

Conſtat inprimis, ut violenta juris defenſio in ſtatu civili ad arctiores limites reſtringitur, ita violentam ejus proſecutionem ſingulis civibus prorſùs interdici, ut naturæ & fini civilis Societatis planè repugnantem. Hæc igitur in ſolo ſtatu naturali regulariter locum habet: in quo, ubi juſtæ cauſæ exigunt, per eandem adverſùs perſonas violentiam, quouſque hæ juris noſtri expletioni ſe opponunt, expedienda eſt, quam in defenſione ſtatum naturalem permittere Auctor docuit. Inſuper, cum in hoc caſu, aliquid noſtrum, vel nobis debitum, quod ultrò non præſtatur, bello ſupponatur cauſam dare; non tantùm rei noſtræ poſſeſſionem, ſi fieri poſſit, rectè invadimus; ſed & alterius rem, in ſpecie nobis debitam, apprehendendo noſtram facimus; aut in genere debitam, uſque ad quantitatem quæ debebatur: denique, his deficientibus, quamlibet rem hoſtis à nobis apprehenſam, in compenſationem debiti, noſtram poſſumus facere. Porrò, cum neque Bellum defenſivum, neque offenſivum, ſine ſumptibus & multiplice damno poſſit geri; horum quoque reſtitutionem ab injuſto hoſte rectè exigimus, & in eorum penſationem res illi ablatas jure vindicavimus. Quæ tamen omnia, *ſalvo Innocentium jure*, intelligi debent. Ultra hos limites [quamvis negari nequeat, contra hoſtem in injuria perſeverantem, infinitam quandam licentiam permitti, res ejus vaſtandi, & eripiendi, eas præſertim quæ ad bellum uſui eſſe poſſunt] nihil nobis, utcunque juſta de cauſa bellum gerentibus, jure acquiritur, ita ut inde proveniens commodum, poſtquam hoſtis in æquas pacis conditiones conſenſerit [quæ quales ſint ex his intelligitur] rectè apud nos retineri queat. Vide *Lock. Tract. poſt. de Imperio*, *Cap. XVI.* Poſſunt tamen quædam res hoſtis, ſi alia ſatis idonea ſecuritas non ſuppetat, in cuſtodia noſtra retineri, per modum cautionis contra ſimiles injurias in poſterum intentandas; ſed ita, ut earum fructus & emolumenta,

ultra

nium legum eximere cenſeatur. Quo nomine *Neceſſitas lege carere* dicitur.

Scilicet, cum tanto ardore ad ſui conſervationem homo rapiatur, non facilè præſumitur, talem iſti obligationem impoſitam, cui propria ſalus cedere debeat. Quanquam enim non Deus ſolùm, ſed &, ubi materiæ gravitas requirit, imperium civile, tam rigidam nobis obligationem injungere queat, ut mors ſit potiùs oppetenda, quàm latum unguem ab illa diſcedamus: tamen non ſemper tam rigida legum præſumitur obligatio. Has enim qui tulerunt, aut qui inſtituta quædam inter homines introduxerunt, cum utique ſalutem aut commoditatem hominum per ea promovere voluerint, regulariter quoque ob oculos cenſentur habuiſſe conditionem naturæ humanæ, & quàm non poſſit non homo refugere & amoliri illa, quæ ad ſui deſtructionem tendunt. Inde regulariter leges, inprimis poſitivæ, & quævis inſtituta humana, judicantur excipere caſum neceſſitatis, ſeu non obligare, quando ipſarum obſervationem comitaturum eſſet malum, humanam naturam deſtruens, aut communi hominum conſtantiâ ſuperius: niſi expreſsè, aut propter negotii naturam, iſte quoque caſus ſit comprehenſus. Unde neceſſitas

ultra id quod cuſtodiæ impenditur, Domino, quamdiu pax ſervatur, ſint ſalva. Atque hæc, ſi merum Jus Naturale ſpectemus, eodem modo ſe habent, ſive inter ſe contendant duo homines in Libertate Naturali viventes, ſive duæ Civitates.

ceſſitas non id quidem efficit, ut directè lex poſſit violari, & peccatum admitti: ſed ex benevola Legislatorum mente, ſimulque Naturæ humanæ conſideratione, præſumitur, caſum neceſſitatis ſub lege generaliter concepta non contineri. (1) Exemplo uno & altero res erit declaranda.

§. XIX.

§. XVIII. (1) Duæ tamen generales Leges, de *DEO Colendo*, & *Humani Generis commodis promovendis*, nullam admittunt exceptionem; ſed eam quæ in ſpecialioribus Legibus eſt admittenda fundant. Quod non eſt ita intelligendum, quaſi nulla neceſſitas jure nos avocare poſſet, ab aliquo particulari actu cultûs Divini, præſertim externi, qui aliàs eſſet obeundus: ſed quòd nullo in caſu liceat ſuſcipere actum cultui contrarium; eum ſc. qui DEI contemptum vel odium proderet: cujusmodi ſunt, *Abnegatio DEI*, *Blaſphemia*, *Cultus Idololatricus*, & (fruſtrà hic & perperàm renitente Cl. *Titio*) *præſtatio Juramenti promiſſorii ſine intentione obligandi:* addo, eatenùs etiam univerſalem eſſe poſitivam obligationem præcepti de DEO colendo, ut nullo in caſu liceat homini, immediatum DEI cultum penitus derelinquere, aut tamdiu ſuſpendere, ut ceſſet DEUM habitualiter habere præ oculis; vel etiam particularem cultûs externi actum intermittere, ubi ejus intermiſſio pro DEI abnegatione eſſet habenda: confer *Dan.* VI. 10. Quod verò nec præceptum de *Promovendo communi Bona Humani Generis*, nec duo ei proximè ſubordinata, de *Innoxia cujusque ſua utilitate quærenda*, & *Socialitate fovenda*, prout à nobis ſupra explicata ſunt, ullam admittere queant *Neceſſitatis* exceptionem, eſt ſatis manifeſtum. Unde & nobis nihil eſt negotii, cum eo, quem *Titius* adeò crebrò inculcat, *Philautias* & *Socialitatis* conflictu: quippe omnes caſus, in quibus hunc conflictum aſſerit Vir Cl. ex ſola *Socialitatis* lege ſunt definiendi; quæ, pro varietate circumſtantiarum, nunc cujusque propriis, nunc alienis commodis,

§. XIX. Quanquam aliàs homini non ſit jus in ſua membra, ut illa pro lubitu mutilet, perdatve; licebit tamen *abſcindere membrum inſanabili vitio correptum*, ne totum corpus pereat, aut partes adhuc ſinceræ trahantur, aut inutili appendice aliorum uſus membrorum impediatur.

§. XX. Si *in naufragio plures in ſcapham inſiluerint*, quam illa ferre poſſit, neque ad unum peculiari jure ſcapha pertineat: (1) videntur ſorte ducendi, qui projiciantur: & ſi quis ſortis periculum ſubire detrectaverit; tanquam qui omnium interitum quærat, extra ſortem præcipitari poterit.

§. XXI. *Si duo in præſens vitæ periculum incidant, in quo utrique ſit pereundum*, uni quid facere licet, ex quo alteri, aliàs perituro, fata admoveantur, ut ipſe ſalvus ſit. v. g. Si ego natandi peritus, cum altero natandi imperito, in profundas aquas incidiſſem, & ille me circumplexus teneret, neque mihi tantæ ſint vires, ut ipſum mecum aquis efferre,

modis, plus tribuit; quæque adeò determinat, quæ ſpecialiora præcepta, & in quibus caſibus, neceſſitatis exceptionem admittant.

§. XX. (1) Illi, qui ad rem, ſaluti conſervandæ ob atam, peculiare jus habet, eâque ad iſtum uſum jam nunc æquè indiget, cedere debere eos qui tale jus non habent, rectè innuit Auctor: non tamen ſemper Dominium, præ aliis juribus, hanc prælationem tribuit: imo, in caſu de quo agitur, Vectores, ad uſum ſcaphæ, aut navis ejusque partium, quâ ad terram perferantur, ex contractu, non deterius jus habent, quàm ipſe Dominus.

ferre valeam: potero talem à me violenter amoliri, ne cum ipſo ſimul ſuffocer, etſi is per exiguum tempus à me utcunque ſuſtentari potuerit.

Sic in naufragio, ubi ego tabulam occupavi duorum non capacem, ſi quis adnatans eidem quoque ſe velit injicere, me ſimul ſecum perditurus, potero eum quâvis violentiâ à tabula repellere.

Sic quando duobus fugientibus hoſtis necem intentans inſtat, unus, vel portâ poſt ſe clausâ, vel ponte dejecto, alterum in periculo vitæ deſtituere poteſt, ſi uterque ſimul ſervari nequeat. (1)

§. XXII. Ex neceſſitate poteſt alteri *periculum mortis aut magnæ læſionis intentari indirectè*, ita ut nobis non ſit propoſitum ipſi nocere, ſed duntaxat pro noſtra conſervatione talem actum ſuſcipere, ex quo probabiliter noxa ipſi poſſit inferri; ut tamen mallemus quâvis

§. XXI. (1) Non tantùm, quousque rem vel operam meam, cum meo damno vel periculo, alteri periclitanti præſtare debeam; ſed & cui plurium periclitantium, æquali cæteroquin jure utentium, præcipuè ſubvenire oporteat; definiendum eſt juxta rationes, *Obſ.* 1. in §. 4. memoratas. At quemadmodum jus perfectum ad rem vel operam ſaluti conſervandæ utilem, ei cui competit omnino prælationem tribuit, extra caſus *Obſerv.* 1. in §. ſeq. indicatos, quibus quis ad periculum pro altero ſubeundum rectè cogitur; ita, ubi cætera ſunt propemodum paria, ratio habenda eſt obligationum imperfectarum, quæ ex diverſis inter homines conjunctionum generibus, aut beneficiis ante acceptis, oriuntur.

vis potiùs aliâ ratione neceſſitate noſtrâ defungi, & ipſam læſionem quantum in nobis temperemus. Sic, ſi robuſtior mortem intentans me perſequatur, ac in anguſta via, quà fugiendum, fortè quis occurrat; ubi admonitus non ceſſerit, aut id temporis locive anguſtia non admiſerit, licebit illum proſternere, & per eum jacentem fugam perſequi, etſi probabiliter ex eo impulſu vehementer videatur affligendus. (1) Niſi forte illi peculiari obligatione tenear, ut etiam ultrò pro ipſo periculum ſubire debeam. Quòd ſi fugæ interpoſitus, admonitus licèt, decedere viâ nequeat, putà, ſi infans ſit, aut claudus; ſaltem excuſationem merebitur, qui ſuper eundem ſaltum molitur potiùs, quàm moras nectendo corpus hoſti præbet. At verò, ſi quis petulanter vel inhumanè mihi obſtiterit, & viam fugiendi concedere noluerit, etiam directè impelli ac proſterni poteſt. Cæteri , quibus per iſtos caſus læſio conciliatur, eam tanquam fatalem calamitatem ferre debent. (2)

§. XXIII.

§. XXII. (1) Ægrè admitti poteſt hæc licentia, niſi ſupponas, vel interpoſitam civilis Imperantis Auctoritatem, vel manifeſtam & planè indubitabilem periculi, ab hac & ab illa parte, inæqualitatem: ejusdem enim eſt juris, noſtræ Salutis tuendæ causâ alterum cogere, ad illud patiendum, ac ad illud agendum, quod cum periculo eſt conjunctum.

(2) Si meæ Salutis tuendæ causâ alterum læſerim; ſive intuitu neceſſitatis jure id fecerim, ſive minùs; non eſt dubium, quin damnum datum, quoùsque poteſt

§. XXIII. Si quis præter propriam culpam (1) *in extrema inopia victûs aut veſtium adverſus frigus neceſſariarum verſetur*, neque ab aliis locupletioribus atque abundantibus, precibus, pretio, aut oblatâ ſuâ operâ, ut ultrò ſibi illas concederent, impetrare potuit; citra crimen furti aut rapinæ, vi vel clanculum illas ſubducere poterit, præſertim ſi intentionem habuerit (2) earum æſtimationem præſtandi, quando occaſio oblata fuerit. Nam locuples in ejusmodi neceſſitate conſtituto ex officio humanitatis debebat ſuccurrere. Quanquam autem regulariter, quæ ex humanitate debentur, haudquaquam vi poſſint eripi: tamen extrema neceſſitas efficit, ut talia non minùs aſſeri queant, quàm quæ ex obligatione perfecta deben-

poteſt penſari, ego penſare tenear; modò nulla ejus, qui noxam paſſus eſt, culpa, hanc neceſſitatem invexerit. Jus ſc. quod ex ſola neceſſitate oritur, non eſt ulterius extendendum, quam requirit ejus neceſſitatis expletio; ad quam, immunitas ab obligatione damni alteri dati penſandi, haudquaquam requiritur. Non igitur læſio hâc ratione facta, conſideranda eſt ſimpliciter ut fatalis calamitas, quemadmodum hic docet Auctor. Cæterùm hanc ultimam h. §. ſententiam rectè transponit *Barbeyracius* ante proximè præcedentem; ob materiæ nexum abundè obvium.

§. XXIII. (1) Imo, ſi quis per propriam culpam in iſta verſetur inopia; non ideo quod hic permittitur erit illicitum, licet fortè cum pœna in foro humano conjunctum: (vide *Obſ.*2. in *Cap.I.* §. 17.) cum aliàs, Jure Naturali, ſolam reſtituendi obligationem inferat.

(2) Imo hæc intentio nunquam debet deeſſe.

debentur. (3) Neceſſum tamen eſt, 1. ut egenus omnes priùs vias tentet, quo volente domino neceſſitatibus ſuis ſuccurrere queat; 2. neve dominus pari neceſſitate teneatur, aut mox in eandem ſit devolvendus. 3. Et ut reſtitutio fiat, præſertim ubi alterius fortunæ non ferant gratìs tale quid condonare.

§. XXIV. Denique, videtur & neceſſitas circa res noſtras verſans, veniam indulgere, *res alienas perdendi;* ita tamen, 1. ut citra noſtram culpam id periculum rei noſtræ extiterit: 2. ut idem commodiore viâ diſpelli nequeat: 3. ut ne pro viliori noſtra re alterius pretioſiorem perdamus: 4. ut æſtimationem ejusdem præſtemus, ſi quidem iſta aliàs peritura non fuerat; aut in partem damni veniamus, ſi alterius res unà cum noſtra aliàs peritura erat, quæ nunc ſuâ jacturâ noſtram ſervat. Quam æquitatem ferè *Leges Nauticæ* ſequuntur. Sic & orto incendio, eoque ædibus meis imminente, licebit vicini ædes diruere, ita tamen, ut quorum ædes hoc modo ſervatæ ſunt, pro rata vicini damnum ſarciant.

(3) Dicendum potiùs cum *Grotio* (qui totam hanc materiam tractat *Lib. II. Cap. II.* §§. 6 - 10.) ſummam neceſſitatem, cui aliter ſatisfieri non poteſt, jus perfectum facere: hoc *ſc.* in caſu reviviſcere, ad hunc effectum, jus primævæ Communionis; non vi pacti (ut tradit *Grotius*, conformiter falſæ ſuæ hypotheſi de origine Dominii, de qua infrà) ſed propter ipſam rei naturam, & manifeſtam humanæ Societatis utilitatem. Rationes autem quæ contrà adferuntur ab Auctore noſtro, de *J. N. & G. Lib. II. Cap. VI.* §. 6. ſunt nimis frivolæ.

CAPUT VI.

De Officio quorumlibet erga quoslibet, & primo de non lædendis aliis.

I. *Officia hominis cujuslibet erga quemlibet.* II. *Illorum primum, Alium non eſſe lædendum;* III. *Neque in naturalibus, neque acquiſitis bonis.* IV. *Unde fluit, Datum damnum eſſe reſarciendum.* V. *Damnum hîc, ejus quod noſtrum eſt læſio aut negatio.* VI. *Sive rei ipſius, ſive provenientis inde fructûs.* VII. *Datur per ſe, per alios: & cui imputetur?* VIII. *Plures ſi dederint, quo ordine teneantur?* IX. *Ex dato per negligentiam aliquis tenetur:* X. *Non item ex eo, quod caſu fortuito accidit.* XI. *Ex damno ab aliquo noſtro homine dato;* XII. *Aut ab animali noſtro, ad quid teneamur?* XIII. *De venia & vindicta.*

SEQUUNTUR OFFICIA, QUÆ HOMINI ADVERSUS ALIOS HOMINES SUNT EXERCENDA. Eorum aliqua proveniunt ex *communi obligatione*, quâ Creator omnes homines, ut tales, inter ſe devinctos voluit: aliqua autem ex *certo inſtituto* per homines introducto aut recepto, vel ex *certo hominum ſtatu adventitio*, promanant. Illa cuilibet erga quemlibet exercenda; hæc autem non niſi erga certos, poſitâ certâ conditione aut ſtatu. Inde & illa poſſis vocare *Abſoluta*, hæc *Hypothetica* (1).

§. II.

§. I. (1) Hâc diſtinctione multum nititur Auctoris noſtri methodus: ea tamen neque explicatur ſatis liquidò, neque concinnè admodum hîc applicatur. Cum

§. III Inter *Officia abſoluta*, ſeu quorumlibet erga quoslibet, *primum* locum obtinet: Ne quis alterum lædat. Eſt quippe hoc officium omnium latiſſimum, omnes homines, ut tales, complexum; idemque facillimum, utpote nudâ actionis intermiſſione conſtans, niſi quà obluctantes rationi libidines quandoque compeſcendæ ſunt. Quin & maximè neceſſarium idem eſt, quòd citra illud ſocialis hominum vita nullo modo conſiſtere queat. Qui enim nihil boni in me confert, qui ne vulgaria quidem officia mecum miſcet, cum eo tamen tranquillè vivere poſſum, modò nulla ratione me lædat. Imo à maxima parte mortalium nihil amplius quàm iſthoc deſideramus: bona ferè inter paucos invicem communicantur. Aſt cum eo qui me lædit, nullo modo pacificè poſſum vivere; cum natura cuique, tam tenerum amorem ſui, rerumque ſuarum, inſeverit, ut non poſſit non omnibus modis repellere eum, qui iſtis noxam inferre aggreditur.

§. III. Hoc ipſo autem officio velut muniuntur, non illa tantùm quæ per ipſam naturam alicui adſunt; uti eſt vita, corpus, membra, pudicitia, libertas; ſed & quæcunque

 inſti-

Cum verò obligationum, ſive officiorum, eadem ſit varietas, quæ Jurium quibus correſpondent; hujus diſtributionis vicem ſupplere poterit illa, quam trademus paulò inferiùs, *Obſ. ad Cap. IX.* §. 1. iterumque in Appendice huic Tractatui ſubjungendâ.

inſtituto aliquo, atque conventione humanâ, ſunt quæſita. Sic ut, quocunque legitimo titulo aliquid noſtrum ſit, hôc præcepto idem auferri, corrumpi, lædi, uſibus noſtris ex toto aut parte ſubtrahi, vetetur. Unde hôc ipſo interdicta intelliguntur quævis crimina, quibus aliis noxa infertur; uti eſt *cædes*, *vulneratio*, *verberatio*, *rapina*, *furtum*, *fraus*, *vis*, directè aut indirectè, mediatè aut immediatè, illata; & quæ ſunt ſimilia.

§. IV. Ex hoc porrò conſequitur: SI CUI SIT AB ALTERO LÆSIO ILLATA, DAMNUMQUE DATUM ULLO MODO, QUI IPSI RECTE POTEST IMPUTARI, ID, QUANTUM FIERI POTEST, AB EODEM ESSE SARCIENDUM (1). Aliàs enim vanum erit præceptum, ne quis lædatur, neve cui damnum detur, ſi, ubi de facto læſus fuerit, damnum ipſi gratìs ſit devorandum, & qui læſit fructu ſuæ injuriæ ſecurè, & citra refuſionem, gaudere queat. Neque etiam, citra neceſſitatem reſtitutionis, abs ſe invicem lædendis abſtinebit unquam mortalium pravitas; nec ei qui damnum paſſus eſt, facile fuerit animum ad agendam cum altero pacem componere, quamdiu iſtius reparationem non obtinuerit.

§. V.

§. IV. (1) Jus meum, illato ab altero damno, non redditur deterius: atque idcirco æquè valet, poſt illatum damnum, ut penſetur; ac ante illud, ne inferretur. De damno autem, ejusque penſatione, vide *Grotium*, *de J. B. & P. Lib. II. Cap. XVII.*

§. V. Damnum, etſi propriè ad rerum læſionem pertinere videatur; ita tamen latè à nobis heic accipitur, ut notet *omnem læſionem* (1), *corruptionem, diminutionem, aut ſublationem ejus, quod noſtrum jam eſt, aut interceptionem ejus, quod ex jure perfecto debeamus habere, ſive id datum ſit à natura, ſive accedente facto humano aut lege attributum; aut denique omiſſionem ac denegationem alicujus præſtationis, quam alter nobis ex obligatione perfecta exhibere tenebatur.* Aſt ſi intercipiantur, quæ ex obligatione duntaxat imperfecta debebantur, non cenſetur damnum datum, quod penſari debeat. Inconveniens enim fuerit, damni loco ducere talia non accepiſſe, aut penſationem eorum poſtulare, quæ ab altero non niſi in locum ultronei beneficii exſpectare poteram, & quæ inter mea, antequam ea accepero, cenſere non poſſum.

§. VI. Sub damni porrò nomine venit, non modò *res* noſtra, aut nobis debita, quæ læditur, perditur, aut intercipitur; ſed & *fructus* (1), qui ex ipſa re proveniunt, ſive jam ſint percepti, ſive adhuc ſperentur, ſi modò dominus eos percepturus fuerat: de-

§. V. (1) Vide *Obſerv.* 1. in §. 15. *Cap. II.*

§. VI. (1) Fructus intellige, ſive naturales, ſive civiles: atque hi etiam extendi debent, ad omne commodum, quod nobis ideo deeſt, quia res iſta nobis ſalva non permanſit; imo & ad immunitatem ab omni damno, quod eadem de cauſa nobis contigit: Atque hoc idem eſt quod vulgò dicitur, damni æſtimationem includere, præter ipſam rem principalem, omne *lucrum ceſſans* & *damnum emergens.*

deductis tamen impenſis, quæ ad fructuum perceptionem fuerunt neceſſariæ. *Æſtimatio* autem *fructuum* ſperatorum intenditur aut remittitur, prout propiùs aut longiùs à fine incerti proventûs remoti fuerint.

Denique, & pro uno damno habetùr, quicquid ex aliqua læſione velut naturali neceſſitate deinceps profluxit.

§. VII. Poteſt autem quis alteri damnum dare, non ſolùm immediatè & *per ſe*, ſed & *per alios*.

Poteſt & damnum immediatè ab aliquo datum, *alteri* imputari, quia ad iſtud factum aliquid contulit, vel faciendo (1), vel non faciendo quod debebat facere.

Quandoque inter plures, qui ad idem factum concurrerunt, unus *principalis* cauſa habetur, alter *acceſſorii* in loco eſt: quandoque omnes *pari paſſu* ambulant.

Circa quos obſervandum, illos ita teneri reparationem damni, ſi reverà cauſa damni fuerint, & momentum aliquod attulerint ad totum damnum, aut ejus partem. Ubi autem quis ad ipſum actum, quo damnum fuit datum, realis aliquid operæ non contulit, neque ut iſte ſuſciperetur antecedenter effecit, neque in partem emolumenti venit; is, licèt occaſione iſtius actûs aliquo peccato obſtringatur, ad reſtitutionem tamen damni

§. VII. (1) Supple hic, *quod facere non debebat*: & *Debitum* utrobique intellige de obligatione perfecta. Confer ſuprà, §. 5.

damni non tenebitur; uti ſunt, qui alienis malis lætantur; qui patratum damnum laudant, excuſant; qui antequam fiat, optant; dum fit, favent aut aſſentantur.

§. VIII. Ubi plures ad unum actum, ex quo damnum profluxerit, concurrerunt; primo loco tenebitur, qui imperio, aut alio modo neceſſitatis quid habente, ad factum alios impulit. Patrator facinoris, cui miniſterium detrectare non licuit, inſtrumenti tantùm rationem habebit (1).

Qui citra neceſſitatem ad facinus acceſſit, ipſe primo loco tenebitur, tum cæteri, qui ad facinus aliquid contulerunt. Ita tamen, ut, ſi à prioribus reparatio damni fuerit facta;

§. VIII. (1) Vide ſuprà, *Obſ. in Cap. I.* §. *ult.* Equidem, ſi Auctor facinoris, qualis hîc deſcribitur, æquè facilè apprehendi poſſit; ab illo potiùs exigenda eſt penſatio: ſin minùs; nihil obſtat, quo minùs adverſus ipſum patratorem poſſim agere: Auctor enim, contra quem jus meum erat æquè validum, ac contra ipſum patratorem, nullam huic præſtare potuit ſecuritatem adverſus me: quòd ſi patrator facinoris mihi malum inferendo, malum ſibi aliàs ab injuſto impulſore inferendum declinaverit, aut declinare voluerit; vel hôc nomine æquum eſt, ut me præſtet indemnem, adeoque ſuis potiùs quam meis ſumptibus immunitatem iſtam obtineat. Atque hæc quidem, juxta doctrinam de *Favore Neceſſitatis* ſuprà ſtabilitam, ita ſe haberent, etiamſi neceſſitas, quæ patratori imponi ſupponitur, ejus factum mihi nocivum ab injuſtitiæ nota excuſaret; ad quod tamen, in multis caſibus, nullum utcunque grave periculum, iſtâ ſolâ ratione evitandum, ſufficere, conſtat ex dictis, *Obſervat. in Cap. I.* §. 24. & paſſim aliàs.

ſta, poſteriores ab eadem ſint immunes: quod in pœnis ſecus eſt.

Si plures per conſpirationem aliquod facinus patraverint, omnes pro ſingulis, & ſinguli pro omnibus, tenentur; ſic ut ſi omnes comprehendantur, ſinguli ratam partem ad damnum ſarciendum conferre debeant. Ubi reliquis elapſis unus tantùm deprehendatur, hic pro omnibus ſolvere tenebitur. Ubi autem ex deprehenſis aliqui non ſint ſolvendo, locupletes in ſolidum tenebuntur. Quod ſi plures citra conſpirationem ad idem facinus concurrerint, ac diſcerni liquidò poſſit, quantum quisque ad damnum contulerit; quisque tantùm tenebitur ad id penſandum, quod ab ipſo proceſſit. Quòd ſi unus ſolidum ſolverit, reliqui à reparatione damni liberantur (2).

§. IX. Ad reparationem damni tenetur, non ſolùm qui *dolo malo* alteri nocuit; ſed & qui, præter directam intentionem, per *Negligentiam* ſeu *Culpam*, quam evitare facile erat. Hæc enim non minima pars eſt ſocialitatis, ita circumſpectè agere, ut noſtra converſatio aliis non fiat formidoloſa, aut intolerabilis. Quin & ſæpe ex peculiari obligatione quis ad accuratam diligentiam

(2) Hæc propoſitio, quam ſemel enunciari ſufficeret, pertinet ad omnem penſationem damni quocunque modo à pluribus profecti.

am (1) adhibendam adſtringitur. Imo & leviſſima culpa ad reparationis neceſſitatem ſufficere poteſt, ſi modò negotii natura exactiſſimam diligentiam non ultrò velut adſpernetur; aut ejus magis qui damnum accipit (2), quam qui dat, culpa verſetur; aut

K 5 niſi

§. IX. (1) Tenemur ſemper *accuratiſſimam*, quam negotii natura admitttit, diligentiam adhibere, ne *à nobis* ſaltem alter lædatur: diverſi enim gradus diligentiæ, qui in diverſis contractibus requiruntur, reſpiciunt aliquam cuſtodiam, aut curam vi iſtorum contractuum alienæ rei debitam; cujus non hic ſolus eſt effectus, ne à nobis ea res lædatur, ſed ne lædatur quocunque modo, quouſque uſu requiſitæ diligentiæ nos impedire poſſumus. Quin & accuratiſſimam adhibuiſſe diligentiam, *quam negotii natura patitur*, ne alterum læderemus, non ſemper ab obligatione damni præſtandi nos eximit: Socialitas quippe prohibet, ne unquam, niſi graviore neceſſitate ducti, negotium, quod alteri damnum minatur, ſuſcipiamus; & ne tum quidem, niſi neceſſitas ſit communis, citra obligationem damni, quod iſthoc pacto contigerit, penſandi: ut facilè intelligi poteſt, ex iis quæ in fine ſuperioris capitis ipſe Auctor docuit. Quòd igitur miles, dum in fervore pugnæ arma quatit, non teneatur pro noxa quam proximè adſtanti infert; non ea ſola eſt cauſa, quòd negotii natura accuratiorem circumſpectionem non admittat; ſed hæc præcipuè, quòd iſtud negotium agi, communis omnium & ſingulorum neceſſitas exigat. Fatemur equidem, obligationem damni neceſſariò illati penſandi non oriri ex delicto, quod nullum eſſe ſupponitur, ſed ex quaſi contractu; ſi non, quod aliquando contingit, ex contractu vero, ut expreſsâ cautione ea de re interpoſitâ.

(2) Si cum lædentis culpâ concurrat culpa ipſius læſi, damnum videtur dividendum: quod ita demum in-

niſi magna perturbatio, vel negotii circumſtantia, accuratam circumſpectionem non admittat; putà, ſi quis in fervore pugnæ, dum arma quatit, proximè ſibi adſtantem lædat.

§. X. Verùm qui per *Caſum fortuitum*, & citra ſuam culpam, læſit, ad reparationem non tenetur. Quia, cum nihil ſit admiſſum, quod imputari ipſi queat, nulla ratio eſt, quare potiùs is, qui invitus fecit, fatale malum luere debeat, quàm alter, qui paſſus eſt.

§. XI. Illud quoque naturali æquitati congruum eſt, ut ſi *Homo noſter* (1), citra culpam noſtram, alteri damnum dedit, id vel ipſi penſemus, vel iſtum læſo dedamus. Nam ſervus utique naturaliter reparationi damni à ſe dati eſt obnoxius. Cum autem ipſe non habeat bona, unde reparatio fieri queat, ejusque corpus domini ſit; æquum ſanè eſt, ut dominus aut damnum ſarciat, aut iſtum dedat (2). Aliàs enim ſervo daretur licentia

intelligi velim, ſi non ea ſit læſi culpa, quæ in nocivum alterius factum conſenſum inferat: hôc enim in caſu, alter à damno penſando liberatur; modò læſus is ſit, qui de rebus ſuis validè potuit diſponere.

§. XI. (1) Id eſt, Mancipium noſtrum: cæteros enim Servos ex ſuis contractibus & delictis ipſos teneri, omnes agnoſcunt.

(2) Caſus, hìc & ſequente §. propoſitos, determinat Auctor ſecundùm Jus civile Romanorum: confer *Inſt. Lib. IV. Titt.* VIII. & IX. Quousque verò hæ determinationes jure naturali obtineant, non ſine cauſa

tia omnes pro libidine lædendi, ſi neque ab ipſo, qui nihil ac ne ſeipſum quidem habet, neque à domino, reparatio damni obtineri poſſet. Nam ſi vel maximè ob læſionem dominus ipſum verberibus aut carcere velit plectere, læſo inde haudquidquam ſatisfieri poteſt.

§. XII. Quin & idem circa *Animalia noſtra* æquum eſſe videtur, ut quando illa etiam, citra noſtram culpam, & contra naturam generis, ſponte commota, alteri damnum dederint, dominus vel damnum ſarciat, vel animal dedat. Nam ſi ab animali, quod in libertate naturali degebat, læſus fuiſſem, poteram utique qualitercunque damnum meum reparare, illud capiendo vel occidendo: quod jus ſane per alterius dominium tolli non potuiſſe videtur. Et cum dominus ex eo animali lucrum capiat (1), ego verò damnum ex eodem ſenſerim; repa-

ſa multi dubitant. Quod ad Servum attinet, à quo damnum eſt datum; omnino teneri videtur Dominus, ut vel damnum ſarciat, vel ſervum dedat; niſi, alterutro horum facto, ipſe Dominus in eo ſervo damnum ſuſtineat: hôc enim in caſu, ut inter debitoris obærati creditores, putaverim damnum pro rata eſſe dividendum.

§. XII. (1) Non omne illud quod domino ex animali ſuo provenit, pro lucro eſt imputandum; ſed id modò quod excedit pretium pro eo datum, & ſumptus ei conſervando impenſos: Unde & hanc determinationem, eodem modo limitandam cenſuerim, quo præcedentem. Quid in hoc caſu ſtatuerint Leges Hebræorum, vide *Exod. XXI.* 28. & 35.

reparatio autem damni longè ſit favorabilior, quàm lucri adquiſitio: adparet, rectè a domino animalis poſtulari, ut damnum datum reparet, aut, ſi tanti non ſit ipſi animal, illud noxæ dedat (2).

§. XIII. Sic igitur, qui *damnum* alteri *citra dolum malum* dedit, ultrò reparationem debet offerre, teſtarique malitiam abs ſe abfuiſſe, ne læſus ipſum pro hoſte habeat, ac viciſſim hoſtilia intentet. Qui autem *per malitiam* alterum læſit, is non ſolùm ultrò reparationem damni debet offerre, ſed & pœnitentiam ſui facti oſtendere, veniamque petere. Viciſſim, læſus, reparatione obtentâ, pœnitenti ac petenti *veniam dare*, & cum ipſo in gratiam redire tenetur. Nam qui reparatione damni & pœnitentiâ adquieſcere non vult, ſed vindictam utique manu ſibi quæſitum it, nihil aliud agit, quàm ut acerbitati animi ſui obſequatur, adeoque ex cauſa ſupervacua pacem inter homines abrumpat. Quo nomine, damnatur etiam naturali lege *Vindicta* (1), quæ nullum alium finem habet propoſitum, quàm ægrè facere illis, qui nos læſerunt, eorumque dolore noſtrum animum ſatiare. Eò proniores autem mortales ac condonandas mutuas offenſas

(2) Ceſſat hæc obligatio, ſi ipſe læſus ſit in culpa quòd lædatur; ut ſi per laſciviam animal irritaverit.

§. XIII. (1) Poteſt tamen eſſe pœnarum exactio, etiam in ſtatu naturali, quæ non eſt Vindicta ſenſu hic definitio: ſed de illa, vide *Obſ.* in §. 17. *Cap. V.*

ſenſas eſſe decet, quò frequentiùs ipſi ſupremi Numinis leges violant, eoque & ipſi veniâ quotidie opus habent.

CAPUT VII.

De agnoſcenda naturali Hominum Æqualitate.

I. *Officium alterum; Alios æſtimandos ſibi æquales.* II. *Æqualitas hominum, quo fundamento nitatur?* III. *Cuique permittendum, ut alii eodem ſecum jure fruantur.* IV. *In jure diſtribuendo omnes tractandi ut æquales.* V. *In quo conſiſtit ſuperbia: in quo verò humilitas?* VI. *Superbia cum contumelia juncta deterrima.*

EST homo animal, non modò ſui conſervandi ſtudioſiſſimum, ſed & cui inſita ſit delicata quædam *ſui æſtimatio*, cui ſi quid detrahatur, non minùs ſæpe commoveri ſolet, quàm illatâ corpori aut rebus noxâ. Quin in ipſo *Hominis* vocabulo judicatur ineſſe aliqua dignatio, ſic ut ultimum ſimul atque efficaciſſimum argumentum, quo aliorum inſolens inſultatio retunditur, iſthoc habeatur: *utique non canis ſum, ſed æque Homo atque tu.* Cum igitur natura humana omnibus æquè competat, & nemo libenter velit aut poſſit illi ſociari, abs quo non ſaltem tanquam æquè homo, & communis naturæ particeps, æſtimatur: ideo *ſecundo* loco, inter officia quorumlibet in quoslibet habetur: UT QUISQUE ALTERUM

RUM HOMINEM ÆSTIMET ATQUE TRACTET, TANQUAM NATURALITER SIBI ÆQUALEM, SEU UT ÆQUE HOMINEM.

§. II. Conſiſtit autem iſthæc hominum *Æqualitas* (1), non in eo ſolùm, quod hominum adultorum vires ferè ſint æquales, hactenus, ut etiam imbecillior robuſtiori mortem adferre poſſit, per inſidias, aut adjuvante dexteritate, armorumque habilitate: ſed

§. II. (1) Naturalis hominum æqualitas includit, 1. Quòd unusquisque ſit æquè *Homo*; & conſequenter, alicui morali obligationi ſit ſubjectus, à qua ipſum nemo mortalium poteſt eximere; & quædam Jura ſibi habeat competentia, adverſus omnes mortales valida. 2. Quòd quibuscunque animi vel corporis dotibus, unus homo, præ alio, naturâ ſit ornatus, non ideo præciſè, ullam in alios poteſtatem, aut rerum in medio poſitarum majorem partem, ſuo ſibi jure vendicare poſſit; quippe, cum omnibus eodem modo, & ſecundùm easdem leges, ſeu dominii, ſeu imperii acquiſitionem natura permittat. Utrum huic naturali hominum æqualitati ſatis conſentiant, quæ *Ariſtoteles Polit. primo* operoſè adeo inculcat, de *Dominis* & *Servis natura*, non eſt operæ pretium diſcutere. Ambigua eſt ad minimum hac de re Philoſophi doctrina, & juſtam ſuſpicionem præbuit, quod Conterraneorum ſuorum vanitati adblandiretur, qui naturâ ſibi jus datum ſomniabant Barbaris imperandi: neque hanc ſuſpicionem prolixâ diſſertatione ſatis diſcuſſit Vir Cl. *Dan. Heinſius*, (*Rutgerſii var. lect. Lib. IV. Cap. III.*) dum juxta *Ariſtotelis* ſententiam & ſuam, haud aliam univerſis hominibus naturalem libertatem videtur aſſerere, quàm qualis competit avibus & piſcibus, à nemine adhuc apprehenſis; quaſi naturalis hominum libertas non includeret jus (quod in avibus & piſcibus nullum eſt) ne, citra antegreſſum ſuum factum, in ſervitutem trahantur.

ſed & in eo, quòd, licèt unus præ altero variis dotibus animi corporiſque à natura ſit ornatus, non eò minus tamen Legis naturalis præcepta adverſus alios ei ſint exercenda, atque ipſe ab aliis idem expectat; nec ideo plus licentiæ ipſi concedatur alios injuriis afficiendi. Sicuti & contrà, neminem parca in ipſum natura, aut tenuis fortuna, per ſe ad id condemnat, ut deterioris conditionis circa fruitionem communis juris ſit, quàm alii. Sed quæ unus ab altero poſtulare aut expectare poteſt, eadem alii quoque, cæteris paribus, ab eodem debent; & quod juris quis in alios ſtatuit, eo ipſum uti, maximè convenit. *Obligatio* quippe *ad colendam cum aliis hominibus vitam ſocialem omnes homines æqualiter ſtringit;* nec uni magis licet leges naturales in alio violare, quàm alteri.

Etſi nec deſint populares rationes eam æqualitatem illuſtrantes; putà, quod ex eadem ſtirpe omnes deſcendamus, eodem modo naſcamur, nutriamur, moriamur; quodque Deus nemini de ſtabili & inconcuſſa fortuna caverit. Sicut & ſcita Religionis Chriſtianæ parando Numinis favori, non nobilitatem, potentiam, divitiasve, ſed pietatis ſinceritatem, commendant, quæ æquè in humilem, quàm illuſtri poſitum loco, cadere poteſt.

§. III. Ex hacce porrò æqualitate conſequitur, *Eum qui aliorum operâ ad commodum ſuum*

ſuum uti vult, viciſſim quoque in eorundem uſus ſeſe diſpenſare debere. Nam qui poſtulat, ut alii quidem ſibi inſerviant, ipſe contrà ſemper immunis eſſe cupit, is alios utique ſibi inæquales ducit.

Inde, uti ad ſocietatem quàm maximè ſunt idonei, qui facilè eadem omnibus permittunt, quæ ſibi: ita planè inſociabiles ſunt, qui, dum aliis ſuperiores ſeſe exiſtimant, omnia licere ſibi ſolis volunt, & ante cæteros honorem ſibi arrogant, partemque præcipuam ex rebus in medio poſitis, ubi nullo præ reliquis eximio jure pollent. Unde, & id inter communia legis naturalis officia eſt: *Ut ne quis, cui peculiare jus non eſt quæſitum, plus ſibi, quàm reliquis arroget, ſed alios æquo ſecum jure frui permittat* (1).

§. IV. Eadem æqualitàs quoque oſtendit, quomodo quis ſeſe debeat gerere, ubi *jus inter alios ipſi ſit diſtribuendum;* nempe, ut *tanquam æquales eos tractet, & neutri præter merita*

§. II. (1) Hûc eodem redit aurea illa & catholica Regula, à Domino noſtro inculcata, *Prout vultis ut vobis faciant Homines, vos etiam facite iis ſimiliter.* Quæ tamen Regula, cum tacitè limitata intelligi debeat per duplicem ſuppoſitionem, *parium* ſc. *utrinque circumſtantiarum*, & *Voluntatis rectæ ac Rationi conformis;* non tam ſpectari debet ut principium, ex quo, ſingulis vitæ actionibus applicato, certum æqui & iniqui diſcrimen ſit deducendum; quàm ut indicatio idonei remedii, quo mens à Philautiæ imperio & affectuum aſſultibus liberetur; atque adeò in æquilibrio poſita, & ſibi ipſi quaſi reſtituta, rationum momentis attentiùs utrinque ponderandis vacare queat.

rita cauſæ quid præ altero indulgeat. Secùs enim ſi fit, is qui poſthabetur, contumeliâ ſimul & injuriâ afficitur, & dignatio à natura data eidem detrahitur.

Unde conſequitur, ut *Res communis æqualibus portionibus inter æquales jure ſit dividenda. Ubi diviſionem res non admittit, eâdem communiter uti debent, qui æquale jus habent*; idque, ſi quantitas rei permittat, quantum quisque velit. Sin res iſtud non ferat, ut tunc utantur eâ re *præfinito modo, & proportionatè ad numerum utentium.* Alius enim modus excogitari non poteſt æqualitatem obſervandi. *Quòd ſi autem, neque dividi res, neque communiter haberi poſſit, uſus ejus ſit vel alternus*, vel, *ſi ne hoc quidem ſuccedat, aut reliquis æquipollens præſtari nequeat, per ſortem uni res erit adjudicanda* (1). Nam, in ejusmodi caſibus, commodius quàm ſors remedium inveniri nequit; quippe, quæ opinionem contemptûs removet, & cui non favet de dignatione nihil detrahit.

§. V. Contra hoc officium peccatur per *Superbiam*, quâ quis nulla de cauſa, aut non ſufficiente, aliis ſe præfert, & velut inæquales eosdem præ ſe deſpicit. *Nulla de cauſa* dicimus. Nam ubi quis ſibi ritè jus quæſi-

§. IV. (1) Vel potiùs, quod mihi remedium videtur *ſorte* eſſe commodius, ea res inter plures commune jus habentes auctioni erit exponenda; ut ei cedat, qui cæteris, pro æquali parte Dominii in iſta re, majus pretium obtulerit.

vit, quod ipſi præ aliis prælationem dat, rectè illud exercere & tueri poteſt, citra tamen inanem faſtum, aut aliorum contemptum. Sicuti & contrà, quilibet alteri prælationem, honoremque, qui ipſi debetur, meritò præſtat. De cætero, veræ *Generoſitati* ſemper comes eſt honeſta quædam *Humilitas*; quæ conſiſtit in reflexione quam facimus, ſuper infirmitate naturæ noſtræ, & erroribus, quos olim potuimus commiſiſſe, aut deinceps poſſumus committere, qui non minores ſunt iis qui ab aliis committi poſſunt. Per quam efficitur, ut nos nemini præferamus, reputantes, cæteros, æquè bene ſuo libero arbitrio ac nos uti poſſe, quo æquè pollent; cujus legitimus uſus unicum illud eſt, quod homo pro ſuo reputare poſſit, & quô ſeſe æſtimare aut deſpicere queat.

Nulla autem de cauſa ſeſe offerre, reverâ ridiculum eſt vitium; quia & per ſe ſtultum, propter nihil ſe magni facere; & quia alios omnes pro ſtultis habet, quaſi ipſum citra rationem eſſent æſtimaturi.

§. VI. Magis adhuc peccatur, ſi quis *Contemptum* adverſus alios oſtendat ſignis exterioribus, factis, verbis, vultu, riſu, ac quacunque contumeliâ. Quod peccatum eò deterius eſt cenſendum, quò aſperius aliorum animi in iras, ac ulciſcendi libidinem, concitantur. Adeò ut multi deprehendantur, qui vitam malint præſenti periculo exponere,

ponere, multò magis pacem adverſus alios abrumpere, quàm contumeliam inultam pati: Quippe cum per hanc violetur gloria & exiſtimatio, cujus integritate & vigore omnis animi voluptas conſtat.

CAPUT VIII.

De promiſcuis Officiis Humanitatis.

I. *Officium tertium; Alterius commoda promovenda.* II. *Tum indefinitè per utiles Actiones, & inventa.* III. *Quorum merita ritè æſtimare cæteri debent.* IV. *Tum humanitate in rebus innoxiæ utilitatis.* V. *Tum quoque beneficiis alicujus ſumptûs aut operæ.* VI. *Gratus animus in benefactorem quid involvat?* VII. *Beneficium ad gratiam referendam obligat.* VIII. *Ob ingratitudinem tamen Actio in foro non datur.*

INTER officia quorumlibet erga quoslibet, & quæ propter communem ſocialitatem ſunt exercenda, *tertio* loco id ponitur: UT QUILIBET ALTERIUS UTILITATEM, QUANTUM COMMODE POTEST, PROMOVEAT. Cum enim cognationem quandam inter homines natura conſtituerit; parum fuerit, alios non læſiſſe, aut contempſiſſe; ſed talia quoque in alios conferenda, aut invicem communicanda, ex quibus mutua inter homines benevolentia alatur.

Proſumus autem aliis, vel *indefinitè*, vel *definitè*; idque, ut vel *nihil nobis*, vel *aliquid*, *decedat*.

§. II. *Indefinitè* aliorum commoda promotum it, qui animam ac corpus ſuum probè excolit, ut utiles abs ſe actiones in alios proficiſci queant; aut ſi ingenii per ſolertiam talia inveniat, quibus vita humana reddatur inſtructior. Unde, contra hoc officium peccare ſunt cenſendi, qui nullam honeſtam artem addiſcunt, vitâque per ſilentium tranſitâ, animam pro ſale habent, ne putreſcant, numerus tantùm & fruges conſumere nati. Et, qui opibus per majores relictis contenti, ideo impune abs ſeſe ignaviæ litari credunt, quòd aliorum induſtriâ jam ſit partum, unde victitent. Et, qui divitiis ſoli incubuere repertis, nec partem poſuere ſuis. Item, qui ad porcorum inſtar neminem niſi morte ſuâ exhilarant. Et id farinæ alia otioſa terræ pondera.

§. III. Viciſſim, illis qui de mortalium genere bene mereri inſtituunt, cæteri hoc debent, ut ipſis ne invideant, nec præclaris eorundem conatibus remoram injiciant. Tum, ſi alia non ſit via paria cum iſtis faciendi, ſaltem celebritatem memoriæ famæque eorum, qui præcipuus laborum fructus eſt, promotum eant.

§. IV. (1) Inprimis autem illa bona, quæ *citra*

§. IV. (1) Deeſt hìc tranſitus à beneficiis *indefinitis* ad *definita*: quem ex majore Auctoris opere ſic commodè ſuppleveris. „ Magis *definitè* quis aliis inſervit, „ ſi certis Hominibus aliquid indulgeat, quod ipſis „ utilitatem quampiam poſſit afferre: id quod ſæpe, citra

citra noſtrum detrimentum, moleſtiamque, aut laborem, præſtari poſſunt, non libenter in alios diſpenſare, deteſtanda malignitas & inhumanitas habetur. Quæ vocari ſolent, *res innoxiæ utilitatis*, (2) ſeu quæ accipienti proſunt, præſtantem non gravant. Uti ſunt, non prohibere aquam profluentem, pati ab igne ignem capere, conſilium fidele deliberanti dare, erranti comiter monſtrare viam. Sic, ſi quis rem aliquam ampliùs poſſidere nolit, propter nimiam copiam, aut quia aſſervatio ejus ipſi moleſta eſt; cur non malit eam potiùs integram relinquere, ut aliis non hoſtibus uſum præbere poſſit, quàm eandem corrumpere? Sic, non fas nutrimentum perdere, ubi nos ſaturati ſumus; neque fontem obturare, aut occultare, ubi nos affatim bibimus; neque ſigna navigationis itinerisque abolere, poſtquam iis uſi ſumus. Huc pertinent modicæ ſtipes locupletum in egenos collatæ; item, illa humanitas, quæ juſta de

citra noſtrum detrimentum, &c. fieri poteſt; quale " quid non libenter in alios diſpenſare, deteſtanda " malignitas, &c. habetur.

(2) De beneficiis innoxiæ utilitatis tractat *Grotius*, *Lib. II. Cap. II.* §. 11. *& ſeqq.* ubi talia docet exigi poſſe, tanquam jure perfecto debita; ſimulque plures ad hoc genus inſtantias refert; quas tamen vide examinatas, & quodammodo temperatas, ab Auctore noſtro, de *J. N. & G. h. t.* Ego in genere cenſuerim, haud temerè urgendum eſſe titulum *Innoxiæ Utilitatis*, ad fundandum jus perfectum, niſi concurrat titulus *Neceſſitatis*; qui, ut per ſe ſæpe ſufficit, ita per illum haud parùm corroboratur.

ſta de cauſa peregrinantibus exhibetur, præſertim ubi aliqua ipſos calamitas (3) oppreſſerit; & ejus generis alia. (4)

§. V. Sublimior gradus Humanitatis eſt, ex ſingulari benevolentia gratìs quid in alterum conferre, impensâ aut operâ laborioſâ conſtans, quo ipſius neceſſitatibus ſubveniatur, aut eidem inſignis quæpiam utilitas concilietur. Quæ κατ᾽ ἐξοχὴν vocantur BENEFICIA, aptiſſima materia inſignem laudem parandi, ſi magnitudo animi & prudentia eadem ritè temperaverit.

Eorum diſpenſationem ac modum ferè conditio dantis atque accipientis moderatur. In quibus id cum primis obſervandum, 1. *Ne obſit benignitas, & iis ipſis quibus benignè videtur fieri, & cæteris:* deinde, 2. *Ne major benignitas ſit, quàm facultas:* tum, 3. *Ut pro dignitate cuique tribuatur;* & quidem ante omnia bene meritis, tum ut quisque noſtræ opis

(3) Hùc pertinet Humanitas illa, quæ, apud omnes humanâ naturâ non exutos homines, exerceri ſolet erga naufragos: in cujus locum quòd inhumana nonnusquam ſævitia ſucceſſerit, in cauſa fuit irrationabilis conſuetudo, quæ varias apud gentes in jus invaluit, *naufragorum bona fiſco addicendi;* ſaltem, *ubi nemo vivus è navi ad littus appulit;* quam quidem limitationem abfuiſſe, multis ad vitam ſervandam contuliſſet. At quanto rectiùs apud omnes Chriſtianos reviviſceret religioſa illa *Conſtantini* conſtitutio, quæ extat *Cod. Lib. XI. Cap. V?* Cui etiam ejusdem æquitatis exemplo præiverat Reſcriptum *Antonini*, quod narratur *Dig. Lib. XLVII. Tit. IX. l. ult.*

(4) Hùc quoque referre poſſis mortuorum Sepulturam: de qua *Grotius*, *Lib. II. Cap. XIX.*

opis indiget, obſervatis quoque conjunctionis gradibus inter homines. Videndum quoque, quid cuique maximè neceſſe ſit, & quid quisque nobiscum, aut ſine nobis, poſſit conſequi, aut non poſſit. (1) 4. *Modus quoque dandi multum gratiæ beneficiis addit;* ſi hilari fronte, promptè, & cum conteſtatione benevolentiæ, demus.

§. VI. Viciſſim, in eo qui beneficium accepit, exiſtere debet Gratus Animus; quo is oſtendit, iſtud ſibi acceptum fuiſſe, dantique eam ob cauſam favet, & occaſionem quærit paria reponendi, aut amplius, quantum ejus fieri poteſt. Nam id non neceſſarium eſt, ut præcisè tantum reddamus, quanti id fuit quod datum eſt; ſed ſæpe ſtudium & conatus obligationem explent.

Modò tamen nihil ſit, quod ei, qui beneficium ſe dediſſe prætendit, rectè opponi poſſit. Nam qui me ex aquis extraxit, ei nihil debeo, ſi me in eas priùs conjecerat.

 §. VII.

§. V. (1) Hæc fuſiùs enarrata vide apud *Ciceronem*, de Officiis Lib. I. Capp. XIV. —— XVIII. in quibus latè agit de Beneficentia: unde etiam hujus & præcedentis Sectionis præcipuam partem deſcripſit Auctor. Ad hunc porrò locum pertinent Jura Amicitiæ: quæ luculentè exponentem vide eundem *Ciceronem* ſub perſona *Lælii*, in Libro ſingulari hujus nomine inſcripto: Ubi tamen amicitiæ nimiùm tribuere Vir ſummus videtur, dum admittit, dicti Libri Cap. XVII. *Si qua fortuna acciderit, ut minus juſtæ amicorum voluntates adjuvandæ ſint, in quibus eorum aut Caput agatur, aut Fama; declinandum* eſſe *de via, modò ne ſumma turpitudo ſequatur.* De amicitia quoque fuſè agit *Ariſtoteles, Ethic. ad Nicom. Libb. VIII. & IX.*

§. VII. Cæterùm, quò magis ad devinciendos hominum animos apta ſunt beneficia, eò acriùs ad gratiam referendam incumbere decet, qui iſta accepit: Saltem, ne eum qui fiduciâ noſtri prior nobis benefecit, ob eam rem deteriore eſſe conditione patiamur; neve beneficium accipiamus, niſi animo nitendi, ne dantem meritò dati pœniteat. Nam ſi certam ob cauſam peculiariter alicui nolimus obligari, licebat oblatum beneficium dextrè recuſare. Et ſanè, ſi absque neceſſitate gratiæ referendæ foret, contra rationem fecerit, ſi quis ſua temerè jactaverit, & quod periturum proſpicit beneficium prior contulerit. Quo modo omnis tolleretur inter homines beneficentia & fiducia, unaque omnis benevolentia; neque eſſet inter eos quidquam gratuitæ opis, nec ullum gratiæ conciliandæ initium.

§. VIII. Quanquam autem in *animo ingrato* per ſe nulla ſit injuria, fœdius tamen, & magis odioſum ac deteſtabile habetur, nomen *ingrati*, quàm *injuſti.* Cenſetur enim animi valdè abjecti & degeneris, ſeipſum indignum declarare eo judicio, quod alter de ipſius probitate tulit; ac ne beneficiis quidem, quæ etiam bruta demulcent, moveri poſſe ad concipiendum humanitatis ſenſum.

In Foro tamen civili, ob *ſimplicem ingratitudinem*, ſeu ubi quis nudè beneficii obliviſcitur, & occaſione id datâ referre negligit, actio non ſolet dari. Pars enim optima beneficii

neficii perit, ſi actio, uti certæ pecuniæ, detur; jam enim creditum eſſe incipiet. Et cum res honeſtiſſima ſit referre gratiam, deſinet eſſe ita ſplendidè honeſta, ſi ſit neceſſaria. Denique, huic uni legi vix omnia fora eſſent ſuffectura, ob difficillimam æſtimationem circumſtantiarum, quæ beneficium vel intendunt, vel elevant. Et eam ipſam ob cauſam beneficium dedi, i. e. ejus quod dedi refuſionem mihi ſtipulatus non ſum, ut & alteri foret occaſio oſtendendi, ſe honeſti amore, non ex metu pœnæ humanæ, aut coactionis, gratiam retuliſſe; utque ipſe, non ſpe lucri, ſed ob humanitatem exercendam, videar erogâſſe, de quo recipiendo mihi caveri noluerim.

Enimverò, qui non ſolùm beneficium non rependit, ſed & benefactori inſuper malum reponit, ille ob hocce factum eò graviore pœnâ eſt afficiendus, quò fœdiorem animi malignitatem ſibi ineſſe oſtendit.

Caput IX.

De Officio Paciſcentium in genere.

I. *Officia hominis nonnulla ex pactis oriunda.* II. *Pacta ad mutua ſocialitatis officia neceſſaria.* III. *In promiſſis & pactis data fides eſt ſervanda.* IV. *Ea demum pariunt perfectam obligationem & jus.* V. *Fides datur, vel promiſſo gratuito, vel pacto.* VI. *Promiſſio imperfecta, quæ non dat jus rem exigendi.* VII. *Perfecta, quæ dat omnino.* VIII. *Promiſſa & pacta, ut obligent,*

conſenſum requirunt. IX. *Qui quandoque expreſſius eſt, quandoque tacitus.* X. *Promiſſa & Pacta infantum, amentium, ebriorum.* XI. *Quæ ætas obligationi contrahendæ idonea?* XII. *Error quouſque conſenſum impediat?* XIII. *Dolus an, & quis, promiſſa & pacta violet?* XIV. *Metus deceptionis, quantum iis detrahat?* XV. *Metus ex intentato malo, an ea reddat irrita?* XVI. *Mutuus conſenſus etiam in promiſſis requiritur.* XVII. *Promiſſi pactique materia non niſi poſſibilis;* XVIII. *Atque licita: ut turpium nulla ſit obligatio.* XIX. *Pacta & promiſſa circa res alienas fruſtranea.* XX. *Promiſſa ſub conditione poſſibili, impoſſibili.* XXI. *Promiſſa & pacta per internuncium facta, obligant.* XXII. *Officia reliqua inſtitutum vel ſtatum hominum ſupponunt.*

AB *Officiis Abſolutis* ad *Hypothetica*, fit velut tranſitus per PACTA intermedia; quippe, cum omnia Officia, præter jam enumerata, pactum expreſſum aut tacitum videantur præſupponere. Igitur hôc loco agendum erit de *natura Pactorum*, (1) & quid illa ineuntibus obſervandum ſit.

§. II.

§. I. (1) Quò diſtinctiùs natura Pactorum concipiatur, quædam hùc pertinentia ſunt pauló altiùs deducenda. Sciendum eſt inprimis, Jura perfecta, quæ ſingulis hominibus competunt, aut poſſunt competere, ratione fundamentorum quibus innituntur, vel eſſe *Naturalia*, quæ ſc. cuique homini ipſa natura tribuit, vel *Adventitia*, quæ ex aliquo hominum facto, aliove eventu naſcuntur. Ad *priorem* claſſem pertinent, Jus *Vitæ*, Jus *Integritatis Membrorum*, *Pudicitiæ*, & *Simplicis Exiſtimationis;* hæc, inquam, omnia ſalva habendi; nec non *Libertas*, ſive poteſtas de actionibus ſuis ut lubet diſponendi, intra communium Divinarum Legum latitudinem; cui etiam connexa hæret *Facultas*, rebus per naturam poſitivè *communibus communiter utendi*, ut & *adventitia* quævis *Jura* idoneis

§. II. *Fuiſſe* autem *neceſſarium pacta inter homines iniri*, ſatis manifeſtum eſt. Quanquam enim

neis modis *acquirendi.* Quæ omnia generali ſanciuntur Legis naturalis præcepto, quo quilibet homo, *quidquam iſtorum jurium in altero violare*, hoc eſt, ullum dictorum bonorum, alteri cuivis competentium, ſine ſpeciali juris fundamento invadere, prohibetur.

Jura adventitia, vel ſunt *Realia*, quæ verſantur circa aliquam rem habendam, poſſidendam, utendam, &c. vel *Perſonalia*, quæ pertinent ad aliquam rem vel operam ab altero conſequendam. Juribus realibus, pariter atque naturalibus, ex adverſo reſpondet *indefinita* obligatio, eos quibus iſta jura competunt in eorum exercitio non turbandi; ut rectè Auctor docuit ſuprà, *Cap. VI.* §. 3. Juribus verò perſonalibus correſpondent *definitæ* obligationes, præſtandi ſingulis eas res vel operas, quas illi *à nobis* exigendi jus habent.

Jura, tum realia, tum perſonalia, variis modis naſcuntur, transferuntur, & abolentur: inter plures verò alios modos, quibus Jura perſonalia naſcuntur, vel abolentur, & Jura utriusque generis ab uno ad alterum transferuntur, eminet unus, qui ad hunc locum propriè pertinet; *mutuus* ſc. *Conſenſus*, *ejus à quo aliquod jus transfertur*, & *ejus cui acquiritur*, *uterque idoneis indiciis ſignificatus*: dico *transfertur*, quia ipſa juris perſonalis, tum conſtitutio, tum abolitio, in quadam *translatione* ſita eſt.

Eſt enim jus perſonale perfectum, de quo ſolo hic loquimur, nihil aliud, quàm certa quaſi particula naturalis libertatis alicujus hominis, quæ, aliquo facto vel eventu ad alium translata, penes hunc demum, *Juris perſonalis*, adverſus illum competentis, rationem induit; cujus vi hic poteſt exigere, ut ille quid agat, vel omittat, quod pro ſuo arbitrio agere vel omittere naturaliter ei integrum fuerat: idemque illud jus, ad naturale ſuum ſubjectum reverſum, & cum reliquo naturali jure conſolidatum, *Juris perſonalis* ratione amiſſa, *naturalis Libertatis* nomen recuperat.

Sicut

enim officia *Humanitatis* latè ſeſe per vitam humanam diffundant; haudquidquam tamen

Sicut igitur, iſtis factis, quibus homines, aliquâ naturalis libertatis particulâ ad alios translatâ, incipiunt certo modo obligari, jura perſonalia dicuntur *conſtitui*; ita contrariis factis, quibus, eâ quæ alienata fuerat libertatis particulâ ipſis reſtitutâ, eo modo obligari deſinunt, eadem jura non minùs rectè dicuntur *aboleri*.

Non igitur ſine cauſa diximus, jurium perſonalium, *quà talium*, conſtitutionem, & abolitionem, non minùs quàm eorum, pariter atque realium, in eadem ſpecie transmiſſionem, in aliquali *translatione* eſſe ſitam; quæ omnis, præter plures alios modos, ad præſens inſtitutum non pertinentes, naturaliter admodum inſtituitur, ut dictum, per *mutuum Conſenſum*, idoneis indiciis declaratum, ejus à quo, & ejus ad quem, jus transfertur. Unde intelligimus, *mutuum* iſtum *actum*, pro varia ſpecie vel circumſtantiis juris quod transfertur, *quadruplicem* ferè ſubire habitudinem: ut enim in juribus *realibus*, eſt ſemper uniformis & ſibi ſimilis, in ſe ferens meram transmiſſionem jurium, quæ utrobique immediatum ſuum objectum eodem modo reſpiciunt, ab uno ſubjecto ad aliud; (vide tamen quæ infrà dicemus, *Obſ.* 1. ad *Cap. XII.* §. 8.) ita circa jura *perſonalia*, triplicem poteſt effectum producere: vel enim 1. aliquod jus, quod priùs continebatur in naturali ipſius transferentis libertate, ad alterum translatum, huic competit tanquam jus perſonale adverſus illum; quo caſu, novum jus perſonale, eique correſpondens obligatio, primò *conſtituitur*: vel 2. Jus perſonale, quod transferenti priùs competebat adverſus tertium, ad alterum translatum, huic competit adverſus eundem tertium; in quo cernitur juris perſonalis *translatio* in ſpecie ſic dicta: vel denique 3. Jus perſonale, quod transferenti priùs competebat adverſus eum ad quem transfertur, ad hunc translatum, vel ei potiùs remiſſum, cum naturali ejus li-

men ex eo ſolo fonte deduci omnia poſſunt, quæ hominibus ab ſe invicem utiliter percipere

libertate conſolidatur; quô caſu jus perſonale, quà tale, eique correſpondens obligatio, *extinguitur.*

Sed & unusquisque horum actuum, fieri poteſt, vel *ſolitariè*, ita ut jus ab una parte transferatur, ab altera acquiratur tantùm; vel *reciprocè*, ita ut jus ab utraque parte transferatur, ab utraque viciſſim accipiatur; nec una translatio citra alteram plenè & validè facta intelligatur: atque hinc, pro variis actuum, ejusdem vel diverſorum generum, combinationibus, plures actuum reciprocorum exoriuntur ſpecies; quarum aliæ, in jure & uſu populari, certa nomina habent ſibi affixa, aliæ non habent.

Quod verò attinet ad nomen *Pacti*, hoc variis ideis, iisque inter ſe non æquè latè patentibus, ſubſtitutum legitur. Definitio quidem Pacti ab *Ulpiano* tradita, *Dig. Lib. II. Tit. XIV. l.* 1. §. 2. quòd ſit, *Duorum pluriumve in idem placitum conſenſus;* ut & ratio nominis *Conventionis*, quòd Homines *ex diverſis animi motibus in unum conſentiant*, i. e. *in unam ſententiam decurrant;* quæ ab eodem, ejusdem legis §. 3. ſubjicitur; videntur, ſi verborum proprietatem ſpectemus ad omnes ſuprà recenſitas mutuorum actuum ſpecies ſe extendere. Fatemur nihilominùs, eum loquendi uſum invaluiſſe, ut *Pacti* nomen, non niſi iis ferè actibus tribuatur, qui ab una ſaltem parte ſunt obligatorii, *i. e.* quibus, ut ſuprà explicatum eſt, novum aliquod jus perſonale conſtituitur: & ita videtur hìc intelligi ab Auctore noſtro. *Titius* quidem *Obſ.* in §. *ſeq.* definit *Pactum*, quod ſit *duorum vel plurium conſenſus, obligationis licitè conſtituendæ, vel tollendæ, causâ datus;* atque adeò ſub *pacti* nomine includit, non tantùm actus mutuo conſenſu conſtantes, quibus jura perſonalia conſtituuntur, ſed & eos quibus abolentur: At non video uſu receptum eſſe, ut Actus quibus jura perſonalia iisque correſpondentes obligationes abolentur, magis quàm actus quibus jura, ſeu realia ſeu perſonalia, ab uno ad alium

trans-

Digitized by Google

pere licebat. Nam neque quibusvis ea eſt ingenii bonitas, ut omnia quibus aliis prodeſſe poſſunt, ex ſola humanitate velint præſtare, citra exploratam ſpem paria recipiendi. Et frequenter illa, quæ ab aliis in nos proficiſci queunt, ejusmodi ſunt, ut gratis eadem nobis exhiberi, ſalvâ fronte poſtulare nequeamus. Sæpe quoque noſtram fortunam aut perſonam non decet,alteri tale beneficium debere. Adeoque ut plurimum alter dare non poteſt, ſæpe nos accipere nolumus, niſi iſte paria à nobis recipiat. Non rarò denique alios latet, quâ ratione commodis noſtris inſervire queant. Igitur, ut mutua inter homines officia, qui fructus eſt ſocialitatis, eò crebriùs & ad certas velut regulas exerceantur, neceſſum fuit homines ipſos inter ſe convenire, ſuper ejusmodi rebus invicem præſtandis, quas ex ſola humanitatis lege certò ſibi polliceri ab aliis non poterant. Adeoque in anteceſſum determinandum fuit, quid alteri quis præſtare, quidque ab eodem iterum expectare, ſuoque jure exigere, deberet. Id ipſum autem fit per PROMISSA, & PACTA.

§. III.

transmittuntur, *Pactorum* ſortiantur appellationem. Quòd verò hoc nomen, Romani Jurisconſulti eorumque interpretes nunquam ferè tribuant, niſi iis actibus, qui per ſe naturalem duntaxat, niſi ſpeciali lege adjuventur, non etiam civilem, obligationem pariunt, eoque nomine à contractibus diſtinguuntur, id, tanquam juris merè arbitrarii, à propoſito noſtro eſt alienum.

§. III. Circa iſthæc generale officium, ex lege naturali debitum, eſt : Ut QUILIBET FIDEM DATAM SERVET, ſeu promiſſa & pacta expleat. Citra hoc enim ſi eſſet, plurima pars utilitatis periret, quæ humano generi communicatis invicem operis ac rebus enaſci apta eſt. Et ni promiſſa ſervandi neceſſitas foret, haud quidquam liceret rationes ſuas firmiter aliorum hominum ſubſidiis ſuperſtruere. Quin & ex decepta fide juſtiſſimæ querelarum bellique cauſæ pullulare ſunt idoneæ. Nam, ubi ego ex pacto aliquid præſtiterim, altero fidem fallente, mea mihi res aut opera fruſtrà periit. Sin verò nihil adhuc præſtiti, rationes tamen & deſtinata mea turbari moleſtum eſt ; cum alio modo rebus meis potuiſſem conſulere, niſi iſte ſe mihi obtuliſſet. Et indignum eſt, ludibrio haberi, quia alterum cordatum ac bonum virum credidi.

§. IV. Obſervandum autem, ea quæ ex ſolo *Humanitatis* officio debentur, in hoc potiſſimùm differre, ab iis quæ ex *Pacto*, aut *Promiſſo perfecto* (1), debentur; quòd iſta quidem rectè petantur, & honeſtè præſtentur ; ſed, ubi alter ea ultrò præſtare neglexerit, de inhumanitate duntaxat, feritate, aut duritia ejusdem, queri poſſum ; non tamen per violentiam propriam, aut ſuperioris,

§. IV. (1) Non eſt hoc ita intelligendum, quaſi omnis perfecta obligatio in pacto promiſſove eſſet fundata.

ris, eundem ad præſtandum cogere. Id quod tamen licet, ubi ultrò non præſtantur, quæ ex promiſſo perfecto, aut pacto, debentur. Inde etiam ad illa *jus imperfectum*, ad hæc *jus perfectum*, habere; ſicut & ad illa *imperfectè*, ad hæc *perfectè*, *obligari*, dicimur.

§. V. Fidem damus, vel per *Actum ſolitarium*, ſeu μονόπλευρον, vel per *Actum reciprocum*, ſeu δίπλευρον. Quandoque enim unus ſe duntaxat ad quid præſtandum obſtringit; quandoque autem duo pluresve mutuò ſe ad quid præſtandum obligant. Prior actus vocatur *Promiſſum gratuitum*, poſterior *Pactum* (1).

§. VI.

§. V. (1) Diximus modò, *Pacti* nomine, in §. 1. intelligi ab Auctore, actum mutuo conſenſu conſtantem, qui ab una ad minimum parte eſt obligatorius: Hìc verò idem nomen reſtringitur, ad unam ſpeciem ſub iſto genere contentam, eam ſc. quæ eſt ab utraque parte obligatoria. Notari interim debet, ſi per diviſionem hìc propoſitam diſtinguatur *Actus mutuo conſenſu obligatorius*, in eum qui *ab una tantùm parte*, & eum qui *ab utraque*, obligationem parit; malè priorem ſpeciem dici *Promiſſum gratuitum*: Dantur enim Actus ab una tantùm parte obligatorii, qui tamen, cum includant ab altera parte, vel aliquam juris transmiſſionem, ut in mutuo (ubi ideo mutuo accipiens mutuo danti ſe obligat, quia hic eodem tempore ad illum transfert dominium pecuniæ mutuo datæ) vel ceſſionem ſeu remiſſionem juris, adverſus ipſum obligantem priùs competentis, ut ſæpe in transactionibus, haudquaquam dici poſſunt *Promiſſa gratuita*. Si verò ſub nomine *Pacti*, ſpecialiùs accepto, intelligere velis Actum mutuum, quo ab una ad minimum parte obligatio contrahitur, (ſive,

§. VI. *Promiſſio* poteſt dividi in *imperfe-ctam* & *perfectam* (1). Illa eſt, quando ipſi quidem qui promittimus, utique obligari volumus; ut tamen alteri jus ad exigendum non demus, ſeu ut nolimus ad promiſſum noſtrum implendum violenter compelli. v. g. Si ita concipiam promiſſum; *Ego ſeriò deſtinavi hoc vel illud tibi præſtare, & peto ut mihi credas.* Sic enim videor obligatus magis ex lege *veracitatis*, quàm *juſtitiæ*, maloque videri propriæ conſtantiæ & gravitatis impulſu ferri ad faciendum officium, quàm propter jus alterius (2). Hùc ſpectant pollicitationes (3) virorum potentum aut

M gra-

(ſive, quod idem eſt, jus perſonale adverſus ſe valiturum transfertur) ab altera verò aliquod qualecunque jus viciſſim transfertur; jam *Pactum* latiùs acceptum rectè dividitur, in *Promiſſum gratuitum*, & *Pactum in ſpecie.*

§. VI. (1) Tres gradus loquendi de futuris actionibus in noſtra poteſtate poſitis, ut & alia pertinentia ad generalem doctrinam Promiſſorum & Pactorum, vide apud *Grotium de J. B. & P. Lib. II. Cap. XI. Promiſſionibus*, potiùs quàm *Pactis in ſpecie*, hanc *Perfecti* & *Imperfecti* diſtinctionem Auctor applicat; fortè, quia omne pactum reciprocum, eſt in ſtatu naturali perfectum; dico, in *ſtatu naturali;* in civitate enim, ea ſola Promiſſa & Pacta habenda ſunt perfecta, quorum præſtationi exigendæ Leges civiles actionem in foro concedunt.

(2) Perfectum ſc.; nam cur obligationi imperfectæ non ex adverſo reſpondeat jus quoque imperfectum, non video.

(3) *Pollicitationum* nomine utitur Auctor, ad exemplum *Grotii, d. Cap.* §. 3. ad ſignificanda Promiſſa im-

gratioſorum, quibus alicui, non per verbà honoris, ſed seriò, ſuam commendationem, interceſſionem, promotionem, aut ſuffragium, ſpondent; quæ tamen haudquaquam velut jure aliquo abs ſe volunt exigi, ſed in ſolidum ſuæ humanitati ac veracitati cupiunt imputari; ut officii ſui gratia eò major ſit, quò longiùs ab eodem coactio abſuerit.

§. VII. *Perfecta* autem *Promiſſio* eſt, quando non ſolùm ipſe utique obligari volo, ſed & ſimul jus in alterum confero, ut rem promiſſam velut debitam plenè me poſcere queat.

§. VIII. Porrò, ut promiſſa & pacta nos obligent, ad aliquid dandum aut faciendum, quod antea non debebamus, aut omittendum, quod antea Jure poteramus facere, maxime requiritur *ultroneus noſter conſenſus* (1). Nam, cum cujusvis promiſſi & pacti impletio cum aliquo onere ſit conjuncta, nulla propior ratio eſt, quare ſuper eo conqueri

imperfecta; ſenſu planè diverſo, ab eo quo ſumitur *Dig. Lib. L. Tit. XII.* de quo dicetur infrà ad hujus Capitis §. 16.

§. VIII. (1) Requiritur ſemper voluntas obligationem contrahendi, idoneis indiciis declarata: quousque verò neceſſe ſit eam eſſe ultroneam, quatenùs hæc appellatio excludit ſecundum coactionis genus, *Cap. I.* §. 24. memoratum, inquirendum eſt infrà, hujus *Cap.* §. 15. Interim, quod hìc dicitur de Promiſſis & Pactis, hoc eſt, de actibus obligatoriis, æquè pertinet ad omnes actus quibus conſenſu noſtro aliquod jus ad alterum transferimus.

queri rectè nequeamus, quàm quia ultrò in id *conſenſimus*, quod evitare penes nos erat.

§. IX. *Conſenſus*, etſi regulariter per *ſigna*, putà voces, literas, nutusque, exprimi ſoleat; aliquando tamen contingit, ut ille citra iſthæc ſigna, ex ipſa negotii natura, aliisque circumſtantiis, liquido colligatur. Sicuti interdum *ſilentium*, cum certis circumſtantiis conſideratum, loco ſigni conſenſum exprimentis valet. Unde & dantur *Pacta tacita* (1), quando nempe conſenſus noſter non per ejusmodi ſigna, quæ regulariter in commercio hominum recepta ſunt, exprimitur, ſed quando idem ex negotii natura, aliisque circumſtantiis, liquido colligitur. Sic & *principali pacto* ſæpe *adhæret pactum tacitum*, quod ex ipſa negotii natura profluit. Sicut & uſitatiſſimum, ut in pactis *tacitæ* quædam *exceptiones*, & *conditiones* neceſſariæ, ſint ſubintelligendæ.

§. X. Ut autem aliquis liquidò conſentire poſſit, requiritur *Uſus rationis*, hactenus, ut præſens negotium intelligat, an ſibi conveniat, & abs ſe præſtari queat; eoque perpenſo, conſenſum ſuum ſufficientibus ſignis exprimere poſſit.

Unde ſequitur, promiſſa & pacta *Infantum*,

§. IX. (1) Horum omnium exempla videre eſt apud Auctorem, *de J. N. & G. Lib. III. Cap. VI.* §. 2. Negotia verò quæ Romanis Juriſconſultis dicuntur *Quaſi contractus*, non eſſe cum pactis tacitis confundenda, patebit infrà, *Suppl. IV.* §. 2.

tum, ut & *amentium*, ac *furioſorum*, (niſi ubi dilucidis intervallis furor diſtinguitur,) nulla eſſe.

Id quod & de promiſſis *ebriorum* eſt pronunciandum, ſi ebrietas jam eò usque proceſſerit, ut ratio ſit planè obruta & ſopita. Nam pro vero & deliberato conſenſu haberi nequit, ſi quis vel maximè momentaneo & inconſulto impetu in aliquid inclinet, aut ſigna quædam edat conſenſum aliàs exprimentia, eo tempore quando mens velut medicamine quodam loco mota fuerat. Sed & impudens foret, tale promiſſum, præſertim cum magno onere conjunctum, exigere velle. Quin, ſi quis ebrietatem eam captavit, & obſervatâ alterius facilitate promiſſum aſtutè elicuit, ne abs doli quidem fraudisque crimine immunis erit. Aſt qui, diſcuſſâ crapulâ, per ebrietatem acta rata habuerit, utique obligabitur, non tam ex eo quod ebrius, quàm quod ſobrius egit.

§. XI. Cæterùm, quousque in *Pueris* duret imbecillitas rationis, contrahendam obligationem impediens, lege naturali adeò accuratè definiri nequit; cum in aliis citiùs, in aliis tardiùs, judicium matureſcat. Sed illud eſt ex cujusvis quotidianis actionibus judicandum (1). Etſi in plerisque civitatibus

§. XI. (1) Cum verò hoc Judicium ſit ancipitis admodum diſceptationis; putaverim in hôc, & quibusdam ſimilibus caſibus, deficientibus Legibus & Judiciis civilibus, omnino confugiendum eſſe ad arbitrium boni viri.

tatibus leges civiles certum heic temporis terminum (2) in univerſum conſtituerint. Sicuti & alicubi ſalutariter eſt receptum, ut aliorum prudentiorum auctoritatem adhibere neceſſum haberent in contrahendis obligationibus, quousque inconſultus ille juventæ impetus (3) deferbuiſſe cenſeretur.

 Quip-

(2) Hunc qui nondum attigerunt, dicuntur in Jure Romano *Impuberes*; eaque ætas dicitur *pupillaris*, habitâ ſc. ratione *Tutorum*, qui intra iſtam ætatem patriâ poteſtate ſolutis præficiuntur: imo, ipſa patria poteſtas, ſi arbitraria Juris Romani dictamina ſeponamus, concipienda eſt ut tutela maximè naturalis & comprehenſiva. Durat autem illa ætas, ut apud Romanos, ita apud pleraſque, ni fallor, hodiernas Europæ Gentes, in Maribus, ad completum ætatis annum decimum quartum; in fœminis, ad completum duodecimum. Quæ verò ſit natura, & quod fundamentum, obligationum, quæ pupillis intercedunt cum ſuis Tutoribus, ut & cum iis quibuscum Tutores eorum nomine negotia geſſerunt; vide infrà, *Supp. IV.*

(3) Intra hanc ætatis periodum, dicuntur *Minores*; & qui iis in negotiis gerendis adſiſtunt, *Curatores*; hoc eſt, ab elapſa pupillaritate, apud Romanos, ad completum annum viceſimum quintum; apud nos, ad viceſimum primum. Indulgentia verò quæ Minoribus conceditur, non eſt naturalis; niſi quatenùs ſe verè læſos manifeſtè poſſunt oſtendere; hoc eſt, aliquam earum, quæ in ſeqq. §§. conſiderantur, exceptionum, pro ſe poſſunt opponere. Nec tamen diffiteor, poſſe quemlibet, qui in libertate naturali beneficium aliquod Minori confert, validè conſtituere, ut hic, intra certam ætatis periodum, non poſſit ſine prudentiorum conſenſu, in beneficii ſibi collati præjudicium quidquam agere: ut & quilibet Auctor alias limitationes poteſt adjicere, circa uſum & ſucceſſionem juris à ſe translati, quæ non ſunt hujus loci.

lero, dum ad paciſcendum accedo, quæ me cauſa impellat, nec alter ex mea pœnitentia detrimentum patiatur, aut id penſare ego paratus ſim. *Verum, ubi res non ampliùs eſt integra, & ubi error tunc demum patuerit, quando jam Pactum eſt impletum, ex toto aut ex parte; qui erravit à Pacto reſilire non poterit*, niſi quantum alter ex humanitate velit indulgere,

3. *Ubi error contigerit circa ipſam rem* (3), *de qua convenitur, pactum vitiatur, non tam ob errorem,*

rans exiſtimavit ſaltem, utrinque ſupponi ut conditionem. In pactis autem reciprocis, eventus qui non diſertè exprimitur ut conditio, haud facilè intelligitur eſſe talis; niſi vel ab altero, quocum res agitur, in ipſo Articulo affirmetur verè exiſtere; vel ſit ejusmodi, ut absque ea conditione, quam tamen conſtat ſpondentem præſtare non poſſe, id quod promittitur foret præſtitu manifeſtè impoſſibile aut abſurdum; vel denique verſetur circa ipſam rem, ſeu materiam, de qua convenitur, ejus qualitates æſtimabiles, earumve privationes. Quòd ſi is qui in pacto erravit, cauſetur, ſe eventum circa quem erravit tacitè ſuppoſuiſſe, ut conditionem Pacti utrinque intellectam; cum tamen alter non intellexerit, nec rationabiliter intelligere potuerit, Pactum, ut iſtâ conditione limitatum; non eſt, etiam in hoc caſu, erroris exceptio prorſùs excludenda, modò is à quo opponitur, aliquo idoneo indicio probet, ſe ita intellexiſſe ut affirmat (nam de non apparentibus, & non exiſtentibus, quod ad forum externum, etiam in libertate naturali, idem eſt judicium) & modò alterius damnum, ſi quod ſit, ſarcire ſit paratus, juxta ea quæ dicentur infrà, *Obſ.* 5.

(3) Id eſt, ut intelligi poteſt ex antedictis, ſi alter paciſcentium, non modò exiſtimaverit, rem eſſe alte-

rorem, quàm quia legibus pacti (4) *non fuit ſatisfactum.* Nam, in pactis, ipſa res de qua convenitur, ejusque qualitates, debent eſſe cognitæ; citra quam cognitionem liquidus conſenſus intelligi nequit. Unde, defectu deprehenſo (5), qui lædendus fuerat, vel à con-

alterius ſpeciei, vel aliarum qualitatum æſtimabilium, quàm reverà eſt; ſed bonâ fide putaverit, hanc ſuam ſuppoſitionem, & voluntatem de tali re contrahendi, eſſe utrinque intellectam.

(4) Rectè hic obſervat Cl. *Titius*, malè Auctorem ſubordinata opponere: quippe ideo legibus pacti non eſt ſatisfactum, quia non convenit circa rem propoſitam, qualis reverà exiſtit.

(5) Natura rei de qua pactum initur, ejusque qualitates æſtimabiles, earumve privationes, quæ, quo alteruter paciſcentium ad pactum ineundum, quod aliàs fortè non iniiſſet, moveretur, quidquam putari poſſunt momenti habuiſſe, naturaliter intelliguntur ipſius pacti eſſentiam ingredi; ita ut error circa quodlibet horum admiſſus, jure naturali, non modò pactum vitiet, quamdiu nihil ab alterutra parte eſt præſtitum; ſed &, poſt pactum ex toto vel parte impletum deprehenſus, læſo jus faciat à pacto reſiliendi, & poſtulandi ut omnia quæ præſtita ſunt, utrinque reſtituantur. At ſi error qui objicitur, verſetur tantùm circa externum rei valorem, vel alias qualitates, citra quarum intuitum errans manifeſtè pacturus fuerat, ſed ſub aliis conditionibus; in alterius arbitrio eſt, modò doli immunis fuerit, utrùm velit eum à pacto liberare, an id quod illi deeſt ſupplere. Atque hic notandum eſt, de omni caſu quo pactum ob errorem fit irritum; ſi unius paciſcentium culpa (ſive ejus qui erroris exceptionem opponit, ſive ejus adverſus quem opponitur) errori, ſeu circa ipſam rem vel circumſtantiam à qua exceptio petitur, ſeu circa alterius mentem ab altero capiendam, ver-

contractu reſilire poteſt, vel alterum ad defectum ſupplendum adigere, vel etiam ad præſtandum id quod intereſt, ubi ipſius dolus aut culpa intervenit.

§. XIII. Quòd ſi quis *dolo* & malicioſâ *fraudulentiâ* alterius inductus fuit ad promittendum aut paciſcendum, ita eſt habendum.

1. *Si tertius dolum adhibuerit, non colludente eo quicum paciſcimur, negotium erit firmum:* ab eo tamen qui dolum adhibuit, poterimus repetere id quod intererat nos non fuiſſe deceptos.

2. *Qui dolo ſuo malo cauſam dedit, ut ipſi quid promitterem, cum eove paciſcerer, ei ex iſthoc actu haudquidquam obligor.* (1)

M 5 3. *Si*

verſanti, cauſam dederit; atque alter ex fruſtratione damnum patiatur; illum huic teneri ad damnum iſtud penſandum, id eſt, ad efficiendum, ut ne ſit in deteriore conditione, quàm ſi pactum non fuiſſet initum. Sin unus paciſcentium, alterius errorem, circa rem ejusve qualitates, ſatis intellexerit, eique aſſentiri doloſè præ ſe tulerit; debet etiam præſtare *id quod intereſt*, i. e. quantum decepti intererat, pactum, ſecundùm ejus ſpem & intentionem, fuiſſe expletum: ad hoc enim ſuo conſenſu videtur ſe obligâſſe. Neque hæc multùm abeunt ab iis, quæ de his caſibus Jure Romano ſtatuuntur; modò meminerimus, diſtinctionem eorum, quæ actum faciunt ipſo jure nullum, & quæ exceptionem vel actionem pariunt quâ elidi poſſit, eſſe ſubtilitatem fori, quæ in Juris Naturalis ſimplicitate nullum habet locum.

§. XIII. (1) Cum enim ille ad damnum mihi dolo datum penſandum teneatur; obligatio mea tollitur per compenſationem: ut argumentatur Auctor in alio caſu, §. 15. in fine. Quinetiam, ſi ſoluto pacto adhuc damnum ſentiam; hujus quoque penſationem rectè exigo.

3. *Si quis ultrò quidem, & liquida cum deſtinatione animi, ad paciſcendum acceſſerit, in ipſo tamen negotio, putà, circa objectum, ejusve qualitates & exiſtimationem, dolus interceſſerit; hactenus pactum erit vitioſum, ut in arbitrio decepti ſit, illud penitùs diſſolvere, aut læſionis penſationem exigere.* (2)

4. *Quæ ad eſſentiam negotii non faciunt, nec expreſsè fuerunt deſignata,* (3) *actum de cætero ritè conceptum non vitiant;* licèt fortè alter de iis, dum paciſcitur, tacitè cogitavit; aut ejus opinio aſtu fuit confirmata, quousque contractus concluſus foret.

§. XIV. *Metus*, qui circa promiſſa & pacta intervenit, *dupliciter* ſumitur: vel pro *ſuſpicione* probabili, fore ut ab altero decipiamur; idque, vel quia ejusmodi vitium in animo ipſius hæret, aut quia malignam ſuam voluntatem ſat perſpicuè ſignificavit: vel pro *vehementi animi terrore*, orto ex intentato gravî malo, ni promiſſum aut pactum inire velimus. Circa priorem ſpeciem metûs ita habendum. 1. *Qui*

(2) Dixerim potiùs, ut de errore in ſimili caſu philoſophatur *Grotius*, ſi pactum ex parte in dolo fundatum fuerit, pro ea quidem parte non valere, reliquâ parte ſalvâ manente: at ſi vitium è dolo ſubnatum, is qui dolum adhibuit nolit corrigere, tum demùm deceptus rectè abrumpet pactum: cur enim huic in ſpecie hîc propoſita plus liceat, quàm in præcedente, n. 2. nullus video.

(3) Hæc enim non fundant exceptionem *Erroris*, cum non intelligantur ut conditiones; nec *Doli*, cum non afferantur (ex hypotheſi) ſed eorum opinio tantùm callidè confirmetur ab altera parte.

1. *Qui confidit illius promiſſis & pactis, cui fidei religio in univerſum nihili ſit, imprudenter quidem facit; ſed eam ſolam ob cauſam pactum non redditur irritum.*

2. *Ubi pactum jam ſit initum, ac nulla nova emergant indicia intentatæ deceptionis, non licebit à pacto reſilire, ex obtentu vitiorum quæ ante pactum erant cognita.* Nam, quæ cauſa aliquem non prohibuit, quò minùs paciſceretur, eadem quoque prohibere non debet, ne pactum impleat.

3. *Ubi poſt pactum initum certiſſima emergant indicia, alterum id agere, ut mihi, quando meum priore loco præſtitero, illudat,* (1) *non priùs ad præſtandum adigi potero, quàm contra eam deceptionem mihi cautum ſit.*

§. XV. Circa *alteram* ſpeciem metûs hæ regulæ obſervandæ.

1. *Pacta, quæ ineuntur propter metum à tertio incuſſum, valida ſunt.* Nam, in hôc utique nullum reſidet vitium, quo minùs jus ex pacto ſibi adverſus me adquirere queat; & metum ab altero intentatum diſcuſſiſſe, penſatione utique dignum eſt.

2. *Quæ pacta ex metu aut reverentia imperii legitimi* (1) *ineuntur, aut ob auctoritatem eorum quibus*

§. XIV. (1) Vel etiam, ubi innoteſcit, ſi id priùs latuerit, alteri iſti fidei religionem in univerſum nihili fieri.

§. XV. (1) Vel etiam ex metu qualiscunque vis, à quocunque juſtè inferendæ: ſibi enim imputare debet, qui noluit, citra incuſſum metum, id facere ad quod tenebatur; vel qui onus ad quod non tenebatur, lòco alterius ad quod tenebatur, maluit ſubire.

quibus magnopere devincti ſumus, valida ſunt.

3. *Pacta, ad quæ ab illo ipſo, cui promittit, aut quicum paciſcitur, injuſtâ ejusdem vi quis compellitur, invalida ſunt.* (2) Nam injuria, quam

(2) De hoc tantopere agitato caſu, quid nobis videatur, ex tribus ſequentibus propoſitionibus patebit. 1. Pacta injuſtâ vi extorta, nullum extorquenti jus tribuunt, quo is licitè uti poſſit adverſus quenquam; nec mero jure naturali conſcientiam ſtringunt eorum qui in coacti locum ſuccedunt, quo minùs vel præſtationem detrectent, vel, ſi ea jam facta ſit, damni injuſtâ vi dati penſationem exigant: hoc rationibus ab Auctore allatis largimur. 2. Quicquid nihilominùs, vitæ ſervandæ, vel gravis alicujus damni avertendi, cauſâ, licitè præſtari, atque adeò promitti, potuit, id, tali de causâ (licèt injuſtiſſima alterius vis eam neceſſitatem impoſuerit) promiſſum, ipſius promittentis, ex capite veracitatis & fidelitatis, conſcientiam ſtringit; utpote, qui exceptione *vis* & *metûs*, in ipſo rei geſtæ articulo, ut ſupponimus, ſatis obviâ, ſe non uſurum videtur promiſiſſe. 3. Haud ineptè obſervat *Grotius*, *Lib. II. Cap. XVII.* §. 19. conſenſu Gentium introductum videri, ut contra Pacta, bellorum ſolennium ſucceſſu, vel eorum metu, extorta, exceptio *vis & metus* non poſſit opponi, ſive ab iis ipſis qui pacti ſunt, ſive ab iis qui in eorum locum ſucceſſerunt; ne controverſiæ publicæ nunquam eſſent finem habituræ. Addenda tamen cenſuerim bellis ſolennibus, quod ad hunc unum effectum, cætera omnia, quæ publicè, deliberatè, & in Mundi quaſi conſpectu, geruntur, quæque pactis, nec ſubitò nec clanculùm extortis, finiuntur; ut & conditiones pacis iſtis pactis firmatæ, ſive inter Principes & Subditos, ſive inter diverſas Civium factiones Bello Civili colliſas, ſanctæ & inviolabiles habeantur. Nec ſatis apparet, ubi res aliter ſe haberet, quis eſſet uſus pactorum, pacem reducentium; aut quomodo veteres controverſiæ, de quibus aliquando bellatum fuerat, non

quam alter incuſſo metu injuſto mihi infert, incapacem eum reddit, ut jus ſibi adverſus me ex illo actu quærere poſſit. Et cum quis aliàs teneatur penſare damnum abs ſeſe datum, per compenſationem velut tolli obligatio intelligitur, ſi non ſolvitur id quod ſtatim reſtitui debebat.

§. XVI. Præterea, oportet *conſenſum*, non in pactis ſolùm, ſed & promiſſis, eſſe *mutuum*; (1) ſic ut conſentire debeat, non ſolùm

non ſemper novæ paterent diſceptationi: Pacta enim quibus ſopiri debent, à ſingulis ineuntur, pro ſtatu quem eorum rebus belli fortuna dedit.

§. XVI. (1) Hujus doctrinæ ratio ſatis evidens ab Auctore ſubjungitur. Neque obſtat, quòd in Jure Romano, quibusdam pollicitationibus, ſive promiſſis oblatis, ſine acceptatione, obligandi vis tribuatur. Poteſt enim Summus Imperans, dum Lege eâ de re conditâ voluntatem ſuam ſignificat, non tantùm Acceptationis ejus cui Jus aliquod eſt oblatum, ſed ipſius perſonæ cui acquiratur, defectum ſupplere: quod omnino fieri dicendum eſt, ſi quâ in Civitate validæ habeantur diſpoſitiones rerum, in gratiam Poſterorum, certo ordine naſciturorum; ita ut ab ipſis Aſcendentibus, in præjudicium futurorum Deſcendentium, abrumpi non poſſint: Tales ſc. Diſpoſitiones, non niſi in perſona Civitatis, ejusve Rectoris, poſſunt ſuſtineri; cum nondum exiſtentibus nullum Jus ſit quæſitum. Confer quæ infrà dicemus, ad *Lib. II. Cap. II.* §. 12. & locum *Grotii* illic citatum. Diſpoſitiones verò quibus eâ Lege Succeſſio defertur, ut proximi Succeſſoris Propagini, alterius, Diſponenti cum obit ſuperſtitis, Propago in certum eventum ſubſtituatur (quales circa Res Soli crebrò apud nos occurrunt) ipsâ naturâ ſuâ ſunt validæ, etiam in gratiam Infantium, qui acceptare non poſſunt: quippe, ad acquiſitionem Juris à *Defuncto* tranſlati, non requiritur

ſolùm qui promittit, ſed & cui promittitur. Quando enim hujus conſenſus abeſt, ſeu quando is oblatum promiſſum *acceptare* detrectaverit, res promiſſa penes promiſſorem manet. Qui enim alteri rem ſuam offert, neque invito eam vult impingere, neque pro derelicta habere. Ergo, ſi alter non acceptet, juri promittentis in rem oblatam nihil decedit. Quòd ſi rogatio anteceſſit, cenſebitur ea durare, niſi expreſsè fuerit revocata; eoque caſu in anteceſſum acceptatio facta intelligitur. Ita tamen ut rogationi reſpondeat oblatio: Nam ſi hæc diſcrepet, expreſſa requiritur acceptatio; quia ſæpe mihi non conſulitur, niſi tantundem quantum rogavi accepero.

§. XVII. Circa *materiam* promiſſorum & pactorum requiritur, ut, *Quod promittimus aut paciſcimur, non ſit ſupra noſtras vires, neve id*

tur præſens Acceptatio, ut dicemus infrà, ad *Cap. XII.* §. 12. ſed Perſona tantùm exiſtens, cui id ſtatim acquiratur. De Translatione verò Jurium à *Vivis*, ad Infantes aliosve ſimiles, per conſenſum transferentis (cui, ut ſit efficax, acquirentis etiam conſenſum regulariter debere accedere, jam audivimus) non ab re eſt quod monet *Grotius* (de *J. B. & P. Lib. II. Cap. III.* §. 6.) talium conſenſum, ad Jura acquirenda requiſitum, ſupplere velle videri Genus Humanum: unde manifeſta eſt ratio, cur Jura, eorum nomine accepta ab aliis, qui eorum tutelam hactenus ſaltem ſuſceperunt, etiam in ſtatu naturæ valida cenſeantur, ita ut ab iis ipſis qui acceperant, in præjudicium eorum quorum nomine acceperant, cedi aut alienari non poſſint.

id patrare lege aliquâ prohibeamur: aliàs enim aut ſtolidè aut improbè promittimus.

Exinde conſequitur, neminem ſeſe obligare poſſe ad id, quod ipſi eſt *impoſſibile.* Quod ſi autem res, quæ tempore pacti initi poſſibilis habebatur, poſt impoſſibilis aliquo caſu, citra paciſcentis culpam, facta ſit; re integrâ, pactum erit nullum. Ubi quid præſtitum ab altero jam fuit, id reſtituendum, aut æquipollens reponendum. Si ne hoc quidem fieri poſſit, ſummus erit conatus adhibendus, ne alter detrimenti quid capiat. Nam, in pactis primariò reſpicimus, ad id de quo expreſsè fuit conventum; ubi hoc obtinere non poſſumus, ſufficit æquipollens exhiberi: ſaltem ne damnum ſentiamus, omni modo cavendum eſt.

Qui verò dolo, aut gravi culpâ, ſibi ipſe vires præſtandi detraxit, non ſolùm ad ſummum conatum tenetur, ſed &, velut in ſupplementi vicem, malo inſuper poterit mactari (1).

§. XVIII.

§. XVII. (1) Id potiùs hujus loci foret notare, eum qui dolo, vel, in pactis reciprocis, etiam culpâ, præſtandi vires ſibi detraxit, teneri alteri ad id quod intereſt: in promiſſis verò gratuitis, ſuffecerit in caſu culpæ, ſaltem non latæ, promiſſarium præſtare immunem à damno, quod occaſione pacti non ſtolidè incurrerat. Sed eſt alius caſus, qui hìc intactus præteriri non debuit, quòd ſc. id quod promiſſum pactumve eſt, jam tempore initi pacti fuerit impoſſibile. Hoc ſi Promiſſarius noverit, vel Promiſſor invincibiliter ignoraverit, obligatio eſt nulla; ita

§. XVIII. Patet quoque, ad *rem illicitam* præſtandam obligari nos non poſſe (1). Nam, nemo validè ſe poteſt obſtringere ulteriùs, quàm ipſi eſt poteſtas. Aſt, qui lege actionem prohibet, adimit utique poteſtatem eam ſuſcipiendi, & de eadem præſtanda obligationem admittendi. Contradictorium quippe eſt, ex obligatione per leges confirmata aliquid neceſſariò debere facere, quod per eaſdem leges eſt omittendum. Unde, peccat quidem, qui illicita promittit; ſed bis peccat, qui eadem præſtat.

Ex quo & hoc colligitur, non ſervari debere promiſſa, quæ illi, cui fiunt, noxæ ſunt futura (2); cum naturali lege prohibitum ſit,

ita tamen, ut ſi quid fuerit ab altera parte præſtitum, debeat reſtitui: ſi verò, Promiſſario ignorante, Promiſſor noverit, id quod promiſit, pactusve eſt, fore præſtitu impoſſibile; procul dubio tenetur ad id quod intereſt: imo, ſi per culpabilem negligentiam ignoraverit, cum alter ſcire non potuerit; tenetur adhuc hunc indemnem præſtare. Supponimus ſcil. hic, ut plerumque evenit, Promiſſarium ignorantem, Promiſſoris, de eo quod ab hoc præſtari poteſt, fidem ſequi.

§. XVIII. (1) At eædem hic locum habent, in ſimilibus caſibus, obligationes ſubſidiariæ, quas promiſſâ re impoſſibili, vel quæ poſtea impoſſibilis evadit, locum habere, eſt ſuprà dictum.

(2) Hæc concluſio de iis intelligi debet, de quibus pro ſe diſponendi facultas homini non eſt conceſſa, ut de Vita, Membris, &c. *Illicita* enim, in hac doctrina intelliguntur, non iſta omnia quæ temerè promittuntur, quæque, ſi promiſſa non fuiſſent, haud ſatis ex officio præſtarentur (multis enim talibus promiſſis

ſit, ne quis alteri, etiam ſtolidè volenti, malum inferat.

Si igitur pactum circa rem turpem fuerit initum, neuter ad id explendum tenebitur. Quin & ubi turpe facinus ab uno fuit præſtitum, alter ad ſolvendam conventam mercedem non obligabitur. Quod tamen illo intuitu jam eſt datum, repeti nequit (3), niſi fortè dolus, aut enormis læſio, acceſſerit.

§. XIX. Denique & hoc manifeſtum eſt, fruſtra promittere nos, aut paciſci, circa *res*

miſſis applicandum eſt illud tritum, *Plurima quæ fieri non debent, facta valent*) ſed ea ſola, quæ citra exceptionem Lege prohibentur; cujuſmodi ſunt ea, quibus reverentia Numinis directè violatur; quibus alicujus tertii jus perfectum læditur; vel quibus aliàs alicui ſine juſta cauſa noxa infertur, in iis de quibus liberè diſponendi facultas homini non competit.

(3) Si nimirùm turpe ſit facinus, reſpectu Dantis, pariter atque Accipientis: ſi enim ejus turpitudo oriatur ex aliqua habitudine accipientis, danti ignotâ; naturalis eſt *Condictio ob turpem cauſam dati;* quam, ubi ſolius accipientis turpitudo verſatur, concedunt Juriſconſulti Romani. Quod verò ad plerasque attinet inſtantias, à Juriſconſultis ad hoc genus referri ſolitas, referendæ potiùs videntur ad *Condictionem ob injuſtam cauſam;* cum parum interſit, utrum quis aliquid dederit pactusve ſit, metu injuſtæ vis ab altero inferendæ, an metu alicujus rei vel operæ, alioquin debitæ, ab altero non præſtandæ: hi igitur caſus pertinent ad doctrinam ſupra traditam §. 15. n. 3. ubi vide *Obſerv.* Auctor equidem, dum in caſu turpitudinis danti & accipienti communis Condictionem denegat, eo nomine à pluribus reprehenditur, ſed minùs meritò.

alienas (1), in quantum illæ non noſtræ, ſed alterius, directioni & arbitrio ſunt ſubjectæ. Quòd ſi autem ita promiſero, *me operam daturum, ut alter* (cui pro imperio me quid imperare non poſſe præſupponitur) *præſtet*; tunc teneor, omni modo moraliter poſſibili (i. e. quantum alter honeſtè à me poſtulare poteſt, & quantum vitæ civilis ratio fert) laborare, ut ad eandem præſtandam alter permoveatur.

Sed & ſuper rebus aut actionibus noſtris, in quas jam alteri jus fuit quæſitum, tertio validè promittere non poſſum, niſi [illegible]rtè in eum caſum, quo alterius jus exſpiraverit. Nam, qui prioribus promiſſis aut pactis jus ſuum in alterum jam tranſtulit, ipſe utique nullum tale jus reliquum amplius habet (2),

§. XIX. (1) Vel etiam circa *Actiones* alienas: adde & res vel actiones noſtras, de quibus ſine alterius conſenſu validè diſponere non poſſumus; ut res ſe habet in Pupillis & Minorennibus: Hæc ſequuntur ex antedictis; quia res vel actiones alienas invito Domino, qui eatenus poteſtati noſtræ non ſubjectus ſupponitur, vel noſtras invito eo cujus poteſtati eatenus ſubjicimur, præſtare, eſt nobis vel impoſſibile vel illicitum. Quòd ſi res promiſſa ignoretur à Promiſſario eſſe aliena (aut alterius directioni obnoxia) vel ſi poſtea talis fiat; aut ſi Promiſſor Promiſſario perſuaſerit, ſe poſſe efficere, ut alter præſtet quod ipſe ejus nomine ſuſcepit; his in caſibus, altero non præſtante, promittentem onerant iſtæ obligationes ſubſidiariæ, pro varietate circumſtantiarum variæ, quas *Obſ.* in §. 17. expoſuimus: ſi denique promittat quis *ſe præſtiturum*, ut alter quid det vel faciat; videtur ſatis directè ſe obligare ad id quod intereſt.

(2), quod in tertium poſſit conferre. Ac nullo negotio omnia promiſſa & pacta poſſent fieri irrita, ſi liceret aliud inire, in quo

(2) Non eſt hoc ita intelligendum, aut ſaltem non ita admittendum, quaſi præcedens Promiſſum aut Pactum circa rem alienandam, ſequentem alienationem, Tertio factam, irritam poſſet reddere. Promiſſio enim rei alienandæ, ut cujusvis alterius futuri facti, reſtringit quidem naturalem libertatem promittentis, ſive huic imponit obligationem non ſecus faciendi quàm promiſit; eumque adeo contrariæ obligationis facto ſuo directè contrahendæ reddit incapacem; haudquaquam verò omnem moralem facultatem circa ipſam rem eripit (ut jampridem rectè notavit *Grotius*, *Lib. II. Cap. XII.* §. 15. *in fine*) unde, nec impedit, quò minùs ſubſequens alienatio, ſive actualis Dominii translatio, licèt contra promiſſi fidem facta, ſit valida; adſentiente ipſo Auctore, etiamſi promiſſum juratum fuerit; *J. N. & G. Lib. IV. Cap. II.* §. 11. Quo in caſu, ei qui prius jus perſonale promiſſo vel pacto ſibi comparaverat, nihil aliud jure naturali relinquitur, quàm petitio ejus quod intereſt, ſecundùm ea quæ notavimus in §. 17. ut contrà, ſimile tantùm remedium ſubſidiarium, juxta facti circumſtantias, poſteriori contrahenti conceditur, ſi ante rem actu alienatam contraria pacta inter ſe conferantur: Regulam enim ab Auctore laudatam, *Qui prior tempore, eſt potior jure*, in Actibus ejusdem generis, ſeu ſimile jus transferentibus lubentes admittimus; minimè verò, ubi jura perſonalia cum realibus in contentionem veniunt. Quod enim hîc innuit *Titius*, Juris *Realis* & *Perſonalis* diſcrimen Legibus tantùm Civilibus eſſe introductum, id neutiquam videtur admittendum; nequidem ſi reſtringatur ad Jura perſonalia circa certas *Species* verſantia; nam, quòd jus exigendi *operam perſonalem*, vel *quantitatem* alicujus *generis*, non ſit naturâ ſuâ planè diverſum ab ullo jure reali, Viro docto in mentem venire nunquam potuit.

contraria priori diſponerentur, ac quicum prius ſimul expleri nequit. In quo fundatur tritum illud, *Qui prior tempore, potior jure.*

§. XX. Eſt præterea circa Promiſſa (1) potiſſimùm obſervandum, illa concipi ſolere, vel *purè* & *abſolutè*, vel *ſub conditione*, ut ſcilicet validitas promiſſionis conferatur in aliquem eventum (2) à caſu aut arbitrio humano pendentem.

Sunt

§. XX. (1) Diſtinctionem *Puri* & *Conditionati*, videtur Auctor *ſimplicibus Promiſſis*, potiùs quàm *Pactis*, applicare; fortè, quia in pactis reciprocis, capita præſtandorum *priora poſterioribus inſunt* per modum *Conditionis*, ut loquitur ipſe Auctor infrà, *Cap. XVI.* §. 5. vel potiùs, *ſingula alia aliis inſunt*, ut *Grotius*, *Lib. III. Cap. XIX.* §. 14. Quippe, non ſolùm poſteriores præſtationes, ſi naturalem interpretandi rationem ſequamur, ob deficientes eas quæ præcedere debuerant, rectè denegantur; ſed & quæ priùs præſtita ſunt, ob deficientes præſtationes quæ ab altera parte ſequi debuerant, non minùs rectè repetuntur: atque hanc naturalem æquitatem ſecuti Juriſconſulti Romani in contractibus *innominatis*, ad eam exequendam conceſſerunt, *Condictionem cauſâ datâ, cauſâ non ſecutâ*; licèt aliud iiſdem in contractibus *nominatis* magis placuerit; non magnum interim hìc ſubeſſe diſcrimen, ſatis oſtendit Cl. *Titius*, Obſerv. in *Lauterbachium*, CCCXLVII.

(2) Quilibet eventus, alteri, vel utrique eorum, quibus negotium intercedit, incertus, & à cujus exiſtentia ejuſdem efficacia ſuſpenditur, eſt *Conditio*: neque hìc moramur Juriſprudentiæ Romanæ ſubtilitatem, quæ ad *Conditionem* requirit, ut ſit eventus aliquis *futurus*, idemque hominibus in univerſum incertus: nihil enim attinet dicere, *Conditiones quæ ad præſens vel præteritum tempus referuntur*, *aut ſtatim infirmare obligationem*, *aut omnino non differre*, (vide

Sunt autem *Conditiones*, vel *poſſibiles*, vel *impoſſibiles.* Illæ ſubdividuntur, in *caſuales* ſeu *fortuitas*, quæ ut exiſtant vel non exiſtant penes nos non eſt : *poteſtativas* ſeu *arbitrarias*, quæ ut exiſtant vel non exiſtant penes eum eſt cui promittitur : & *mixtas*,

N 3 quarum

(vide *Inſt. Lib. III. Tit. XVI.* §. 6.) quamdiu, vel in hoc caſu, res promiſſa nondum poteſt certò pronunciari debita; vel in illo, ſpes eſt eam debitam aliquando inventum iri. Verum quidem eſt, hanc Romanorum ſubtilitatem, in effectu Teſtamentorum reale & ſenſibile admodum diſcrimen parere, eò quòd nec ipſa ſpes, ejus quod ſub conditione relictum eſt obtinendi, ad Hæredis vel Legatarii Hæredes transmittatur, ſi ille diem ſuum obierit, antequam conditio exiſteret; cum tamen ad hos Hæreditas vel Legatum omninò transmitteretur, ſi conditio ante mortem Hæredis vel Legatarii, licèt eam exiſtere ignorantis, verè extitiſſet : aſt hoc diſcrimen eſt Juris tantùm arbitrarii; neque ullum extitiſſet, ſi, quam naturalem ſimplicitatem Juriſconſulti ſecuti ſunt in Stipulationibus conditionalibus, (vide *Inſt. d. Tit.* §. 4. in fine) eandem in Teſtamentis conditionalibus ſequi placuiſſet.

Hoc inſuper de materia nobis præ manibus eſt monendum; quòd etiamſi Acceptatio ad Promiſſi vim complendam requiratur, nunquam tamen ea ſub *Conditionis* nomine venire ſoleat : *Conditio* quippe, eſt adjectio quædam, in ipſo promiſſo oblato ita incluſa, ut ejuſdem etiam acceptati efficaciam ſuſpendat : unde intelligi poteſt, non eandem planè huic Vocabulo ideam alligari, apud Juriſconſultos, ubi ſermo eſt de Stipulationibus & Inſtitutionibus ſub *Conditione* factis, atque apud Metaphyſicos differentes de *Conditione ſine qua non*; quod notâſſe forſan expediret, ad componendam Controverſiam Theologicam de Abſoluto vel Conditionato Tenore Fœderis Gratiæ.

quarum impletio, partim ab arbitrio ejus in quem confertur, partim à caſu, dependet.

Impoſſibiles autem, ſunt vel *phyſicè*, tales, vel *moraliter*; i. e. quædam per rerum naturam fieri à nobis non poſſunt, quædam per leges & honeſtatem fieri non debent. Et impoſſibiles quidem conditiones (3), ſi naturalem interpretandi ſimplicitatem ſequamur, orationem promittendam faciunt negativam. Etſi per leges fieri poſſit, ut ſi adjectæ ſint, negotio alicui ſerio (4), habeantur pro non adjectis; ne per actus nullum eventum ſortituros hominibus illudatur.

§. XXI. Denique, promittimus & paciſcimur (1), non ſolùm *per noſmetipſos*, ſed etiam *aliorum hominum interventu*, quos ipſi voluntatis noſtræ *internuncios* atque interpretes conſtituimus. Per quos, ubi bonâ fide egerint,

(3) Intellige, quæ ſunt phyſicè impoſſibiles: unde nec tales (quæ ſaltem tales eſſe cognoſcuntur) ſatis propriè dicuntur *Conditiones*, juxta hujus Vocabuli ſenſum ſuprà explicatum. Quod ad eas attinet, quas Auctor vocat moraliter impoſſibiles, i. e. quæ per leges fieri non debent; hæ, ſi ipſi promiſſario præſtandæ proponantur, pertinent ad caſum de quo dictum eſt ſuprà, §. 18. in fine: ſi verò reſpiciant facinora, vel ab ipſo promittente, vel à quovis tertio, perpetranda; promiſſi obligationem ſuſpendunt, æquè ac aliæ quævis poſſibiles, conditiones.

(4) Ut Teſtamentis, Jure Civili, *Inſt. Lib. II. Tit. XIV.* §. 10. item, Contractibus Matrimonialibus, Jure Canonico, *Decretal. Lib. IV. Tit. V. c. ult.*

§. XXI. (1) Vel aliud quodvis jus alienabile transferimus aut accipimus.

egerint, quod à nobis in mandatis habebant (2), validè obligamur apud eos, qui cum iſtis velut noſtras vices gerentibus egerunt.

§. XXII. Atque hæc ſunt *Officia* hominis *abſoluta*, ut & per quæ velut tranſitus ad alia fit. Reliqua præſupponunt aliquod *Inſtitutum humanum*, generali pacto ſubnixum; & in genus humanum introductum; vel etiam *Statum* aliquem peculiarem. Inſtitutorum iſtorum deprehenduntur potiſſimùm *tria* (1); SERMO, DOMINIUM RERUM EARUNDEMQUE PRETIUM, ET IMPERIUM HUMANUM. De ſingulis, ut & quæ inde reſultant officiis, deinceps exponendum.

(2). In mandatis ſc. publicis, hoc eſt, ei oſtendendis quocum negotium geritur: nam, ſi vel maximè ab arcanis mandatis receſſerint, non ideo negotium erit irritum; ſed ab ipſis tantùm internuntiis, penſatio damni, dolo vel culpâ dati, rectè exigetur. Plures quæſtiones hùc pertinentes, vide diſcuſſas apud *Grotium*, *d. Cap. XI.* §. 12. & *ſeqq.* ut & apud Auctorem, de *J. N. & G. Lib. III. Cap. ult.*

§. XXII. (1) De hac Auctoris enumeratione non eſt operæ pretium anxiè diſquirere; cum alius planè rerum ordo ſit in Appendice proponendus.

CAPUT X.

De Officio Sermocinantium.

I. *Officium Sermocinantis, ne alterum decipiat.* II. *Verbis in recepta ſignificatione cur utendum?* III. *Obligatio ad alteri mentem aperiendam, unde?* IV. *Hâc*

ceſſante, licet diſſimulare ſilendo: V. *Diverſumque ab eo quod animo volvitur exprimendo;* VI. *Ficto ſermone quo, & quo caſu, ut liceat?* VII. *Veritas moralis, quæ? à logica diſtinguenda.* VIII. *Mendacium, ejusque requiſita.* IX. *Mendacio annumerandus fictus Sermo, non quivis.* X. *Sed is quo illi illuditur, cui mentem aperire tenebar.*

QUAM utile ac planè neceſſarium ſit inſtrumentum Societatis Humanæ SERMO, nemo eſt qui ignorat: cum multi vel eâ ſolâ facultate collegerint, hominem ad agendam vitam ſocialem à natura deſtinatum. Circa hujus ergo legitimum & Societati Humanæ proficuum uſum, id officii Lex naturalis hominibus dictitat: UT NE QUIS SERMONE, AUT ALIIS SIGNIS, AD EXPRIMENDA ANIMI SENSA INSTITUTIS (1) ALTERUM DECIPIAT.

§. I. (1) Malim dicere *adhibitis.* Verùm, ut tota hæc res diſtinctiùs intelligatur, ex Logica repetendum eſt, duo diſtingui debere ſignorum genera: alia nimirùm, ſive naturæ, ſive conſuetudinis, ratione habitâ aliquid ſignificare, ſine ullo reſpectu ad ſuppoſitam ſignificandi intentionem, in eo qui iſta ſigna adhibet; alia verò non aliter ſignificare, quàm quatenus ſupponuntur, ab Agente aliquo rationali, ad conceptus ejus alteri ſignificandos, ultrò adhiberi; idque, vel præcedente expreſsâ quâdam de eorum ſignificatu conventione, vel comitante conventione tacitâ, de ſignis adhibitis, de quorum uſu non aliter expreſsè convenit, eo ſenſu uſurpandis, quem, vel eorum natura, vel uſus ante receptus, ſuggeſſerit. Hæc diſtinctio haudquaquam coincidit, cum vulgò decantatâ diſtinctione ſignorum naturalium & arbitrariorum; cum ſub utroque horum generum, tam naturalia quàm arbitraria ſigna contineantur: eſt tamen

§. II. Sed ut indoles Sermonis penitiùs intelligatur, ſciendum eſt, circa ſermonem, voce vivâ aut literis expreſſum, duplicem obligationem occurrere. *Una* eſt (1), quâ

 iſti

tamen reipſa eadem, quam inculcat *Grotius*, *de J. B. & P. Lib. III. Cap. I.* §. 8. *n.* 2. & poſt eum Auctor noſter, de *J. N. & G. Lib. IV. Cap. I.* §. 12. ejusque diſtinctionis uſus in hac doctrina eſt manifeſtus: quippe, non de prioris, ſed de poſterioris generis ſignis (in quorum numero ſunt voces & alia quælibet ſigna eodem munere fungentia) intelligi debet Regula, in fine hujus §. inculcata: in his veris præſtandis veracitas, ut in iisdem falſificandis mendacium, conſiſtit.

§. II. (1) Hæc una eſt illa obligatio, in qua explenda veracitas ſita eſt, ut in ea violanda mendacium; modò ſub phraſi *Vocabula certo ſenſu adhibendi*, includas etiam, *Sermonem*, *juxta iſtum vocabulorum ſenſum*, *verum*, id eſt, loquentis ſententiæ conformem, *præſtare.* Inauſpicatò igitur admodum Cl. *Titius*, dum obligationem in hoc § inculcatam eliminat, omne veriloquii & mendacii diſcrimen ſublatum, & ipſam veracitatem è numero virtutum expunctam, videtur velle. Poteſt equidem non immeritò inquiri, unde hæc obligatio oriatur? Et ſi ex conventione, fluat, quando & quomodo iſtam conventionem Homines ineant? Non abſurdè equidem dixeris, ex ipſa rei natura & manifeſta neceſſitate officii hic præſcripti ad Sermonis uſum obtinendum, atque adeò ad vitam ſocialem inter homines fovendam, dictam obligationem manifeſtè ſatis oriri. Ego verò conventionem in hoc negotio minimè negandam exiſtimo: de qua unica difficultas eſt, quando, & quâ ratione, ea conventio ſit inita: quòd enim à ſingulis uno aliquo actu ineatur conventio, quæ omnibus futuris ſermonibus, apud quemcunque habendis, normam figat, vix eſt ut defendi poſſit. Dicendum itaque eſt potiùs, unumquemque, dum alterum alloquitur, præ-

iſti qui eâdem linguâ utuntur, certæ rei certum vocabulum, prout uſus cujusque linguæ fert, adplicare tenentur. Cum enim neque voces, neque certi literarum ductus, certam rem naturâ notent: (aliàs enim omnes linguæ aut ſcripturæ genera coincidere deberent:) inde, ne uſus linguæ foret inanis, ſi quisque, quo vellet vocabulo, quamlibet rem nuncuparet; neceſſum eſt, inter eos qui eâdem linguâ utuntur, tacitam interceſſiſſe conventionem, ut certam rem certo, & non alio, vocabulo denotent. Ni enim in uniformem vocum adplicationem fuerit conſpiratum, impoſſibile eſt, ex ſermone

præſertim dum aliquid ei narrare aggreditur, tacitè cum eo paciſci, de verbis eo ſenſu uſurpandis, quem ab illo altero adſtipulante ratione intellectum iri exiſtimat. Eum verò ſenſum ſic intellectum iri quiſque exiſtimare debet (ſi nullâ ſpecialiore conventione aliter definitum fuerit) qui talia verba in ſimilibus caſibus vulgò comitari ſolet. Idem de aliis quibusvis ſignis eodem munere fungentibus eſt dicendum; niſi quòd, ſi qua horum, ut in quibusdam evenit, naturâ ſuâ apta nata ſint ad aliquid ſignificandum, nec ullus interveniens uſus, aut expreſſa pactio, eorum ſignificationem aliter determinaverit, ſenſus tum rationabiliter intelligendus, & de quo ſervando tacitè convenit, ſit ille ipſe quem ſigni cujusque natura ſuggerit. Conſtat igitur, hanc obligationem de qua loquimur eſſe inviolabilem; nec ullo caſu aut eventu elidi poſſe; cum toties de novo quaſi contrahatur, quoties quis os aperit ad loquendum: hâc certè obligatione non ſuppoſitâ, uſus Sermonis, præſertim aſſerentis, è vita humana tolleretur; inutile eſſet quid cuiquam narrare, nec minùs ineptum cuiquam quid narranti auſcultare.

mone alterius ſenſa animi colligere. Unde, vi iſtius pacti, quilibet tenetur ita adhibere in ſermone communi vocabula, prout receptus ejus linguæ uſus fert. Ex quo etiam hoc conſequitur, ut, quanquam ſenſa animi à ſermone diſcrepare queant, id tamen in vita humana quisque voluiſſe cenſeatur, quod verba ejus præ ſe ferunt, etſi fortaſſe intrinſeca mentis deſtinatio ab iſtis diſcedat. De hoc enim cum niſi per ſigna conſtare nequeat, omnis uſus ſermonis redderetur irritus, ſi interna animi cogitatio, quam ſibi quisque pro lubitu fingere poſſet, id quod ſigna præ ſe ferunt in communi vita elidere poſſet.

§. III. Altera obligatio, quæ in ſermone intervenit, in eo conſiſtit, ut quis alicui per ſermonem animi ſui ſenſa ita debeat pandere, ut hæc ex illo liquidò cognoſcere queat. Cum enim non loqui tantùm, ſed & tacere, homo queat; & cum non ſemper, quod quis in animo volvit, id coram quibusvis aperire teneatur: igiter neceſſum eſt, ut peculiaris exiſtat obligatio, quæ alicui neceſſitatem adferat, tum ad loquendum tum ad ita loquendum, ut alter ſenſa animi noſtri intelligat. Oritur autem illa obligatio, vel *ex peculiari Pacto*, vel *ex communi præcepto Legis Naturalis*, vel *ex præſentis Negotii indole*, cui contrahendo Sermo adhibetur, Sæpe enim expreſsè cum aliquo convenitur, ut quis animi ſui ſenſa ſuper ali-

aliquo negotio mihi aperiat; ut, ſi quem informatorem mihi in aliqua diſciplina adſciſcam. Sæpe quoque præceptum aliquod legis naturalis meam ſcientiam alteri communicare jubet, ut hoc modo ipſi proſim, vel noxam ab eodem avertam, aut ad noxam accipiendam cauſam vel occaſionem non præbeam. Aliquando denique, præſens negotium, quod cum alio ſuſceptum eſt, aliter expediri nequit, ni judicium meum ſuper eo pandam; ut circa celebrandos contractus contingit.

§. IV. Quia autem non ſemper uſu venit, ut ex aliquo horum capitum quævis cogitata mea alteri ſint ſignificanda; patet, me non alia teneri alteri ſermone meo indicare, quàm ad quæ ex me intelligenda *Jus perfectum aut imperfectum* habet. Adeòque rectè tacendo diſſimulare me poſſe, utut maximè interroger, quæ ut ex me ſciat alter jus non habet, neque ad id aliquâ obligatione ego teneor.

§. V. Imo, quia Sermo *non ſolùm* eſt inventus *propter alios, ſed & propter nos ipſos:* ideo, ubi aliqua mea in eo verſatur utilitas, neque cujusquam alterius jus læditur, licebit mihi ſermonem ita formare, ut diverſum ab eo, quod in animo volvo, exprimat (1).

§. VI.

§. V. (1) Hic incipit Auctor deſerere ſana illa principia, quæ §§ 1. & 2 ſtabiliverat. Sedulò interim cavendæ ſunt hujusmodi exceptiones: quamvis enim non ſinguli jus habeant, noſtras de quacunque re cogita-

§. VI. Denique, quia ſæpe iſti ad quos loquimur ita ſunt diſpoſiti, ut ſi ſermone ſimplici & aperto rem ipſam perciperent, detrimento hoc ipſis futurum eſſet, nec nobis bonum, quem intendimus finem adſequi liceret: igitur, hiſce in caſibus licebit uti ficto coloratoque ſermone (1), & qui noſtram ſententiam & intentionem audientibus directè non repræſentet. Nam, qui alicui prodeſſe vult & debet, non utique id tenetur facere eo modo, quo finem ſuum non erat obtenturus.

§. VII. Ex hiſce colligitur, in quonam conſiſtat Veritas, cujus ſtudio boni viri tantopere commendantur: nempe, *Ut verba*

gitationes intelligendi; nemini tamen hoc jus non competit, *ne quis eum ſermone, aut aliis ſignis, quæ rectè cenſeri poſſunt conceptibus illi exprimendis adhibita, decipiat*; ea ſc. ſigna adhibendo: quæ judicat alterum meritò interpretaturum eſſe, ut deſtinata ad aliquid ipſi ſignificandum, quod non eſt verum, aut quod non ſaltem à loquente verum cenſetur; præſertim, cum hic, ut ſuprà dictum, tacitâ conventione ſe obſtrinxerit, ad ſigna quibus utitur, juxta rationabilem iſtam interpretationem ſuis cogitationibus conſona præſtanda.

§. VI. (1) Et tali quidem fermè dixeram Auctorem hic uti: ſi interim intelligat, ſermonem qui, ſecundùm interpretationem maximè rationabilem, ſignificat aliquid à loquentis ſententia alienum; hùc applicanda eſt notiſſima & juſtiſſima Regula. *Non eſſe facienda mala ut eveniant bona*: præſertim, cum univerſale illud damnum, quod ex debilitata inter homines fide, hoc eſt, laxato communi Humanæ Societatis vinculo, oritur, nullo privato emolumento penſari poſſit.

ba animi noſtri ſenſa commodè repræſentent alteri, cui eadem intelligendi jus (1), *quæque ut ipſi aperiamus, nobis obligatio perfecta aut imperfecta incumbit; idque eo fine, ut vel idem ex intellectis animi noſtri ſenſis debitum aliquod commodum nanciſcatur, vel ne, ubi diverſum fuerit ſignificatum, damno præter meritum multetur.* Ex quo & hoc obiter patet, non ſemper mendacium admitti, quando, etiam datâ operâ, non dicitur, quod vel cum ipſa re, vel cum cogitatis noſtris (2), examuſſim congruit: adeòque *Veritatem* quaſi *logicam*, quæ in congruentia verborum cum rebus conſiſtit, cum *Veritate Morali* non per omnia coincidere (3).

§. VIII. Mendacium contrà eſt, *Ubi de induſtria Sermo aliam præ ſe fert ſententiam animi noſtri, quàm quæ reverà eſt;* (1) *cum tamen*

§. VII. (1) Confundit Auctor obligationem illam poſteriorem, de qua in §. 3. & quæ cum negotio veracitatis nihil habet commune, cum obligatione priore, de qua in §. 2. & in qua explenda conſiſtit veritas illa, cujus ſtudio boni viri commendantur; hoc eſt, in verbis ſuis, juxta eorum maximé rationabilem interpretationem, præſtandis veris, ſive ſenſis animi ſui conformibus: ut, ſive multa dicantur, ſive pauca, nihil ſaltem dicatur, quod, ſecundùm dictam interpretationem, in quam tacitè conventum intelligitur, eſt à ſententia loquentis alienum.

(2) Vide tres proximè ſuperiores obſervationes; ex quibus hæc doctrina eſt corrigenda.

(3) Reverà non coincidit: quia veritas moralis conſiſtit in congruentia verborum cum ſententia loquentis; ut ſæpius dictum.

§. VIII. (1) Recta erit definitio *Mendacii*, ſi verba

tamen hanc ipſam is ad quem ſermo dirigitur intelligendi jus haberet, nobisque obligatio incumberet efficiendi ut ille noſtram ſententiam utique intelligeret.

§. IX. Ex dictis igitur conſtat, mendacii notam haudquidquam contrahere, qui fictis ſermonibus fabulisque utuntur adverſus pueros (1) aut ſimiles, ad eorum meliorem informationem, quatenus nudæ veritatis non ſunt capaces. Et qui alii fictum ſermonem bono fine adhibent, quem plano adſequi non licebat; putà, ſi innocens protegendus, iratus placandus, mœſtus demulcendus, meticuloſo animus addendus, faſtidioſus ad medicamenta capienda movendus, pertinacia alicujus frangenda, aut malum propoſitum alterius intervertendum, aut ſi arcana reip. & conſilia, quæ intereſt aliorum notitiæ ſubtrahi, fictis rumoribus velut obvelanda, & aliorum importuna curioſitas ſit amolienda, aut ſi hoſti, (2) quem apertâ ratione lædere pote-

ba, *Cum tamen*, &c. uſque ad finem hujus §. rejiciantur. Confer *Obſ.* in §. 5. ſuprà.

§. IX. (1) In Pueris quidem erudiendis, ſæpe craſſis admodum metaphoris oportet uti: falſiloquii verò nusquam ferè pernicioſior eſt effectus, quàm hîc: inde enim plerumque evenit, ut pueri non modò veris documentis aſſueſcant diffidere, ſed & praviſſimam mentiendi conſuetudinem acquirant; quâ in re, Inſtitutorum ſuorum auctoritate & exemplo ſatis ſe munitos putant. De hoc verò, & reliquis caſibus hîc memoratis, vide quæ notavimus ad §. 6.

(2) Neque hic falſiloquii uſus eſt admittendus: hoſtem enim non eſſe fraudulentis promiſſis aut pactis deci-

poteramus, fabulis in ſtratagematis vicem illudamus.

§. X. Contrà, ſi aliquis utique tenebatur alteri ſenſa animi ſui liquidò ſignificare, culpam non effugit, ſi vel partem duntaxat veri dicat, aut *ambiguo ſermone* alteri illudat, aut *tacitam* quandam *Reſtrictionem*, à communi uſu abhorrentem, in mente reſervet.

decipiendum, agnoſcit ipſe Auctor, *Lib. II. Cap. XVI.* §. 5. in fine: atqui oſtendimus ſuprà, *Obſ.* in §. 2. tacitam quandam conventionem, de ſignis, pro ratione occaſionis & materiæ ſubjectæ, rectè uſurpandis, omnem ſermonis uſum comitari. Qui igitur hoſti aliquid feriò narrare præ ſe fert, dum ille huic viciſſim tanquam ſeriò narranti auſcultat, eo ipſo prædictam obligationem, non obſtante hoſtilitate, de novo quaſi contrahit; quam idcirco ſalvâ fide non poteſt violare. Falſæ autem narrationes cum ſtratagematibus iniquè admodum comparantur; cum de illis interveniſſe conventionem, non verò de his, ipſe Auctor, poſt *Grotium*, diſertè agnoſcat. Confer utrumque, locis ſuprà citatis, *Obſerv.* ad §. 1.

CAPUT XI.

De Officio Jurantium.

I. *Officium Jurantium, ex natura juriſjurandi.* II. *Ejus finis, firmamentum addere pactis & dictis.* III. *Per Deum quo ſenſu, quo ſenſu per res alias, juretur.* IV. *Jurandi formula jurantis religioni aptanda.* V. *Juramenti obligatio deliberatum animum poſcit.* VI. *Juſjurandum obligationem firmat, non parit.* VII. *Effectus juramenti circa juratam fidem.* VIII *Juſjurandum quandoque ſtrictè interpretandum.* IX. *Jurandum ſenſu illius qui juramentum defert.* X. *Diviſio juramentorum ab uſu duplici.*

PER

PER Jusjurandum, Sermoni noſtro, omnibusque actibus circa quos ſermo intervenit, inſigne accedere firmamentum judicatur. Eſt quippe illud, *Aſſertio religioſa, quâ divinæ miſericordiæ renunciamus, aut divinam pœnam in nos depoſcimus, niſi verum dicamus.* (1) Dum autem omniſcius & omnipotens teſtis, ſimul & vindex, invocatur; præſumptio veritatis ideò excitatur, quòd nemo temerè tam impius credatur, ut ita petulanter graviſſimam Numinis indignationem in ſe depoſcere ſit auſurus.

Inde officium jurantium hoc eſſe intelligitur, *Ut & ad jurandum cum reverentia accedant, & quod juratum eſt, religiosè obſervent.* (2)

§. II. *Finis* porrò & *Uſus Juramenti* in hoc maximè vertitur, ut homines ad enunciandum verum, aut ſervandum promiſſum pactumve, eò firmiùs adſtringantur, metu divini Numinis omniſcii & omnipotentis; cu-

O jus

§. I. (1) Aliis non malè definitur, *Actus religioſus, quo ad confirmandam rem dubiam, DEUS teſtis & vindex invocatur.* Nec tamen Auctoris definitionem reprehendimus; modò ſub phraſi *Veri dicendi*, includatur etiam præſtatio Promiſſorum. Fruſtrà objicit Cl. *Titius*, quòd Auctoris definitio conveniat etiam Perjurio: nullum enim eſt Perjurium, ubi non eſt Jusjurandum.

(2) Obſervent ſc.; tum, ut quod juratò aſſerunt, ſit verum; tum, ut quod ita promittunt, fideliter præſtent. Diſſimulari interim nequit, phraſin quâ hîc utitur Auctor, magis accommodatam eſſe juramentis promiſſoriis; ut ea quâ utitur in definitione, magis accommodatur aſſertoriis. De Jurejurando, vide *Grotium, de J. B. & P. Lib. II. Cap. XIII.*

jus vindictam, ſi ſcientes fallant, per jusjurandum in ſe invocant; ubi aliàs metus ab hominibus imminens non ſatis efficax videbatur; quippe quorum vires contemnere aut declinare, vel ſcientiam fallere, ſe poſſe ſperabant.

§. III. Quia verò præter Numen nihil eſt omniſcium, aut omnipotens, *inde abſurdè juramentum concipitur per rem aliquam, quæ opinione Divinitatis deſtituitur*, hoc ſenſu, ut ea res teſtis atque ultrix perjurii invocetur. Etſi hoc frequens ſit, ut in juramentis *certa res nominetur per quam juretur*, hoc ſenſu, ut Deus, ſi jurans fefellerit, vindictam ſuam in iſtam potiſſimùm rem exſerat, tanquam juranti cariſſimam, & maximi æſtimatam. (1)

§. IV. In juramentis, *formula* illa, quâ Deus, dum teſtis & vindex invocatur, deſcribitur, *accommodanda eſt ad perſuaſionem, ſeu religionem, quam circa DEUM fovet, qui jurat.* Fruſtrà quippe jurando quis adigitur, per

§. III. (1) Vel quandoque hoc ſenſu, ut Deus, iſtius rei, utut maximè neceſſariæ, benigno influxu jurantem privet, eamve etiam ei noxiam reddat. Priore, ab Auctore ſc. memorato, ſenſu, juratur, per ſuum *Caput*, per *Animum*, per *Liberos*, &c. poſteriore hôc, per *Cœlum*, *Solem*, *Terram*, &c. At in Juramentis ſeriis, & gravi de cauſa interpoſitis, ſatius eſt Dei nomen diſertè exprimi; levia verò & ſuperflua, etiam omiſſa illius Nominis mentio à profanitatis nota haud eximit: Atque hoc ipſum eſt, quod docere videtur Chriſtus Dominus, *Matth.V.* 34. *& ſeqq.* ut manifeſtius patebit conferenti *Cap. XXIII. XX. & ſeqq.*

per DEUM quem non credit, adeòque nec metuit. At nemo per DEUM jurare ſe putat alia ſub formula, aut alio ſub nomine, quàm quod ſuæ, i. e. ex opinione jurantis, veræ, religionis, præceptis continetur. Inde quoque eſt, quòd qui *per falſos Deos* jurat, quos ipſe tamen pro veris habet, utique obligetur, & , ſi fefellerit, reverà perjurium admittat. Quia, ſub quocunque ſpeciali conceptu, generalem Numinis notionem ante oculos habuit; adeòque, dum ſciens pejeravit, divinæ Majeſtatis reverentiam, quantum in ſe, violavit.

§. V. Ad juramenti obligationem requiritur, ut *Animo deliberato* (1) id ſuſceptum ſit. Unde juramento haudquidquam obſtrictus erit, qui ſimpliciter juramentum *recitando* protulerit, aut ejusdem verba concepta in prima perſona alteri præiverit. Aſt qui ſpeciem ſeriò juraturi præ ſe tulit, (2) is utique obligabitur, quidquid demum in animo ſuo, dum jurat, agitaverit. Nam aliàs, omnis uſus juramentorum, imo omnis ratio intervenientibus ſignis ſeſe obligandi, ex humana vita tolleretur, ſi quis tacitâ ſuâ intentione poſſet impedire, ne effectus ille

§. V. (1) Hoc eſt, animo jurandi, ut explicant ſequentia: non ut de ſe profitetur *Cydippe* apud *Ovidium,*

Non ego juravi, legi jurantia verba.

(2) Id eſt, qui iſtis ſignis uſus eſt, quæ expectavit alterum meritò interpretaturum eſſe, ut indicia voluntatis jurandi.

actum aliquem ſequatur, cui producendo idem eſt inſtitutus.

§. VI. Juramenta in ſe non producunt novam & peculiarem obligationem (1); ſed obligationi in ſe validæ, velut acceſſorium quoddam vinculum, ſuperveniunt. Semper enim, dum juramus, ſupponimus aliquid, quo non præſtito divinam pœnam in nos provocamus. Quod ineptum eſſet, niſi illicitum foret non præſtare id quod ſupponitur; adeòque, niſi jam antea obligaremur.

Ex quo ſequitur, quòd actus, quibus in ſe vitium adhæret obligationem impediens, per juramentum accedens obligatorii non fiant. Sicuti, nec per ſubſequens juramentum antegreſſa obligatio valida eliditur, aut jus per eandem quæſitum alteri tollitur. Inde, fruſtrà quis juraverit, ſeſe alteri debitum non ſoluturum.

Nec obligabit Juramentum, ubi conſtat eum qui juravit factum aliquod ſuppoſuiſſe, (2) quod reverà ita ſe non habebat, ac niſi id

§. VI. (1) Non novam ſc. ratione materiæ: quæ antecedenter ad Jusjurandum eſt in obligatione; ſi non aliter, ſaltem intuitu Promiſſi, aut Aſſerti, quod naturæ ordine ad Jusjurandum ſupponitur. Quamvis enim uſu venire ſoleat, ut Aſſertio, vel Promiſſio, unà cum Jurejurando quo firmatur, ejusdem ſermonis tenore comprehendatur; minimè tamen confundi debet Jusjurandum, cum actu cui confirmando adhibetur; qui actus ſupponitur naturaliter producere obligationem in ſe validam, cui Jusjurandum, ut acceſſorium quoddam vinculum, ſupervenit.

(2) Adfer hùc temperamentum, quod notavimus in *Cap. IX.* §. 12. *Obſ.* 1.

id crediḋiſſet, non fuiſſe juraturum; inprimis, ubi per dolum ejus, cui juratur, in errorem fuerit adductus. Nec qui injuſto metu (3) me ad jurandum adigit, ex eo juramento jus ſibi adquirit ad aliquid à me rectè poſtulandum. Nullas quoque habebit vires Jusjurandum ſuper præſtandâ re quâpiam illicitâ; (4) imo & ſuper omittendo aliquo bono, quod legibus divinis aut humanis præcipitur.

Denique, Juramentum non immutat naturam & ſubſtantiam promiſſi pactive, cui accedit. Inde, fruſtrà jurantur impoſſibilia. Et Promiſſio conditionata, per Juramentum non mutatur in abſolutam, ſeu puram. Et æquè in Jurato Promiſſo requiritur Acceptatio. (5)

 §. VII.

(3) Diximus ſuprà, *Obſ.* in *Cap. IX.* §. 15. injuſtam violentiam, quâ Promiſſum aliquod fuit extortum, non impedire, quo minùs Promiſſor, ſi res promiſſa licitè præſtari poſſit, in conſcientia teneatur ad præſtandum. Nec ſatis apparet, ſi res aliter ſe haberet, quâ fide quis poſſet, promiſſo aliquo oneroſo majus malum ab altero injuſtè ſibi intentatum redimere: tale certè Promiſſum Jurisjurandi ſpecie ſancire velle, ſi etiam ita ſancitum putaretur fore adhuc invalidum, horridè eſſet impium. *Grotius* quidem contendit, Promiſſum metu injuſto extortum, per ſe eſſe invalidum, ſed accedente Jurejurando vires acquirere; additâ ratione minùs idoneâ, & quæ ab Auctore noſtro refellitur, de *J. N. & G. Lib. IV. Cap. II.* §. 8.

(4) Adfer hùc, quæ notavimus, *Obſ.* 2. in *Cap. IX.* §. 18.

(5) Denique, & juratum Promiſſum, æquè ac injuratum,

§. VII. Hoc autem efficiunt Juramenta, propter interpoſitam Dei invocationem, quem neque aſtu quis deceperit, & cui nemo impune illuſerit; ut non ſolùm *atrocior pœna* cenſeatur manere eum, qui juratam, quàm qui injuratam, fidem fefellit; ſed & ut à negotiis, quibus adjiciuntur, omnis dolus & *cavillatio* (1) ſit excludenda.

§. VIII. Non tamen ſemper latè, *ſed & ſtrictè quandoque* (1), juramenta ſunt interpretanda, ſiquidem ſubjecta materia id requirere videatur; putà, ſi juratum ſit in odium alterius, & non tam promiſſioni, quàm minis, juramentum ſit adjectum. Quin, nec juramentum excludit tacitas conditiones & limitationes, quæ ex ipſa rei natura ritè fluunt. Putà, ſi alicui quidquid velit petendi optionem juratò conceſſi, ubi iſte iniqua aut abſurda petierit, haudquidquam tenebor. Qui enim aliquid indefinitè alteri roganti promittit, antequam noverit quid

juratum, ab illo remitti poteſt, cui ex eo Jus eſt quæſitum. Quin & utriusque effectum tollit, tempeſtivè declarata, contraria voluntas ejus, quo invito, vel alter jure promittere, vel alter rem aut operam promiſſam jure accipere, non potuit.

§. VII. (1) Dolus ab omni genere ſermonis, ſive jurati, ſive injurati, excludi debet: interpretatio autem ludicra, ſive cavillatoria, in ſeriis negotiis, doli non eſt immunis: quòd igitur hæc abeſſe debeat, non eſt actibus jurejurando firmatis peculiare; ſed iis, cum omnibus quæ ſeriò aguntur negotiis, commune.

§. VIII. (1) Cavendum interim, ne, ſub ſpecie ſtrictæ interpretationis, obtrudatur cavillatio.

quid iſte ſit petiturus, præſupponit alterum petiturum honeſta, moraliter poſſibilia, non abſurda, non ſibi aut aliis pernicioſa.

§. IX. Id quoque notandum, in juramentis *ſenſum totius orationis valere, prout capere ſe illum profitetur is, qui juramentum defert* (1), ſeu cui juratur. Hujus enim præcipuè, non jurantis cauſâ, juramentum præſtatur. Unde ejusdem quoque eſt concipere verba juramenti; & quidem quantum fieri poteſt planiſſimè; ſic ut ipſe ſignificet, quomodo illa intelligat, & jurans annuat, ſe iſtius ſenſum probè percipere: eaque mox ab hoc liquidò ſunt exprimenda, ſic ut nullâ ratione eadem cavillari & eludere queat.

§. X. *Diviſio Juramentorum* commodè deſumitur *ab uſu*, cui illa in vita communi adhibentur. Quædam enim Promiſſis Pactisque adduntur, ut eo majore cum religione obſerventur. Quædam autem adhibentur ad confirmandam alicujus aſſertionem circa factum illiquidum, & ubi veritas aliis rationibus commodiùs inveſtigari nequit. Quale exigitur à *Teſtibus*, ſive qui alieni facti conſcii habentur. Quandoque etiam

O 4 ipſi,

§. IX. (1) Quòd ſi verò juraturus ſenſum ſuum exponat ei qui ſuo nomine juramentum defert, neque hic contradicat; videtur & ipſe in eundem ſenſum conſentire: non tamen hunc habet effectum ſimilis profeſſio facta coram Delegatis, qui alieno nomine juramentum deferunt, ejusque ſenſum neque mutandi neque interpretandi jus habent.

ipſi, qui inter ſe diſceptant, deferente Judice, aut alterâ parte (1), ſuo juramento litem ſolvunt.

§. X. (1) Quod à Judice defertur, *neceſſarium;* quod ab altera parte, ſi coram Judice id approbante deferatur, *judiciale*, aliàs *voluntarium*, dicitur. Jusjurandum porrò neceſſarium, ſi deferatur ad probationem ſemiplenam perficiendam, *ſuppletorium*; ſi ad eam refellendam, *purgatorium*, appellatur: Hæc omnia regulariter, in Civilibus, non in Criminalibus, locum habent.

Caput XII.

De Officio circa Adquirendum Rerum Dominium.

I. *Permiſſum homini rebus uti, easque uſu deſtruere.* II. *Res primùm in medio poſita, qui nacta Dominum?* III. *Dominium quid? & quas patiatur reſtrictiones?* IV. *Res nonnullæ ex natura ſua relinquendæ communes.* V. *Modi adquirendi Dominii, originarii & derivativi.* VI. *Illa eſt occupatio; quæ, & ad quas res ſe extendat?* VII. *Acceſſionum idem qui rei dominus eſt.* VIII. *Dominio detrahentes ſervitutum ſpecies.* IX. *Modus adquirendi derivativus, varius.* X. *Mortis cauſâ, vel per ſucceſſionem ab inteſtato;* XI. *In qua, quo ordine hæredes ſuccedant;* XII. *Vel per teſtamentum, Dominium tranſit:* XIII. *Inter vivos verò donatione vel contractu.* XIV. *Invito Domino, res quandoque transferuntur.* XV. *Uſucapio, quæ? quæque ejus introductæ ratio.*

CUM ea ſit conditio corporis humani, ut adſumptis extrinſecùs rebus indigeat, queis nutriatur, & contra ea quæ ipſius compagem deſtructum eunt muniatur;

niatur ; per complures quoque res, iſthæc vita commodior & mollior reddi poſſit : inde tutò colligitur (1), volente utique ſummo univerſi Moderatore fieri, quòd homo alias creaturas ad uſus ſuos adhibeat ; quin ut etiam multas earundem deſtruat. Neque id ſolùm obtinet circa *Vegetabilia*, & quæ citra ſenſum corrumpuntur : ſed & circa innoxia *Animalia* (2), quæ, utut cum dolore morian-

O 5

§. (1) Quippe, nec fruſtrà DEUS Homini vitam indulſiſſe eſt cenſendus, quæ ſine rebus extrinſecùs adſumptis conſervari nequit ; nec fruſtrà iſtas res condidiſſe, quarum nullus alius, Divinâ Sapientiâ æquè dignus, excogitari poteſt uſus ; imo, quarum eæ ferè quæ per ſe ad uſum ſunt idoneæ, non ita applicatæ, brevi inutiliter perirent.

(2) Bruta animantia non eſſe res ratione præditas (vide ſuprà, *Suppl. II.* §. 3.) nec iis cum Hominibus ullam Juris communionem intercedere, nec denique ullam Societatem cum iis colendam à DEO Hominibus imperari, vel hinc ſatis conſtat ; quòd etiamſi plurimæ ſint res, Brutorum juxta atque Hominum diſtinctis uſibus inſervire aptæ ; plurimi etiam modi, quibus Homines à Brutis utilitatem quærere, vel noxam pati, atque eadem vice verſâ vel conſervare poſſunt, vel deſtruere ; nullam tamen natura viam conceſſerit, cum iſtis Animantibus aliquam converſationem, ſeu conceptuum communicationem, inſtituendi, cujus beneficio Homines cum Brutis, ſicut cum aliis Hominibus, de rebus & operis invicem communicandis, aut ſaltem de ſe mutuò non lædendis, convenire poſſint : cui fini procul omni dubio ab Auctore Naturæ fuiſſet conſultum, ſi is ab Humano Genere cum Brutorum Animantium familiis Societatem coli voluiſſet. Nullum igitur iſtis Animantibus jus competit, ſive in ſe, ſive in alias res ; quod univerſalem Humani Generis circa res externas faculta-

moriantur, citra peccatum tamen ab homine cibi cauſâ occiduntur & conſumuntur.

§. II. Cæterum, ab initio omnes iſtæ res intelliguntur, abs Deo *velut in medio Hominibus expoſitæ* (1), ita ut non magis ad hunc quàm

cultatem limitet; vel impediat, quo minùs Homines rebus externis utantur, ad eum modum, quo hæ iis univerſim ſumptis commoditatem ſuppeditare queant maximam.

§. II. (1) Res quidem externas per ipſam rerum naturam nulli uni præ alio eſſe tributas, eſt ſatis certum. Si igitur nulla ſupponatur expreſſa Dei donatio (cujus in quenquam hodie exiſtentem, immediatè vel mediatè, collatæ, nullum, quod novimus, veſtigium cernitur) non poteſt uni Homini, aut uni Humani Generis parti, præ alia, in ulla re externa peculiare jus competere, priusquam aliquo humano facto ſit quæſitum. Sed quibus Hominum factis ejusmodi Jura acquiri poſſint, non apud omnes æquè convenit. Nobis quidem hujus quæſtionis deciſio petenda videtur, à natura iſtius Communionis, cui res terreſtres in originario ſuo ſtatu ſubjectæ intelliguntur. Communio rerum, ſecundùm Auctorem noſtrum, de *J. N. & G. Lib. IV. Cap. IV.* alia eſt *Poſitiva*, alia *Negativa*. Communio poſitiva, nihil eſt aliud quàm *Dominium pluribus indiviſim competens in unam rem.* Communio Negativa, eſt *Status rerum in medio quibusvis expoſitarum.* Et prioris quidem communionis effectus eſt, quòd res communis, vel ſit communiter habenda, vel ex Sociorum commune jus habentium conſenſu, aut quandoque ex tertii arbitrio, pro rata parte dividenda: poſterioris verò, quòd quilibet eorum, quibus res in medio exponuntur, poſſit ex communi cumulo res quarum ipſi uſus eſt arripere, & ſuis uſibus applicare; ſi modò ita faciendo non impediat, quo minùs cæteris, rerum iis neceſſariarum neceſſarius uſus ſuppetat. Quippe, ſi communionis negativæ hic non eſſet

quàm ad alterum pertinerent. Ita tamen ut ſic circa eas diſponerent homines, prout

ut

eſſet effectus; hoc eſt, ſi rerum in communione negativa poſitarum ſeparatam poſſeſſionem, aut uſum, etiam in conſumptione ſitum, non poſſet quilibet eorum quibus res exponuntur, citra reliquorum conſenſum ſibi acquirere; nihil differret Communio *Negativa* à *Poſitiva*: neque enim alius poſſet eſſe effectus, omnium rerum in communione poſitiva Humano Generi à DEO conceſſarum, quàm quòd quæque res maneret ita communis, donec per univerſalem conventionem, vel alicujus propria fieret, vel occupaturo permitteretur. Fruſtrà excipit *Puffendorfius*, non poſſe iſtiusmodi commune jus vocari *Communionem poſitivam*; neque enim Dominium, neque Communionem poſitivam, poſſe intelligi, ubi non exiſtunt alii, adverſus quos iſta jura ſint valida. Nam contrà, *Primò*, poteſt, etiam aliis non exiſtentibus, exiſtere jus, quod validum eſſet adverſus alios, ſi exiſterent; unde nihil impedit, quo minùs unus Homo, etſi ſolus in mundo exiſteret, certarum rerum haberet Dominium. *Secundò*, Communio poſitiva eſt Jus integræ Societati competens, non tantùm adverſus extraneos, ne in re ad eos non pertinente partem ſibi aſſumant, ſed & adverſus ſingulos Socios, ne quis eorum ullam rei communis partem inconſultâ Societate, & multò minùs partem quæ ejus proportionem excedit, ut ſibi propriam vendicet: Atque hoc jus Humano Generi adverſus ſingulos homines in ſtatu primævo competere, manifeſtè ſupponit Auctoris doctrina. Concludimus igitur, ſi res ab initio Communioni poſitivæ fuerint ſubjectæ, non aliter quàm vi pactorum, qualia ab Auctore hìc deſcribuntur, potuiſſe ſeparata rerum Dominia introduci: ſi verò in Communione negativa omnibus expoſitæ fuerint, ſufficere ad Dominium acquirendum, rei ita expoſitæ occupationem animo ſibi habendi, abſque ullo pacto. Minùs itaque ſibi cohæret Cl. Auctor, dum Communionem

primæ-

ut conditio humani generis, & ratio pacis ac tranquillitatis, bonique ordinis in eodem conſer-

primævam negat fuiſſe poſitivam, ſimulque contendit ſeparata rerum Dominia absque pactis non potuiſſe ſtabiliri.

Utrùm verò, Communioni poſitivæ, an negativæ, res externæ ab initio ſubjectæ fuerint ex conditione Humani Generis, & rerum ejus uſibus conceſſarum, definiri oportet. Idem enim benignus Naturæ Auctor, qui Hominibus rebus externis utendi & fruendi facultatem permiſit, hujus quoque facultatis exercitium dirigere cenſendus eſt ad eum modum, quo iſtæ res univerſi Humani Generis incolumitati atque utilitati quam efficaciſſimè poſſint inſervire. Rerum autem terreſtrium Homini utilium, pleræque ejus ſunt indolis; ut hinc, nullum, vel certè maligniorem, ſui uſum, pluribus ſimul poſſint præbere; multæ etiam uſu conſumantur; illinc, Hominum labore perfici, aut humanis uſibus admoveri, & queant & indigeant. Tales res, ut inſerviant Hominibus ad uſum cui ſunt conceſſæ, ſpecialiter apprehendi, & propriis apprehendentis, vel aliorum quibus ab illo conceduntur, uſibus applicari, debent: atque hanc apprehenſionem comitari debet jus adverſus alios Homines validum: qui, ſi rem ita occupatam occupanti vellent eripere, aut quo minùs ille (aliis, quibus unà non ſufficeret, excluſis) propriis applicaret uſibus, impedire; eidem, non ſine injuria, laboris ejus fructum interverterent; ſimulque uſum, ad quem iſtiusmodi res à benigno Creatore ſunt Hominibus conceſſæ, quantum in ſe, evacuarent: Fruſtra enim quisquam rem in medio poſitam apprehenderet, & uſibus ſuis applicaret; ſi aliis pariter fas eſſet, rem ita apprehenſam eripere, & apprehendentis uſibus ſubtrahere. Neceſſe eſt igitur, hujusmodi rerum occupatio jus tribuat occupanti, eas in perpetuum, vel usque dum conſumptæ fuerint, uſibus ſuis applicandi, aliosque à promiſcuo earum uſu arcendi; de iis denique, in gratiam eorum quos maximè

conſervandi, videretur exigere. Inde cum adhuc intra paucos genus mortalium ſubſiſteret,

maximè vult, diſponendi: cumque his omnis Dominii effectus contineatur, manifeſtum eſt, in quibusdam ſaltem rebus, acquiſitionem Dominii, ſolius acquirentis actu conſtare; atque adeò non eſſe, ut contendit Auctor, ab univerſali Hominum conventione ſuſpendendam: Hoc eſt, res iſtas, ab initio, non poſitivæ, ſed negativæ Communioni, fuiſſe ſubjectas.

Atque hoc quidem ita ſe habere, conſtat, *Primò*, in iis rebus, quæ immediatum & præſentem ſui uſum Hominibus præſtant; ſive inſtantaneum, ut quæ ad victum, ſive continuatum, ut quæ ad veſtitum & habitationem, pertinent: hujuſcemodi ſc. rebus, niſi uſui noſtro appropriatis, rectè uti non poſſumus: & earum aliquas ſi quis jure poſſet nobis eripere; omnes etiam ſimiles poſſet eodem jure: Quo admiſſo, fruſtrà, ut diximus, earum uſus eſſet hominibus conceſſus.

Quinetiam, *Secundò*, cum Natura Hominem docuerit futurorum eſſe providum; idem jus videtur ſe extendere, ad iſta etiam apprehendenda, & conſervanda, quæ ad probabiliter futuros cujusque uſus pertinent; modò nullam quis naturalium Bonorum partem inutiliter apud ſe perire ſinat; nec aliis, quæ ipſorum uſus exigit acquirendi, occaſionem præcidat.

Sed, *Tertio*, neque hoc ad iſtas tantùm res pertinet, mobiles aut ſe moventes, quæ per ſuam ſubſtantiam hominibus immediatè ſunt uſui; ſed & ad eas, ſive mobiles, ſive immobiles, quæ vel fructibus, vel operis ſuis, humanis uſibus inſerviunt. In his etenim, ſicut eadem utilitatis ratio, à futuris uſibus petita, obtinet; ita, idem Juris fundamentum cernitur, in labore impenſo, rei priùs communi apprehendendæ, ſubigendæ, colendæ, aut uſibus humanis quocunque modo propiùs admovendæ; quo ipſo jus acquiritur, de re ita acquiſita diſponendi, atque alios à promiſcuo ejus uſu arcendi.

Quartò,

Digitized by Google

ret, placuit, (2) *Ut illa quidem cujuſque fierent, nec ab altero ipſi eripi deberent, quæ quis adprehendiſſet hâc intentione, ut eadem ad uſus ſuos adplicaret; ipſa tamen corpora, ex quibus illæ res provenirent, in medio ad neminem peculiariter ſpectantia manerent.* Sed poſtea, multiplicatis Hominibus, & cum cultura cœpiſſet adhiberi rebus, ex quibus homini alimenta & tegumenta proveniunt; ad evitandas rixas, & introducendo bono ordini, *ipſa* quoque *corpora rerum inter homines diviſa*, (3) & cuilibet

Quartò denique, cum ulterior laboris & diligentiæ gradus, qualem rebus terreſtribus excolendis certatim impendi Humanæ Societatis intereſt, aptus ſit ad majorem certi generis rerum copiam, quàm quæ propriis noſtris uſibus ſufficiat, procurandam; pro quibus tamen rebus, Contractuum interventu, alias res nobis utiles potuerimus acquirere; neque hujus laboris fructus intercipi nobis debet; modò citra doloſam & iniquam aliorum oppreſſionem exerceatur; quibus ſemper relinqui debet facultas, ea quæ ipſorum uſus poſtulat, æquis conditionibus comparandi.

Concludimus itaque, in omnibus dictis caſibus, rerum limitatum uſum habentium acquiri poſſe privatum Dominium, ſolo labore, iis apprehendendis, aut uſui præparandis, animo ſibi habendi, impenſo, vel impendi cæpto; idque aliorum hominum nec rogatis nec expectatis ſuffragiis. Sed qui hanc rem penitiùs diſcuſſam videre velit, legat Cl. *Lock. Tract. poſt. de Imperio*, *Cap. V*.

(2) Quod etiam ad harum rerum, quæ immediatum, imo quæ præſentem, Hominibus uſum præſtant, occupationem, prævium aliquod Hominum *Placitum* requirat Auctor, eſt à ratione quam maximè alienum: neque id ſomniâſſe videtur ipſe *Grotius*, *Lib. II. Cap. II.* §. 2. *n.* 1. licèt res immobiles occupandi jus à conventione deducat, *ibid. n.* 5.

(3) Patet ex dictis, huic diviſioni nullum fuiſſe

libet ſua portio propria aſſignata, hâc additâ conventione, *Ut quæ in prima rerum diviſione in medio forent relicta, deinceps ejus poſſent fieri, qui primus eadem ſibi aſſeruiſſet.* Sic igitur, volente Numine, prævio conſenſu Hominum, Pactoque (4) ſaltem tacito, *Proprietas rerum, ſive* DOMINIUM fuit introductum.

§. III. Eſt autem DOMINIUM, *Jus, quo alicujus rei velut ſubſtantia ita ad aliquem pertinet, ut eodem modo in ſolidum non pertineat ad alium.* Ex quo conſequitur, ut de rebus, quæ tanquam propriæ ad nos pertinent, pro arbitrio noſtro diſponere, & ab eorundem uſu quosvis alios arcere, poſſimus; niſi quatenus per pacta ſingulare jus à nobis ſibi quæſiverint. (1) Etſi in civitatibus contingere ſoleat, ut Dominium non ſemper penes quosvis ſit illibatum, ſed certis limitibus circumſcriptum per imperium civile, (2) aut ex diſpoſitione & conventione hominum inter ſe.

Quando autem res una ad plures indiviſim

locum, niſi in rebus à pluribus ante junctim occupatis; nec, ut reliqua occupantis propria fierent, ullâ conventione fuiſſe opus.

(4) Hæc corrige ex antedictis.

§. III. (1) Aut Dominium noſtrum per ſervitutes diminutum ad nos pervenerit: quod enim Auctor infrà obſervat, Dominium non ſemper penes quosvis eſſe illibatum, ſed certis limitibus quandoque circumſcriptum, ex diſpoſitione & conventione Hominum inter ſe, non tantùm in Civitatibus; ſed & in Libertate naturali, facilè poteſt contingere.

(2) Vide infrà, *Lib. II. Cap. XV.*

ſim eodem modo pertinet, illa iſtis pluribus vocatur *Communis.* (3)

§. IV. Sicuti autem res non ſimul & ſemel in proprietatem iverunt, ſed ſucceſſivè, & prout uſus humani generis poſtulare viſus eſt: ita non neceſſum fuit, ut omnes & ſingulæ res propriæ fierent, ſed ſalvâ pace generis humani, *aliquæ potuerunt*, *aliquæ debuerunt*, *intra primævam velut Communionem permanere.* Nam quæ, utilia licèt hominibus, *inexhauſta* tamen ſunt, ſic ut omnium uſibus (1) poſſint patere, nec tamen ſingulis uſus

(3) Communione ſc. poſitivâ, quæ eſt ſpecies Dominii, atque adeò novam occupationem præcludit: longè itaque diverſa eſt à communione negativa, ſive ſtatu rerum occupationi patentium. Quando igitur *Publicæ* res, & res *Univerſitatum*, negantur à Juris-conſultis Romanis eſſe *in Patrimonio*, vel eſſe *in Bonis alicujus;* non inficiantur his phraſibus, iſtas res eſſe in Dominio; hoc tantùm volunt, eas non eſſe in Dominio unius cujusquam Hominis: atque idem eſſe ſtatuendum, tum de quibusdam rerum, quæ Romanis dicuntur *Communes*, ut de littoribus, & maris partibus iis vicinis, tum de rebus *Sacris*, *Religioſis*, & *Sanctis*, quæ iisdem dicuntur eſſe *nullius;* rectè notavit Cl. *Titius*, *Obſerv.* in *Lauterbachium XXXV. & XXXVI.*

§. IV. (1) Intellige, *Sic*, *ut omnibus omnium uſibus poſſint patere*, &c. Præſertim, cum huic qualitati, individuo ferè nexu, adhæreat altera; quòd ſc. iſtæ res, nullo hominum labore excoli, aut uſibus humanis propiùs admoveri, queant; unde eædem res per ipſam naturam conſtituuntur, quaſi poſitivè communes univerſo Humano Generi; ut cæteræ res, etiam quæ ex cumulo poſitivè communi poſſunt hauriri [quo occurritur Cl. *Barbeyracii* Animadverſioni, *Annot.* 1. ad h.

uſus iſte reddatur malignior; ea dividere velle, ſupervacuum ſimul ac ineptum foret. Uti eſt *lumen calorque Solis*, *aer*, *aqua profluens*, (2) & ſi quæ ſunt ſimilia. Quò refertur etiam *vaſtus Oceanus* (3) magnis continentibus interjectus, quoad partes â littoribus remotiſſimas. Quippe, cum ille non ſolùm

P

ad h. §.] per naturam conſtituuntur negativè communes. Neque res ex alterutro horum ſtatuum, in quo ſunt naturâ conſtitutæ, per ullam Hominum Conventionem penitùs transferri poſſunt: quamvis enim in Juribus adventitiis, quæ à Majoribus ad poſteros transmittuntur, illorum renunciatio his facilè præjudicare queat; non tamen per ullum actum, utcunque univerſalem, Hominum nunc viventium, excludi poſſunt naſcituri, ab exercitio Jurium quæ ſingulis ipſa Natura tribuit; qualia ſunt, Jus communiter utendi rebus inexhauſti uſûs, & Jus cæterarum rerum quamlibet, ab aliis non priùs occupatam, ad uſus ſuos apprehendendi.

(2) Quod verò monet *Grotius*, *Lib. II. Cap. II.* §. 12. de flumine, illud, quatenus eſt flumen, ſive moles aquæ inter certos terminos contenta, poſſe eſſe proprium, licèt ſingulæ fluentes guttæ ſint communes; idem haud abſurdè dici poterit de aere, & de ipſa luce, quatenus intra certos terminos verſantur. Sed ut vaſtus Oceanus, in locis à littore remotioribus, ita vaſtior Atmoſphæra, cum radiis ſolaribus eam permeantibus, in partibus ſupra terræ ſuperficiem editioribus, eſt res procul dubio poſitivè communis. Cum tamen ſingularum aquæ guttarum, quatenus è communi cumulo à quovis hauriri, & hauriendo propriæ fieri, poſſunt, Communio non ſit poſitiva, ſed negativa; minùs accuratè ab Auctore noſtro, poſt Juriſconſultos Romanos, *Aqua profluens* rebus poſitivè communibus accenſetur.

(3) Vide *Grotium*, *Lib. II. Cap. II.* §. 3. præter ſingularem ejuſdem Librum, qui inſcribitur *Mare Liberum.*

lùm omnium uſibus promiſcuis ſufficientiſſimus, ſed & uni alicui populo ejus *cuſtodia moraliter ſit impoſſibilis.* Ubi enim aliqua res ita ſit comparata, ut nullo modo alii ab ejus uſu arceri queant, illam dividi, aut propriam cujuſpiam fieri, non ſupervacuum ſolùm eſt, ſed & inanibus litigiis materiam præbere aptum.

§. V. *Modi adquirendi Dominii ſunt*, vel *Originarii*, vel *Derivativi.* Per illos, ab initio in rem aliquam Proprietas introducitur. Per hos, Dominium jam conſtitutum ab uno in alterum tranſit. Priores modi iterum ſunt, vel *ſimpliciter tales*, quibus Dominium in *Corpus* alicujus rei adquiritur; vel *ſecundùm quid*, queis *incrementum* aliquod ad rem noſtram adjungitur.

§. VI. Poſt recepta inter Homines diviſa rerum dominia, ita inter Homines conventum; (1) ut quæcunque ſub primævam diviſionem non venerunt, ea cederent occupanti, i. e. ei qui primus eadem corporaliter adprehendiſſet, animo ſibi habendi. Sic ut hodie (2) originarius modus dominium in corpus alicujus rei adquirendi ſit ſola Occupatio.

Hoc igitur modo adquiruntur *Regiones deſertæ*, quas nullus unquam homo ſibi aſſeruit: quæ fiunt illius, qui primus eas ingreditur animo ſibi habendi, ita ut cultu-

ram

§. VI. (1) Vide ſuprà, *Obſ.* 1. in §. 2.
(2) Et ſemper: vide *Obſ.* ſuprà citatam.

ram eis adhibeat, & certos limites conſtituat, (3) quousque eas ſuas eſſe velit. Ubi autem cœtus multorum hominum junctim occupaverit partem quampiam terræ; uſitatiſſimum eſt, ut ſingulis ex eo cœtu aliqua portio adſignetur; quæ ſuperſunt, ad totum cœtum pertinere cenſeantur. (4)

Per occupationem quoque adquiruntur feræ beſtiæ, aves, piſces, in mari, fluminibus, aut lacubus verſantes; item, ſi quæ à mari in littus ſolent ejici; modò tamen per imperium civile (5) promiſcua ejusmodi

(3) Quòd ſi verò Terræ tractus, non excedens eum modum, qui occupantis uſibus inſervit, vel eorum quibus is tenetur proſpicere, aut quorum nomine occupat, naturalibus limitibus circumſcribatur; non opus eſt alios limites conſtituere: ſufficit enim, in hoc caſu, ingreſſus in locum cum declarata voluntate eum occupandi. Quinetiam, qui in ampliore aliquo Terræ tractu, adhuc vacuo, ſedem figere aggreditur, eo ipſo jus acquirit, ad modum uſibus ſuis neceſſarium limites ſuos tempeſtivè extendendi; ita ut in hôc, alterius, ſeriùs venientis, nimiâ & præcipiti diligentiâ impediri non debeat.

(4) Vide *Grotium*, *Lib. II. Cap. II.* §. 4. & adde (quod Auctori noſtro non erat hîc loci prætereundum) cum Terris, tanquam appendices, ad illarum commodiorem uſum pertinentes, occupari poſſe, non modò Lacus, earumve partes; ſed & flumina, vel eorum partes, terras noſtras interfluentes, vel præterfluentes; quin & ipſius Maris partes propiores, littora noſtra alluentes, quæque appendicis, ut dictum, reſpectu terrarum, proportionem non excedunt. Confer *Grotium*, *Lib. II. Cap. III.*

(5) Malim dixiſſet Auctor, *Modò pravia ipſius loci occupatio, iſtiusmodi rerum in eo loco acquiſitionem non antici-*

rerum captura non ſit interdicta, aut certo alicui aſſignata. Quas neceſſum eſt, ſi noſtræ de-

anticipaverit. Quiſquis enim Solum aliquod occupationis Jure acquiſivit, quamvis non ſtatim Dominus factus intelligatur omnium rerum (etiam nemini aliàs appropriatarum) quæ intra ejus Soli terminos exiſtunt, ſpeciatim iſtorum animalium quæ ſuâ ſponte aliò ſe poſſunt ſubducere; acquiſivit tamen jus impediendi, ſi velit, quo minùs alii in ſuo territorio res iſtas capiant, vel capiendo ſuas faciant. Hoc de Principe concedit Auctor, de *J. N. & G. Lib. IV. Cap. VI.* §. 7. Atqui Princeps, vel Populus, per occupationem amplæ Regionis, non aliud in eâ jus acquirit adverſus Exteros, quàm quod quilibet Homo, in ſtatu naturali, in anguſto quolibet fundo à ſe occupato acquireret. Populus igitur, qui per modum univerſitatis Regionem aliquam occupavit, dum per ſe, vel ſuum Rectorem, promiſcuam rerum mobilium, aut ſe moventium, capturam, intra ſuum Territorium permittit, vel interdicit; & dum, in poſteriore caſu, privatis civibus diſtinctos aſſignat fundos, vel cum jure certarum rerum in ſuo fundo apprehendendarum, vel ſine eo; utitur tantùm jure Domini. Quòd ſi verò privati fundorum Domini, eos originario jure teneant, nec à Populo vel Principe derivaverint; Summus Imperans, dum promiſcuam ejusmodi rerum in alieno ſolo capturam, in gratiam domini inhibet, vel irritam reddit; Dominorum naturale jus defendit: ſi verò ejusmodi capturam ſuſtineat, & rerum ita captarum vindicationem fundorum dominis deneget (ut apud Romanos fiebat) vel ſi certarum rerum capturam Fiſco vindicet; utitur Jure Imperii, quod ei ſinguli Cives adverſus ſe conceſſerant: Licentia itaque rerum mobilium in alieno ſolo occupandarum, magis tribuenda videtur Imperio Civili, & Legibus poſitivis, quàm ejus licentiæ prohibitio. Confer *Grotium*, de *J. B. & P. Lib. II. Cap. II.* §. 5. item, *Cap. III.* §. 5. Conſule etiam eundem, de mobilium occupatione tractantem, ejusdem Libri *Cap. VIII.* §§. 1. —— 7.

Digitized by Google

debent fieri, ut corporaliter adprehendamus, (6) & in noſtram poteſtatem redigamus.

Occupatione quoque adquiruntur res, in quibus Dominium, cui ante ſubjectæ fuerant, planè eſt extinctum. Putà, ſi quæ abjiciuntur

(6) Nec tamen manibus tantùm, ſed & quandoque idoneis inſtrumentis, apprehendi poſſunt res mobiles, Animalia inprimis: hæc ſc. ubi inſtrumentis à nobis poſitis, vel applicatis, eo in loco ubi nobis capiendi jus eſt, ita includuntur, aut figuntur, ut evadere non poſſint, naturaliter nobis acquiruntur. Quod idem cum *Grotio* (*d. Cap. VIII.* §. 2.) dicendum cenſemus, de animalibus, quæ terminis, licèt amplioribus, loci dominio noſtro ſubjecti, circumſcribuntur: ut, quæ ſunt in ſtagnis, vel ſilvis bene circumſeptis. Sed & res, quæ naturâ ſuâ, pro tempore ſaltem, ſe loco movere non poſſunt, quæque, ut magis perficiantur, in eodem loco aliquantiſper manere debent, apprehendi & acquiri poſſunt, licèt loco non moveantur; addito tamen permanente ſigno, ſpecialis curæ in eas impenſæ, & apprehendendi voluntatis, ne ab aliis deinceps occupentur. Quòd verò ſola declaratio voluntatis, rem quæ adhuc eſt nullius ſibi habendi, abſque ulla apprehenſione, vel immediata, vel mediata, ad Dominium acquirendum ſufficiat, Clariſſimis Viris, qui id paradoxum nuperis annis evulgârunt, largiri haudquaquam poſſumus. [Vide *Barbeyrac. in h.* §. *Annot.* 1.] Imo hæc doctrina, Principio *Lockiano* de origine Dominii, quod cæteroquin amplecti videtur Cl. Annotator, neutiquam convenit; cum nudâ voluntatis declaratione nullus rei communi labor impendatur. Quod verò addunt, de conſenſu aliorum, ſuo certam rem occupandi Juri, in gratiam certi alicujus Hominis, renunciantium, nullum, niſi adverſus ipſos renunciantes, effectum habere poteſt. Confer *Grotium. Lib. II. Cap. III.* § 15.

jiciuntur eâ intentione, ne ampliùs ea ſint noſtra; aut quæ ab initio inviti amittimus, ſed poſt pro derelictis habemus (7). Quo etiam pertinet *Theſaurus*, ſeu Pecunia cujus dominus ignoratur; qui inventori cedit, ubi per leges civiles aliter non eſt diſpoſitum (8).

§. VII. Cæterùm, plurimæ res quæ dominio ſubjectæ ſunt, non in eodem ſemper ſtatu perſiſtunt; ſed variis *Auctibus* ſuam *Subſtantiam dilatant*; quibusdam *extrinſeca incrementa* accedunt; aliæ *fructus* proferunt; multis per *formam* induſtriâ humanâ ſuperinductam pretium accreſcit. Quæ omnia vocabulo Accessionum comprehendi poſſunt; & in duas claſſes dividuntur: Quædam enim, citra factum hominis, ex ſola natura iſtarum rerum proveniunt: quædam facto & induſtriâ hominum, in ſolidum aut ex parte, procurantur. Circa quas iſta eſt re-

(7) Pro derelictis habere, ſi non alienata tacitè fateri, videmur ea, quæ, quando vendicandi occaſio ſuppetit, palam negligimus. Occaſio autem ei cenſetur ſuppetere, qui novit ubi, aut apud quem, res ſua ſit, aut quo pacto de ea poſſit certior fieri; nec ullo manifeſto terrore, aliâve obviâ cauſâ, impeditur, quò minùs rem ſuam repetat, ſuumve in eam jus afferat.

(8) De rerum mobilium in alieno ſolo occupatione, vide quæ ſuprà diximus, *Obſerv.* 5. Nec enim Theſaurus, ubi de eo qui condiderat nihil conſtat, videtur eſſe diverſi juris à rebus quas in eodem Solo Natura poſuerat. Confer *Grotium*, *Lib. II. Cap. III.* §. *ult.*

regula (1); ut, *Qui eſt Dominus rei, ad eundem quoque pertineant acceſſiones & quævis emolumenta; & qui ex ſua materia ſpeciem fecit, ejus ſpeciei ſit Dominus.*

P 4 §. VIII.

§. VII. (1) Hæc Regula diſtinctiùs forſan proponi poteſt, in hunc modum: *Omnes fructus, omnia incrementa, omnes meliorationes, quæ rei noſtræ ita accedunt, ut nullius alterius Hominis rem vel operam includant, nobis in ſolidum acquiruntur; niſi quatenus alter quiſpiam, ex contractu vel alio modo, jus aliquod quo noſtrum rei noſtræ Dominium limitatur ſibi quæſiverit.*

Difficilior verò eſt Quæſtio, nec Auctori prorſus intacta relinquenda; ſi duorum pluriumve res, ad novum aliquod compoſitum conſtituendum ita concurrerint, ut ab invicem diſcerni, aut certè absque diſpendio ſeparari, non poſſint; vel ſi ex unius Hominis materia, alterius arte & induſtriâ ſpecificatâ, nova res arte facta reſultaverit; quid in his caſibus, de rei ita compoſitæ, vel artefactæ, dominio ſit ſtatuendum? Qua de re, in genere, nihil æquitati naturali magis conſonum videtur pronunciari poſſe, quàm quod tradit *Grotius*, *Lib. II. Cap. VIII.* §. 8. & *ſeqq. Ubi plurium res, vel operæ, ad aliquod Totum concurrerunt; hoc Totum Jure naturali, iſtis pluribus communiter acquiri, ſecundùm proportionem rerum, vel operarum, quas ſinguli ad id contulerant.* Quod tamen ita intelligendum eſt, modò is, qui rem operamve ſuam alterius rei immiſcuit, bonâ fide, ſaltem citra dolum, & quidem ſibi acquirendi, non rem operamve ſuam transferendi, animo, id fecerit.

Quòd ſi verò, res communis, nec communiter poſſideri, nec dividi citra diſpendium, queat; cui præcipuè domino, in ſingulis variarum ſpecierum ſub hoc genere contentarum, cedere debeat; acriter inter veteres Juriſconſultos eſt diſputatum: ex quorum contentionibus quæ ſingulorum caſuum in Jure Juſti-

§. VIII. Frequenter tamen contingit, ut alii ex contractu, aut aliâ viâ, jus ſibi quæſiverint, ex re noſtra certum commodum percipiendi, aut etiam impediendi ne noſtrâ re omni modo utamur. Quæ Jura ſolent vocari (1) SERVITUTES. Ac dividuntur

ſtinianeo prodierunt determinationes, ſunt ſatis arbitrariæ, ſuique mutuo diſſimiles: earum verò omnium loco, non aliam hìc regulam Juris Naturalis ſimplicitas nobis commendat, quàm quæ ab Auctore noſtro adfertur, de *J. N. & G. Lib. IV. Cap. VII.* §. 10. Quod ſc. *Is, qui minore cum detrimento re jam communi carere poſſit, alteri vehementius indigenti cedere teneatur; & pro ſua parte Dominii in iſta re, æquam aliquam penſationem accipere.* Hìc autem, ſi cauſa ſit ſubobſcura, interponi debet, in ſtatu naturali, arbitrium boni Viri.

De eo verò, qui culpâ, vel dolo, rem operamve ſuam alienæ rei immiſcuit, eſt quæſtio ſatis intricata. In ea hoc ſaltem videtur certum; ſi mea res, alterius culpâ vel dolo mixta vel modificata, meis uſibus facta ſit inhabilis, integram ejus æſtimationem, re ipſâ illi relictâ, ab eodem mihi eſſe præſtandam. Ab altera parte, is ſaltem qui dolo malo rem meam ſpecificavit, ſuæve rei immiſcuit, nihil ſibi juris eo facto in re mea acquirit; nec ſuæ rei vel operæ æſtimationem à me poteſt repoſcere, ad ſummum, ultra id quo ego me factum puto locupletiorem, id eſt, quanti pluris rem mixtam vel modificatam æſtimo, quàm propriam rem meam priùs æſtimavi. Quòd ſi contrà minoris æſtimem quàm priùs; dum interim ſatius habeo, rem meam, utut mixtam vel modificatam, retinere, quàm pro alia ejusdem generis permutare; quanto mihi deterior eſt facta res mea, tantum doloſus attrectator mihi tenetur penſare. Vide Auctorem, de *J. N. & G. l. c.*

§. VIII. (1) Plenum rei Dominium, quale ex ſuprà recenſitis originariis acquirendi modis oritur, quate-

duntur in *Perſonales* (2), ubi utilitas ex re aliena ipſi perſonæ immediatè obvenit; & *Reales*, ubi ex re aliena, mediante re noſtrâ, utilitas capitur.

quatenus plures ac varios effectus aptum eſt producere plura, ut ita dicam, diſtincta jura in ſe complectitur: horum unum aut alterum, interveniente aliquo iſtorum actuum quibus ab homine ad hominem jura transferuntur, à complexu reliquorum (qui ſub dominii nomine adhuc venit) poteſt ſeparari, ita ut alii quàm rei domino competat. Hujuscemodi autem ſeparata jura, cum in ipſam adhuc rem terminentur, atque adeò contra quemvis rei poſſeſſorem ſint valida, ſunt omnino *Jura realia*; imo, tum demum in ſpecie iſto titulo appellari ſolent, cum à dominio, ut diximus, ſeparata, ſpecialibus ſuis nominibus, tum ab ipſo Dominio, tum inter ſe, diſtinguuntur. Hæc Jura porrò, quamvis immediatum ſuum objectum, ipſam ſc. rem, ſive apud Dominum ſive apud alium quemvis exiſtentia, eodem modo reſpiciant, atque adeò cum ipſo dominio naſci ac interire dici debeant; cum tamen, non niſi à dominio, ut dictum, ſeparata, ſpecialibus iſtis nominibus inſigniri ſoleant; ideò, tum demum naſci, ſeu conſtitui, vulgò dicuntur, cum à dominio ſeparantur, & tum aboleri, quando cum eodem rurſus conſolidantur: quo ſenſu, de Juribus hiſce realibus, collatis cum dominio, idem ferè dici poteſt, quod diximus ſuprà, *Obſ.* 1. *in Cap. IX.* §. 1, de Juribus perſonalibus, collatis cum naturali Libertate; eorum ſc. quà talium, tum conſtitutionem, tum abolitionem, in quadam translatione eſſe ſitam; eorundem translationem idcirco triplicem Scheſin admittere, &c.

Separata iſta Jura realia, quatuor à nonnullis recenſentur: [vide *Titii* in *Lauterbachium Obſerv. XXXII.*] 1. *Poſſeſſio*, ſive Jus quod legitimo poſſeſſori competit, adverſus alium quemvis non meliore titulo nitentem. 2. *Jus Hæreditarium*, quo nomine

Inter illas numerantur, *Uſusfructus*, *uſus*, *habitatio*, *operæ ſervorum* (3). Reales iterum dividuntur, in *Servitutes prædiorum urbanorum*, *&* *ruſticorum* (4) Illæ ſunt v. g. *Servitus oneris ferendi*, *luminum*, *ne luminibus officiatur*, *proſpectûs*, *ſtillicidii recipiendi*, *&c.* Hæ ſunt v. g. *Iter*, *actus*, *via*, *aquæductus*, *aquæ hauſtus*, *pecoris ad aquam appulſus*, *jus paſcendi*, &c. Quæ omnes ferè ex occaſione viciniæ introductæ ſunt.

§. IX.

mine hìc complectimur, non modò jus quod Hæredi proximo competit in jacentem Hæreditatem (hoc ſcil. quantum ad res corporales in Hæreditate contentas, parùm differt à Dominio) ſed præcipuè Jus Hæredum Subſtitutorum; quod apud Noſtrates, circa res Soli, ſæpe longiùs multò patet quàm apud Romanos. Confer quæ notavimus ſuprà, ad *Cap. IX.* §. 16. 3. *Pignus*, de quo infrà agitur, *Cap. XV.* §. 15. 4. *Servitus*, de qua hìc.

(2) Hæc diviſio inſtituitur, nec ratione *Objecti*; ſic enim omnes Servitutes, de quibus hìc eſt ſermo, ſunt Jura realia (ut in ſuperiore obſervatione dictum); nec ratione veri *Subjecti*; hujus enim intuitu omnia Jura ſunt perſonalia, h. e. ſolis perſonis conveniunt; ſed ratione *quaſi Subjecti*; quatenus ſc. Servitutes *Reales*, cum perſonæ non conveniant niſi mediante re, conſiderantur quaſi ad ipſam rem pertinentes.

(3) De Servitutibus perſonalibus, vide *Inſt. Lib. II. Tit. IV. & V.*

(4) Prædia urbana & ruſtica, non ſitu, ſed uſu, diſtinguuntur. De utriusque generis Servitutibus, vide *Inſt. Lib. II. Tit. III.* Eſt autem Servitus *Luminum*, Jus habendi feneſtram in alieno pariete ædibus noſtris contermino: quo ſatis patet ejus diſtinctio à Servitute *ne Luminibus officiatur*. Sed aliter alii explicant.

§. IX. Inter *modos acquirendi derivativos*, alii ſunt, quibus res devolvitur in alium ex *diſpoſitione Legis*; alii, quibus *facto prioris Domini* (1). Et quidem, ut vel *bonorum* alicujus *univerſitas*, vel certa eorundem *portio*, transferatur.

§. X. *Univerſitas* bonorum *Lege* (1) tranſit,

§. IX. (1) Hæc diſtinctio vix ſatis aptis vocabulis exprimitur: omnia enim jura, omnes obligationes, uno verbo, omnes qualitates morales, ex aliqua Lege, Naturali vel Poſitivâ, Divinâ vel Humanâ, deſcendunt: nullum itaque Dominium, vel exiſtit, vel transfertur, niſi per diſpoſitionem alicujus Legis. Ab altera parte, rarò aut nunquam Lex transfert Dominium, niſi ſuppoſito aliquo facto, vel omiſſione alicujus facti, prioris Domini. Senſus verò Auctoris eſt, Dominium quandoque transferri, per explicitam Domini voluntatem ejus ita transferendi; quandoque per diſpoſitionem Legis, citra explicitam ejusmodi voluntatem, ſuppoſito tamen aliquo alio facto, vel omiſſione, prioris Domini: quo ſenſu explicata hæc diſtinctio rectè ſe habet.

§§. X. XI. XII. XIII. XIV. Rectiùs poſt §. 9. hoc ordine procedes. Dominium tranſit, vel diſpoſitione prioris Domini, vel diſpoſitione Legis: atque illâ quidem, vel inter vivos, §. 13. vel in eventum mortis, §. 12. hâc pariter, vel in eventum mortis, §§. 10. 11. vel inter vivos, §. 14.

§. X. (1) Lege ſc. non tantùm poſitivâ, ſed &, eâ deficiente naturali. Hæc enim ipſa, in ſtatu naturali, inteſtati ſucceſſionem regulariter defert ad eos, quos, pro communi hominum affectu & officio, chariſſimos habuiſſe præſumitur. De ſucceſſione interim in ſtatu naturali, duo ſunt notanda. 1. Cum hic Lex poſitiva deficiat, non exiguam habendam eſſe rationem conſuetudinis, inprimis in eadem familia, modò ſatis innoteſcat, tum in vicinis familiis,

re-

ſit, *per mortem prioris Domini*, in SUCCESSIONIBUS AB INTESTATO. Cum enim & communi hominum inclinationi repugnet, & ad pacem generis humani minimè omnium conducat, bona, quæ quis tanto cum labore, dum viveret, quæſiviſſet, à Domini morte haberi pro derelictis, & cuivis occupanti patere; inde, ſuadente ratione, apud omnes populos receptum, ut, ſi quis de ſuis bonis ipſe nihil diſpoſuiſſet, ejus bona devolvantur ad eos, quos pro communi hominum affectu cariſſimos habere judicatur. Quales ſunt regulariter, *Qui ex nobis deſcendunt*, & juxta hos, alii *ſanguine nobis juncti*, pro gradu quisque propinquitatis, Et licèt aliquì homines dentur, qui, vel propter accepta beneficia, vel ob peculiarem affectum, alienos quosdam magis ament, quàm ſuos conſanguineos; tamen pacis interfuit, non conſiderato paucorum quorundam affectu, communem potiùs mortalium inclinationem ſequi, modumque ſuccedendi obſervare planiſſimum, & nullis impeditis diſceptationibus obnoxium: Quæ emerſuræ erant, ſi benefactores & amici, cum iis qui ſanguinis jure nituntur, poſſent concurrere. Et ſi quis omnino bene-

receptæ: hanc enim inteſtatus meritò præſumitur voluiſſe ſequi. 2. Pro Teſtamento naturaliter habendam eſſe, quamvis voluntatis defuncti de rerum ſuarum ſucceſſione declarationem, cujus ſufficiens fides aliis hominibus poteſt fieri, & quæ nullo idoneo indicio oſtenditur fuiſſe revocata.

nefactores aut amicos cognatis volebat præferre, debebat expreſſè ſuper ea re diſpoſuiſſe.

§. XI. Ex his conſequitur, proximos cuique *Hæredes* eſſe ſuos *Liberos*, quos & Natura parentibus alendos educandosque ſollicitè commendavit, & quibus quisque parentum cenſetur quàm lautiſſimè voluiſſe proſpicere, ac quæ ſibi ſuperſunt ipſis potiſſimùm relinquere. Per *Liberos* autem intelliguntur præcipuè, qui ex *legitimo matrimonio nati* ſunt. His enim & ipſa ratio, & decor vitæ civilis, & leges populorum cultiorum, *præ naturalibus* favent. Iſta tamen ita demum obtinent, niſi pater aliquem pro ſuo filio, ob ſufficientes rationes, noluerit agnoſcere, aut niſi ob atrociſſimam malitiam eundem abdicaverit (1). Sub *Liberis* etiam comprehenduntur ii, qui ſunt ulteriorum graduum; quos uti alere, ipſorum parentibus defunctis, avus tenetur; ita, ut & ipſi cum patruis & avunculis ad hæreditatem avi concurrant (2), æquiſſimum eſt; ne,

§. XI. (1) Vel etiam in mortis eventum exhæredaverit. Neque enim, Jure Naturali, eò minùs valet Exhæredatio, quòd nullus ſit hæres inſtitutus: ſed hoc in caſu, eodem modo defertur Succeſſio, ac ſi exhæredatus in vivis nunquam extitiſſet.

(2) In ſtirpes tamen, non in capita, facienda eſt in hoc caſu diviſio: eandemque regulam in omnibus, etiam collateralium, ſucceſſionibus obſervari, eſt æquiſſimum. De ſucceſſionibus autem ab Inteſtato, vidè *Grotium, Lib. II. Cap. VII.*

ne, ſuper calamitatem maturè defuncti patris, etiam avi hæreditate excludantur.

Ubi deſcendentes deſunt, par eſt ad *Parentes* defunctorum liberorum bona devolvi. Quibus liberi & parentes non ſunt ſuperſtites, iis *Fratres* ſuccedent. Ubi & hi deficiunt, hæres erit, prout quisque defunctum ſanguine propiùs contingit. Etſi ad lites evitandas, quæ heìc exoriri poſſunt frequentiſſimæ, ſimulque ut ea res ad uſum reip. probè attemperetur, in plerisque civitatibus ſuper ordine ſucceſſionis accuratè deprehenditur diſpoſitum. Et hunc ordinem ut ſequantur privati, tutiſſimum eſt, niſi graves cauſæ peculiariter diſponere ſubigant.

§. XII. *Facto domini prioris* (1), *univerſitas* rerum *mortis cauſâ* tranſit per TESTAMENTUM. Nam & illud in qualecunque ſolatium mortalitatis apud plerosque eſt receptum (2), ut quis vivus ſua bona transferre poſſet in eventum mortis, in eum quem maximè amaret. Cæterùm, cum antiquiſſimis temporibus uſitatum fuiſſe videatur, ut imminente jam fato, palam ſuos hæredes nuncuparent, & patrimonium de manu in manum ipſis traderent, poſtea, graves ob rationes, multis populis aliud teſtamenti

§. XII. (1) Simili quoque facto, tranſit quælibet particularis res, *Legati* nomine, ſive extiterit Teſtamentum, Hæredis Inſtitutionem continens, ſive non.

(2) Imo hoc in ipſa natura Dominii continetur; propter rationes ab Auctore adductas, initio §. 10.

ſtamenti genus magis arriſit : ut nempe quocunque tempore placeret, ultimam ſuam voluntatem vel palam ſignificare, vel literis tacitè conſignare, poſſent; quam mutare pro lubitu liceret, & ex qua hæredibus nuncupatis, aut ſcriptis, tunc demum jus naſceretur, quando teſtator exſpiraret. Atque tales ultimæ voluntates licèt meritò magnum habeant favorem; ita tamen temperandæ erunt (3), prout neceſſitudinum ratio, & utilitas civitatum, requirit. Quæ & inde legibus ſueverunt cavere, quomodo cuique teſtamenta ſint ordinanda. A quarum diſpoſitione qui diſceſſerit, queri non poteſt, ſuæ voluntatis non fuiſſe habitam rationem (4).

§. XIII.

(3) Ipſo Jure Naturali ita temperantur, ut ne Liberis immaturæ ætatis neceſſaria ſubtrahantur alimenta : ulteriores verò querelæ legibus civilibus ortum debent.

(4) Vix tamen ſalvâ conſcientiâ Hæres ab inteſtato teſtamentum imperfectum poteſt elidere, quo veram defuncti voluntatem novit exprimi : niſi quatenus aliquid iniqui in ſe contineat. De Teſtamentis porrò, vide *Grotium*, *d. Lib. II. Cap. VI.* §. *ult.*

Hìc denique notari debet, per defuncti voluntatem, ſeu expreſſam, ſeu tacitam, non tantùm Dominium transferri, ſed & alia Jura, tum realia, tum præcipuè perſonalia, quæ ad ipſius defuncti perſonam, aut vitam, non erant reſtricta. Neque obſtat, quòd ad aliquod tempus deſit acceptatio : voluntas enim defuncti, cum ab ipſo revocari nequeat, etiam poſt temporis intervallum rectè acceptatur.

§. XIII. *Inter vivos, facto prioris Domini,* (1) res tranſeunt, vel *gratis*, vel *interpoſito contractu.* Prioris generis translationes vocantur *Donationes.* De contractibus infrà erit agendum.

§. XIV. Quandoque etiam, *invito priore Domino*

§. XIII. (1) Hæc Translatio naturaliter fit, concurrente conſenſu dantis & accipientis (juxta doctrinam traditam, *Obſ.* 1. *in Cap. IX.* §. 1.) de re jam nunc transferenda. Neque ad hunc effectum Jure Naturali requiritur, vel actualis traditio (vide *Grotium*, *d. Cap. VI.* §§. 1. & 2.) vel prævius conſenſus obligatorius: qui tamen prævius conſenſus cum crebrò præire ſoleat; & cum ipſius rei traditio, in his caſibus, per Leges civiles ad Dominium actu transferendum requiratur; hinc exorta eſt Jurisconſultis multùm celebrata diſtinctio, *Tituli & Modi* acquirendi; quæ tamen, ut juxta Juris Naturalis ſimplicitatem facilè poſſunt coincidere, ita nec Jure civili ſemper reperiuntur diverſa; ut patet ſaltem in donatione extemporanea, quâ ſimul dandi voluntas ſignificatur, & res traditur. Diſtinctio verò, quam hìc ſubjungit Auctor, inter Dominii translationem *gratuitam*, & eam quæ fit *interpoſito contractu*, variè interpretanda eſt, prout iſtam translationem prævia transferendi obligatio antecedere ſupponitur, vel ſecùs: ſi enim nulla præcedat obligatio; tum *gratuita* dicitur translatio, quæ fit per actum ſolitarium, *id eſt*, qui nullius Juris ab altera parte reciprocam Translationem involvit; *non gratuita*, quæ fit per actum reciprocum, ſeu qui involvit ejusmodi translationem: Si verò aliqua Dominii transferendi obligatio præceſſerit; res dicitur nihilominùs *donari*, ſi iſta obligatio fundata fuerit in promiſſo dandi gratuito; quod ipſum promiſſum Jurisconſultis Romanis venit ſub nomine *Donationis*; (vide *Inſt. Lib. II. Tit. VII.* §. 2.) Titulo verò *oneroſo* res transferri dicitur, ſi obligatio fundata fuerit in alia quacunque cauſa; ſive ea fuerit contractus, ſive quaſi contractus, ſive delictum.

Domino res transferuntur, (1) & quidem in Civitatibus potiſſimùm per modum pœnæ, dum ob delicta damnatis, interdum omnia bona, interdum certa eorum portio, eripiuntur, & vel publico, vel læſo, adplicantur. Sic & in bello, invitis res per hoſtem viribus ſuperiorem eripiuntur, raptorique adquiruntur: ad quas tamen recuperandas pari vio-

§. XIV. (1) Invito priore Domino, per Legis etiam naturalis diſpoſitionem, ſed interveniente aliquo humano facto, rerum dominia (ut & quandoque alia Jura) transferuntur, ad expletionem Juris, acquirenti adverſus Dominum priùs competentis, quodque is ultrò explere detrectaverat; ſecundùm ea quæ ſuprà tradidimus ad *Cap. V.* §. 17. Eſtque hæc naturalis juſtitia, fundamentum, tum legitimæ iſtius executionis, quâ in civitatibus res Debitorum, ex quocunque titulo tales ſint, præeunte judicis ſententiâ, Creditoribus ad debiti ſolutionem adplicantur; tum etiam omnis ejus acquiſitionis bellicæ, quæ licita ac juſta haberi debet. Quinetiam, in Civitatibus res transferuntur ob delicta, per modum pœnæ; licèt minùs accuratè ſub hoc nomine apud Auctorem veniat privati Juris expletio; cujus intuitu, non tantùm ob delicta, ſed & ob debita contractu inita, damnatis, res eripiuntur, ſi ultrò non ſolvant. Acquiſitio autem bellica, quæ ab Auctore hìc deſcribitur, reſpicit illud *Dominium quoad effectus externos*, quod *Grotio* dicitur, *Lib. III. Cap. VI.* §. 2. de quo etiam aliquid dicetur infrà, ad *Lib. II. Cap. XVI.* §. 13.

Quod ad fructuum perceptorum acquiſitionem, ab Uſufructuario, vel Colono, factam; hæc, utcunque in ipſo *percipiendi* actu proximè fundetur, ſupponit tamen conſenſum Domini, vel aliquam aliam cauſam, quæ, ſecundùm traditam in poſteriore hujus Capitis parte doctrinam, ſit habilis, ad Jus fructus percipiendi à Domino ad Uſufructuarium vel Colonum transferendum: eſtque adeò revera acquiſitio derivativa.

lentia prior Dominus jus non amittit, quouſque per ſubſequentes pacis tractatus omni prætenſioni ad eaſdem renunciaverit.

§. XV. Peculiaris denique modus adquirendi eſt Usucapio: (1) per quam is, qui bonâ

§. XV. (1) *Uſucapionem* hic deſcribit Auctor, qualis apud Romanos obtinebat: quam ex Jure Civili ortam agnoſcit *Juſtinianus*, *Inſt. Lib. II. Tit. V.* §. *ult.* Illa interim rei, bonâ præſertim fide occupatæ, acquiſitio, quæ, poſt prioris Domini præſumptam derelictionem, ipſo Jure naturali valet, (de qua *Grotius*, *Lib. II. Cap. IV.*) Uſucapioni, vel Præſcriptioni, aliquid habet analogum. Nec ſanè ullam aliam in hoc jure ſatis fundatam Præſcriptionem novimus, quàm quæ tacitæ iſtius derelictionis, vel tacitè agnitæ alienationis, præſumptione nititur: quæ præſumptio, non modò omiſſam à Domino rei vindicationem, ſed & ei oblatam commodam ejus vindicandæ occaſionem, (qualem deſcripſimus ſuprà, *Obſ.* 7. in §. 6.) neceſſariò ſupponit. Talem quidem occaſionem adfuiſſe, ſola temporis diuturnitas per ſe haud ſatis infert: Nec tamen Poſſeſſori putem incumbere, ut poſitivis indiciis, idoneam vindicandi occaſionem Domino adfuiſſe, evincat: Dixerim potiùs, in hoc, ut in quibusdam aliis caſibus, inter eos qui in ſtatu invicem naturali degunt, confugiendum eſſe ad arbitrium boni viri; qui, temporis diuturnitate, & reliquis rerum & perſonarum circumſtantiis, ritè æſtimatis, definiat, utrùm prior Dominus (ſecundùm ea quæ citatâ modò obſervatione dicta ſunt) videatur rem ſuam dereliquiſſe, aut alienatam tacitè agnoviſſe, an non. Nullam certè aliam, in Libertate Naturali, litis inter Poſſeſſorem & priorem Dominum dirimendæ, normam agnoſcimus; quamvis in civitatibus, ad ancipitem adeò diſceptationem amoliendam, Criterii loco rectè ſtabiliri certum temporis ſpatium, nemo facilè inficietur. Addendum obiter, parum intereſſe, ubi poſſeſſor occupatione, eamque roborante prioris Domini

onâ fide juſtoque titulo rei alicujus poſſeſſionem nactus eſt, eamque diu quietam & on interruptam obtinuit, demum pro perecto domino ejus rei habetur, ita ut antiquum dominum, ſi poſtea rem eam vindicare velit, repellere queat. Cujus juris introducti ratio fuit, partim quòd pro relicta rem habere judicaretur, qui diu eandem vindicare neglexerit, cum longo tempore ad id occaſiones vix deeſſe judicentur: partim, quòd tranquillitatis & pacis intereſſet, aliquando poſſeſſiones rerum extra controverſiam collocari. Præſertim, cum longè gravius videatur, poſt diuturnam poſſeſſionem, re bonâ fide partâ privari, quàm olim amiſſâ, & cujus deſiderium dudum erat digeſtum, in perpetuum carere. Ut tamen in civitatibus certi termini, prout ratio & utilitas civitatis ſuggeſſerit, definiantur, intra quos uſucapio compleatur, tranquillitatis & pacis intereſt.

Domini derelictione, nititur, utrum occupatio priùs, an poſteriùs, facta ſit, quàm prior Dominus derelinquendi voluntatis ſufficientia dederit indicia: ſicut enim in hoc caſu, res derelicta, cum occuparetur, verè patebat occupationi; ita in illo, Domini voluntate cuivis, legitimè cæteroquin poſſidenti, videtur permiſſa. Confer *Grotium*, *d. Cap.* §. 11.

Caput XIII.

De Officiis, quæ ex Dominio Rerum per ſe reſultant.

I. *Officia ex Dominio: quisque re ſuâ frui permittatur.* II. *Res aliena noſtræ poteſtatis reddenda Domino.* III. *Conſumpta, quousque fecit locupletiorem.* IV. *Concluſiones de poſſeſſione bonæ fidei variæ.* V. *Res inventa quando retinere liceat?*

EX introducto rerum *Dominio* iſta *Officia* inter Homines provenerunt.

Primò: Ut quilibet teneatur alterum (non hoſtem) pati rebus suis quiete frui, neque vi aut per fraudem illas corrumpere, intervertere, aut ad se trahere, sustineat. (1) Quo ipſo furta, rapinæ, & ſimilia crimina, in res alienas tendentia, vetantur.

§. II. Secundò: Quando res aliena ad nos pervenit sine nostro crimine, et bona nostra fide, eamque adhuc in nostra potestate habe-

§. I. (1) Hæc eſt illa indefinita obligatio, quam ſuprà audivimus Juribus realibus, non minùs quàm naturalibus, ex adverſo reſpondere. Vide ſuprà, *Cap. VI.* §. 3. & *Obſ.* in *Cap. IX* §. 1. Obligationes verò magis definitæ, quæ *ſeqq.* §§. inculcantur, pariter atque Jura perſonalia quæ iis correſpondent, non ex ipſo Dominio immediatè fluunt, ſed ex actu rem alienam poſſidendi, lucrum ex ea capiendi, aut aliquo ſimili.

HABEMUS, TENEMUR EFFICERE, QUANTUM IN NOBIS EST, UT ILLA IN POTESTATEM LEGITIMI SUI DOMINI REDEAT. Non tamen tenemur illam rem reſtituere noſtris impenſis, & ſi quas in eam ſervandam fecimus, rectè poſſumus repetere, aut rem tantiſper, quoad illæ ſolvantur, retinere. Et ad reſtituendum tunc demum actu tenemur, quando innotuit nobis, illam rem eſſe alterius. Tunc enim debemus ſignificare, rem eam penes nos eſſe, nec per nos ſtare, quò minùs Dominus ſuum poſſit recipere. Quod tamen juſto titulo adquiſivimus, non tenemur ipſi in dubium revocare, & velut publicè denunciare, an quis eam rem ſibi velit vindicare. Atque iſthoc officium præponderat contractibus particularibus, iisque exceptionem dat. v. g. Si fur apud me inſcium furti rem furtivam depoſuerit, & poſt verus ejusdem Dominus adparuerit, huic, non furi, eadem erit reſtituenda.

§. III. Tertiò: QUOD SI AUTEM RES ALIENA, BONA FIDE PARTA, SIT CONSUMTA; OFFICII EST TANTUM RESTITUERE DOMINO, QUANTUM FACTI SUMUS LOCUPLETIORES: ne ex immerito alterius damno lucrum capiamus. (1)

Q 3 §. IV.

§. II. (1) *Eſt contra Naturam* (ait *Cicero* de Offic. *Lib. III. Cap. V.*) *detrahere alteri aliquid, & Hominem Hominis incommodo ſuum commodum augere.* Confer *Digeſt. Lib. L. Tit. XVII. l.* 206. Unde intelligi-

§. IV. Ex hiſce porrò ſequentes concluſiones deducuntur.

1. *Poſſeſſor bonæ fidei* (1) *non tenetur ad ullam reſtitutionem, ſi res periit;* quia nec res ipſa penes eum eſt, nec lucrum ex ea re.

2. *Bonæ fidei poſſeſſor tenetur ad reſtituendum non ſolùm rem, ſed & fructus adhuc exſtantes.* (2) Naturaliter enim ad quem pertinet res, ad eundem quoque fructus pertinent. Licebit tamen poſſeſſori detrahere omnes impenſas in rem ejusque culturam, quo fructus provenirent, factas.

3. *Bonæ fidei poſſeſſor tenetur ad reſtitutionem rei & fructuum conſumtorum; ſi modò aliàs tantundem conſumturus fuerat, & poſſit rei evictæ pretium*

telligimus, Reſtitutionem hoc nomine debitam nunquam excedere damnum quod Dominus eſt paſſus.

§. IV. (1) *Poſſeſſor* hic dicitur, non quisquis rem corporaliter detinet, ſed qui eam poſſidet ut *ſuam*, ſive, ut loquuntur, cum *affectu Domini:* unde & *bonâ fide poſſidere* dicitur, qui ſine dolo aut culpa, ſaltem lata, ita poſſidet; hoc eſt, qui putat, & quidem ob probabiles rationes, rem eſſe ſuam.

(2) Fructus intellige ipſius *Rei*, ut *Grotius* loquitur, ſive ex ipſa re phyſicè provenientes: in his enim ſolis locum habet ratio, quâ hæc determinatio nititur, quòd ſc. *Qui eſt Dominus rei, eo ipſo Dominus ſit fructuum rei:* ſed & hi, ſi non ex ſola alterius re, ipſius naturæ operatione, procedant; ſed Poſſeſſoris quoque rem includant, vel ejus operæ formam ſuam debeant; pertinent ad doctrinam ſuprà traditam, *Obſ. in Cap. XII.* §. 7. Ad fructus civiles quod attinet, hi, cum nondum ſint in dominio ejus, qui eſt Dominus ipſius rei, imputandi ſunt in id quo Poſſeſſor eſt locupletior factus.

pretium ab Auctore ſuo recuperare. (3) Nam in hoc factus eſt locupletior, dum rem alienam conſumendo ſuæ pepercit.

4. *Bonæ fidei poſſeſſor non tenetur penſare fructus quos neglexit.* Quia nec rem habet, nec quidquam rei ſucceſſit.

5. *Si bonæ fidei poſſeſſor rem alienam ſibi donatam alii donaverit, non tenetur; niſi omnino ex Officio aliquo tantundem donaturus fuerat.* Tunc enim lucrum erit rei ſuæ peperciſſe.

6. *Si bonæ fidei poſſeſſor rem alienam, oneroſo titulo partam, quocunque modo alienaverit, non tenetur, niſi quatenus ex ea lucrum* (4) *fecit.*

7. *Bonæ fidei poſſeſſor, etiam oneroſo partam titulo, rem alienam tenetur reſtituere, neque Dominum*

(3) Meritò hanc limitationem apponit Auctor, quamvis refragetur Cl. *Titius*; etſi enim pretium pro re datum, Domino à bonæ fidei poſſeſſore objici non poſſit, quo minùs ille, non ſoluto pretio, rem ſuam, ejusque fructus adhuc extantes, recuperet; cum horum ſit Dominus: rectè tamen pretium, cum quolibet lucro ex re facto compenſatur; cum nemo ex iſta re locupletior factus dici poſſit, ex qua non plus accepit quàm pro eâ dedit; niſi id quod dedit ab Auctore ſuo poſſit recuperare.

(4) Quod lucrum, ut patet ex concluſione tertia, noſtrâque in eam obſervatione, æſtimandum eſt, deducto pretio, quod pro re bonæ fidei Poſſeſſor dederat, ſi hoc ab Auctore ſuo recuperare nequeat, à pretio quod accepit; deductis etiam impenſis in rem conſervandam, aut fortè meliorandam, factis, niſi quatenus hæ rei uſu, aut fructibus ex ea perceptis, penſantur. Sed & operæ à bonæ fidei Poſſeſſore impenſæ rationem eſſe habendam putem; præſertim, ſi hâc operâ aliter locatâ, ut eam alioquin fortè locaſſet, fuiſſet aliunde quæſtum ſibi facturus.

minum id quod erogavit repoſcere poteſt, ſed illum duntaxat abs quo eam rem accepit. Niſi quatenus Dominus rei ſuæ poſſeſſionem recipere ſine aliquo impendio probabiliter non potuit, aut μήνυτρον ultrò pollicitus fuerit. (5)

§. V. *Qui rem alienam invenit, quam Domino invito excidiſſe probabile ſit, non poteſt eam colligere hoc animo, ut eandem Domino requirenti ſubtrahat. Ubi autem Dominus non adparet, rectè eandem ſibi retinere poteſt.*

(5) Excipe hic etiam, niſi Dominus ſuâ imprudentiâ, rei ab alio ſubducendæ, & bonâ fide ementi vendendæ, cauſam dederit: quamvis enim Domino, quo minùs ſuum recuperet, iſta imprudentia objici non debeat; omnino tamen hic tenetur, damnum ſuâ culpâ emptori datum penſare.

Cæterùm, de univerſa hac materia, vide *Grotium*, *Lib. II. Cap. X.* cujus doctrina (quæ eadem eſt Auctoris noſtri) ut hic explicata & temperata, videtur ſatis ſibi conſtare, & juſtum medium obtinere, inter oppoſitas utrinque ſententias Clariſſimorum Virorum, *Placetti* & *Barbeyracii*; utpote quorum ille Domino, hic bonæ fidei Poſſeſſori, plus æquo faveat. Bona quidem fides producit effectus ipſius Dominii; ſed non magis cauſæ ſuæ ſupervicturos in fructibus, quàm in ipſa re.

Caput XIV.

De Pretio.

I. *Pretii in transferendis rebus neceſſitas & uſus.* II. *Pretium vulgare in rebus, eminens in nummo.* III. *Illius quod fundamentum, & quæ ab eo excepta?* IV. *Intenſi vel remiſſi pretii non una cauſa.* V. *Rerum pretia definiuntur conventione, lege, uſu.* VI. *Pretium*

tium ex uſu fori ſuam habet latitudinem. VII. *Expediendis negotiis neceſſarius eſt nummus.* VIII. *Materia illi idonea, nobiliora metalla.* IX. *Nummi valor à quo, & quâ cautelâ, definiendus?*

POST introducta rerum dominia, cum nec omnes res ejuſdem eſſent naturæ, nec eundem uſum humanis neceſſitatibus præberent, nec cuivis iſta rerum copia adeſſet quam ad uſus ſuos deſideraret, maturè inter homines receptum, res invicem *permutare.* Sed quia ſæpiſſimè contingeret, ut res diſparis naturæ aut uſûs eſſent transferendæ; ne alteruter ejuſmodi permutatione læderetur, neceſſum erat conventione hominum rebus aſſignari aliquam *Quantitatem*, juxta quam res invicem comparari exæquarique poſſent. Quod itidem contingit circa actiones, quas in aliorum uſum non gratìs adplicare placuit. Ea quantitas nomine PRETII venire ſolet.

§. II. Dividitur Pretium in *vulgare* & *eminens.* Illud ſpectatur in *Rebus*, & *Actionibus*, ſeu operis, in commercium venientibus, quatenus uſum aliquem & delectationem hominibus afferunt. Hoc autem cernitur in *Nummo*, quatenus is omnium rerum & operarum pretium virtualiter continere, & communem iiſdem menſuram præbere, intelligitur.

§. III. *Vulgaris pretii fundamentum* in ſe eſt aptitudo (1) illa rei vel operæ, quâ aliquid

 media-

§. III. (1) Ad pretium quidem rei, primo loco ſup-

mediatè aut immediatè conferre poteſt ad vitæ humanæ neceſſitates, & ad eandem commodiorem aut jucundiorem reddendam. Unde & res nullum planè uſum præbentes, *nullius pretii* ſolemus vocare.

Dantur tamen res quædam, vitæ humanæ utiliſſimæ, quibus nullum certum pretium impoſitum intelligitur (2); vel 1. quia dominio ſunt & debent eſſe vacuæ; vel 2. quia ad permutationem ſunt ineptæ, & inde à commerciis ſepoſitæ; vel 3. quia in commerciis nunquam aliter quàm appendix alterius rei conſiderantur. Sed & 4. dum Lex divina, aut humana, quasdam actiones extra commercium removit, ſeu pro mercede obire vetuit, pretium quoque iisdem detraxiſſe intelligitur. Sic 1. quia *ſuperiores partes aeris, æther, ac cæleſtia corpora, vaſtusque oceanus*, à dominio humano ſunt exemta, nullum quoque pretium iisdem tribui poteſt. Sic 2. *liberi capitis* nullum eſt pretium,

ſupponitur *Aptitudo* illa, vel vera, vel imaginaria: non tamen eandem Pretii, atque iſtius Aptitudinis, eſſe rationem, ipſe Auctor infrà ſatis oſtendit. In genere hìc dici poteſt, Pretium rerum ex his duobus capitibus pendere, *Indigentia*, ſc. & *Acquirendi difficultate*. Indigentia porrò ex duobus æſtimatur, *numero* ſc. ambientium, & *aptitudine*, quam iſti rei vel operæ ineſſe putant, quâ ad vitæ humanæ uſum aut voluptatem aliquid conferre poſſit. Vide *Grotium, Lib. II. Cap. XII.* §. 14.

(2) Quatuor hìc rationes aſſignat Auctor non impoſiti rebus pretii, quibus poſtea eodem ordine totidem ſubjungit exempla: quæ correſpondentibus numeris notari curavimus.

tium, quia liberi homines in commercium non veniunt. Sic 3. *Apricum ſolis lumen, liquidus & purus aer, amœna facies terræ, quatenus oculos duntaxat paſcit, ventus, umbra*, & ſimilia, in ſe & ſeorſim conſiderata, pretium non habent; cum homines talibus ſine uſu terræ frui nequeant. Quibus ipſis tamen magnum momentum ineſt, circa augendum aut minuendum pretium regionum, fundorum, atque prædiorum. Sic 4. illicitum eſt pretio addicere actiones ſacras, quibus effectus aliquis moralis ex inſtituto divino eſt aſſignatus; quod crimen *Simoniam* vocant. Et improbè juſtitiam venalem habet judex.

§. IV. *Cauſæ* autem, cur *unius & ejusdem rei pretium intendatur*, vel *remittatur*, quodque adeò una res alteri præferatur, licèt hæc æqualem aut majorem uſum in vita humana videatur obtinere, ſunt variæ. Heìc enim usque adeò neceſſitas rei, aut nobilitas uſûs, primas ſemper non tenent, ut potiùs viliſſima eſſe cernamus, quibus vita humana minimè carere poteſt: ideo quòd, non ſine ſingulari Dei providentia, uberem eorum proventum natura profundat.

Ad *intenſionem* igitur pretii inprimis facit *Raritas* (1); quæ non parùm commendatur,

§. IV. (1) Quæ tamen, ut hunc effectum pariat, neceſſariò ſupponit aliquam aptitudinem ad uſum, veram, vel imaginariam: æquè ac Homines, quibus res ita apta videatur.

tur, ubi ex locis remotis res afferuntur. Inde ambitioſa hominum luxuria, multis rebus queis vita humana commodiſſimè carere poterat, enormia pretia poſuit; putà, *Unionibus*, & *Gemmis*. Rerum verò quotidiani uſus pretia potiſſimùm intenduntur, quando raritas earundem conjungitur cum neceſſitate ſeu indigentia. Pretia rerum artificialium, præter raritatem, maximè ſolent intendere ſubtilitas & elegantia artis (2), quam præ ſe ferunt: quandoque & fama artificis, nec non operis difficultas, artificum & operariorum raritas, & ſimilia.

Operarum & actionum pretia intendit earundem difficultas, dexteritas, utilitas, neceſſitas; agentium raritas, dignitas, libertas; & denique ipſa artis opinio, nobilis an ignobilis illa habeatur. Contraria horum pretium *minuere* ſolent.

Aliquando denique, certa aliqua res non in univerſum, ſed à ſingulis, magni æſtimatur, ex peculiari affectu; putà, quòd ille à quo iſta in nos profecta eſt, maximi à nobis fiat, exprimendoque ipſius affectui data ſit: aut quod eidem adſueverimus, aut quia inſignis caſus ſit monumentum, aut ejusdem ope magnum malum declinaverimus, aut quia à nobismetipſis confecta ſit. Quod ſolet vocari *Pretium Affectionis*.

§. V.

(2) Rectè notat Cl. *Titius*, fruſtra hæc, & ea quæ ſequuntur, opponi *Raritati*; cum potiùs ad raritatem, ſive acquirendi difficultatem, pertineant; niſi quod ex parte ſimul uſum connotent.

§. V. Aſt circa *definienda ſingularum rerum pretia*, alia quoque conſiderari ſueverunt.

Et inter eos quidem, qui in *naturali libertate* invicem vivunt, rerum ſingularium pretia non aliter quàm contrahentium conventione definiuntur. Quippe, cum illis liberum ſit alienare, aut adquirere, quæ velint; nec communem habeant dominum, qui eorum commercia moderetur.

Aſt in *Civitatibus*, duplici modo pretia rerum definiuntur; uno, per decretum ſuperioris, aut per legem: altero, per communem hominum æſtimationem atque judicium (1), ſeu uſum fori, accedente conſenſu eorum qui inter ſe contrahunt. Illud pretium aliqui ſolent vocare *legitimum*, hoc *vulgare* (2).

Ubi pretium *legitimum* in gratiam emtorum fuit conſtitutum, quod frequentiùs fit, non licebit venditoribus plus exigere; etſi minùs accipere, ſi velint, non prohibeantur. Sic, ubi merces operarum publice ſit taxata, in gratiam eorum qui conducunt, operario

§. V. (1) Hic modus definiendi pretia, non minùs in libertate naturali, quàm in ſtatu civili obtinet. Utrobique ſc. pretia rerum, ut ſingulorum contrahentium conventione immediatè ita, niſi in Civitatibus Lex impediat, uſu fori mediatè, determinantur.

(2) Pretium *vulgare*, quod hic dicitur, *Titio* rectiùs appellatur *pactitium*, ſeu *conventionale*; eò quod pretii *vulgaris* appellatio ab ipſo Auctore latiùs ſit accepta §. 2. ubi pretium *Vulgare* opponitur *Eminenti*.

rario non licet plus exigere, etſi idem non prohibeatur minùs accipere.

§. VI. Enimverò *vulgare* pretium, quod per leges non eſt taxatum, habet aliquam latitudinem, intra quam plus minusve dari & accipi poteſt ac ſolet, prout inter contrahentes fuit conventum. Quod tamen ferè ſequitur uſum fori; ubi 1. ſolet haberi ratio (1) *laborum* & *expenſarum*, quas *mercatores* communiter faciunt in mercibus adportandis & tractandis; nec non 2. quo modo ematur aut vendatur, in *magna quantitate*, an *minutatim*. 3. Subito quoque interdum mutatur commune pretium, ex *copia* aut *paucitate ementium*, *pecuniæ*, aut *mercium*. Nam paucitas ementium & pecuniæ, (ex peculiari cauſa emergens) & mercium abundantia, pretium minuit. Contrà, emturientium & pecuniæ copia, & mercium raritas; pretium intendit. Sic & 4. ad minuendum pretium facit, ſi *merx quærat emtorem*. Contrà, intenditur pretium, ubi *venditor ultrò rogatur*, aliàs non venditurus. 5. Denique, & illud ſolet attendi, *paratam* quis *pecuniam* offerat, an *in diem* ſolutionem differat; cum etiam dies ſit pars pretii.

§. VII. Cæterùm, poſtquam à primæva ſimplicitate mortales deſciverunt, & varia quæſtûs genera introduxerunt; facilè fuit deprehenſum, ſolum illud *vulgare pretium* non

§. VI. (1) Pleraque eorum quæ hic ſequuntur, commodiùs potuiſſent jungi cum dictis in §. 4.

non ſufficere expediendis hominum negotiis, & gliſcentibus commerciis. Nam tunc ſolâ permutatione commercia conſtabant, & operæ aliorum locari aliter, quam mutuâ operâ, aut re traditâ, non poterant. Atqui poſtquam tam varia deſiderare ad commoditatem aut voluptatem cœpimus, non ſanè in proclivi fuerat cuivis, ejusmodi res poſſidere, quas alter ſuis mutare vellet, aut quæ alterius rebus æquivalerent. Et in civitatibus cultis, ubi cives variis ſtatibus diſtinguuntur, complura hominum genera dari neceſſum eſt, quæ, ſi ſimplex illa rerum & operarum permutatio vigeat, vitam planè non tueri, aut ægrè, queant, Hinc plerisque gentibus, queis amplior vitæ cultus arridebat, viſum fuit conventione quâdam (1) *pretium eminens* certæ rei imponere, ad quod cæterarum rerum *pretia vulgaria* exigerentur, & in quo eadem virtualiter continerentur. Adeò ut interveniente illâ re, quamlibet rem venalem quis ſibi comparare, & quævis commercia & contractus commodè poſſit exercere.

§. VIII. Hunc ad finem plerisque gentibus placuit adhibere *Metalla* nobiliora, & non

§. VII. (1) Non eſt hoc ita intelligendum, aut certè non admittendum, quaſi generali quâdam Hominum conventione, pretium pecuniæ fuiſſet impoſitum: ſufficit enim hic (niſi quod in Civitatibus plerumque Lex civilis accedat) privatus conſenſus, priùs paucorum, deinde plurium, atque inde orta conſuetudo.

non admodùm frequentia. Nam & illa ſubſtantiæ ſunt valde compactæ, ſic ut uſu non facilè deteri queant, & diviſionem in plurimas minutas particulas admittant. Nec minùs cuſtodiæ & tractationi eadem ſunt habilia : & propter raritatem multis aliis rebus æquivalere poſſunt. Etſi quandoque ex neceſſitate, & apud quasdam gentes ex defectu metallorum, aliæ res in vicem nummorum ſint adhibitæ (1).

§. IX. In Civitatibus porrò, *valorem nummi definire*, eſt penes ſummos Imperantes, & inde publica ſigna eidem ſolent imprimi. Eſt tamen in eo definiendo reſpicienda communis gentium vicinarum, aut quibuscum nobis commercia exercentur, æſtimatio; aliàs enim, ſi nimis magnum nummis ſuis valorem poſuerit civitas, aut ſi materiam eorum ritè non temperaverit, commercia civium ſuorum cum extraneis, quæ quidem ſolâ rerum permutatione abſolvi non poſſunt, valde ſufflaminabit (1). Et ob eam ipſam cauſam, non temerè in valore nummorum fieri debet mutatio, niſi ſumma reip. neceſſitas id exigat. Etſi, gliſcente auri argentique copiâ, paulatim nummorum valor, in

§. VIII. (1) Sed quæ ferè res nummis, vel aliis rebus internum valorem habentibus, ſunt aliquando redimendæ : idque, ſi omnes Cives nummorum vice eas res cogantur accipere, publicâ fide caveri ſolet.

§. IX. (1) Contrà, ſi nimis pàrvum iis valorem poſuerit, Civitati nummis exhauriendæ præbebitur occaſio.

in comparatione ad pretium fundorum, & quæ inde dependent, ſoleat velut ultrò decreſcere.

Caput XV.

De Contractibus, qui pretia rerum præſupponunt, & fluentibus inde Officiis.

I. *Contractus rerum dominia & pretia ſupponunt.* II. *Sunt duplices, alii benefici, alii oneroſi.* III. *In oneroſis contractibus ſervanda æqualitas.* IV. *Erratum in ea, etiam citra culpam, corrigendum.* V. *Mandatum eſt contractus beneficus, & qualis?* VI. *Commodatum qualem gratuitum uſum notet?* VII. *Depoſiti natura, & officia circa illud.* VIII. *Contractuum oneroſorum primus, permutatio.* IX. *Emptio-venditio, eique adjici ſolita pacta.* X. *Locatio-conductio, & quæ in ea obſervanda.* XI. *Mutuum, tum gratuitum, tum etiam uſurarium.* XII. *Societas, ejusque jura & conditiones.* XIII. *Sponſio, ludus fortuitus, olla fortunæ, aſſecuratio.* XIV. *Fidejuſſio contractui adjecta in ſecuritatem;* XV. *Itemque pignus datum, & aſſignata Hypotheca.* XVI. *Contrahentium officia.*

PACTUM in genere, eſt *Conſenſus & conventio duorum pluriumve in idem placitum* (1). Sed quia frequenter *ſimplicia*

R

§. I. (1) De hac *Ulpiani* definitione ſatis diximus, *Obſ.* in *Cap. IX.* §. 1. ubi etiam monuimus, *Pacti* nomen plerumque ſtrictiùs uſurpari pro actu mutuo conſenſu conſtante, ab una ad minimum parte obligatorio. Notavimus etiam *Obſ.* in ejusdem Capitis §. 5. idem nomen ibi ſumi ſtrictiſſimè pro actu utrinque obligatorio; vel ſaltem, pro actu ab una ad minimum parte obligatorio, ab utraque aliquod

cia pacta, contractibus contradiſtinguuntur (2), id *diſcrimen* in hoc potiſſimùm videtur conſiſtere, quòd CONTRACTUS vocentur, Pacta quæ circa res & actiones in commercium venientes verſantur, adeòque dominia & pretia rerum præſupponunt. Sed quæ circa alia ineuntur conventiones, communi PACTORUM vocabulo inſigniuntur. Etſi ex hiſce quibusdam promiſcuè *Pactorum* & *Contractuum* nomen tribuatur.

§. II. *Contractus* dividi poſſunt, in *Beneficos,*

quod Jus transferente: Quo noviſſimè memorato ſenſu *Pacti* nomen accipiendum diximus, ut, in diviſione *Actûs mutui obligatorii Promiſſo gratuito* immediatè opponatur: eodemque ſenſu etiam hic commodiſſimè ſumitur.

(2) Tutò potuiſſet Auctor hanc diſtinctionem omittere; utpote quæ, prout à Juriſconſultis intelligitur, à ſuperflua Juris Romani ſubtilitate oritur, atque Artem (ut *Titius* loquitur) rabulariam apertè redolet. Et hoc quidem ſubolfaciens Auctor harum ſpecierum diſcrimen non explicat ſecundùm Placita Romanæ Jurisprudentiæ, ſed ratione magis naturali; quam tamen eòdem fermè redire videtur putare. Sed cum diſtinctio ab Auctore explicata nec in ſe magni ſit uſûs nec cum recepta apud Romanos Juriſconſultos iſtorum vocabulorum applicatione omni ex parte conveniat, (innumera enim poſſunt eſſe Pacta circa res aut actiones in commercium venientes, quæ juxta Romanorum Nomenclaturam non dicerentur *Contractus*, ut v. c. rerum permutatio ſolo conſenſu facta) ſatius videtur, *Pactorum nudorum* & *Contractuum* diſtinctionem, quæ, ita ſuadente æquitate, hodiernis plerarumque Gentium moribus eſt exploſa, in Jurisprudentia Naturali prorſus negligere.

cos, & *Oneroſos* (1). Illi alteri contrahentium parti gratìs commodum aliquod afferunt; uti eſt Mandatum, Commodatum, Depoſitum. Hi utramque partem ad æquale onus adſtringunt; quippe in quibus, eo fine præſtatur aut datur aliquid, ut tantundem recipiatur.

§. III. Habent autem hoc omnes *Contractus oneroſi*, ut in illis verſari *Æqualitas* debeat, ſeu ut uterque contrahentium tantundem nanciſcatur: & ubi inæqualitas intervenerit, alteri, qui minus accepit, naſcatur jus, ad poſtulandum ut ſuppleatur quod ſibi deeſt, aut ad contractum planè abrumpendum (1).

Id quod tamen in Civitatibus potiſſimùm obtinet, ubi uſu fori, aut lege, pretia rerum definiuntur.

Ad hanc autem æqualitatem inveniendam, & determinandam, requiritur, Ut UTRIQUE CONTRAHENTIUM RES IPSA CIRCA QUAM CONTRAHITUR, CUM SUIS QUALITA-

§. II. (1) Rectè Auctor (neglectis diſtinctionibus, Contractuum *Nominatorum* & *Innominatorum*, item illorum qui *Re*, qui *Verbis*, qui *Literis*, & qui ſolo *Conſenſu*, contrahuntur; quæ omnes Quisquiliæ, *Pactorum nudorum* & *Contractuum* ſublato diſcrimine, ſuâ ſponte corruunt) Contractuum differentiam in ipſa rerum natura fundatam exponit. Confer *Grotium, Lib. II. Cap. XII.* §§. 1 —— 13.

§. III. (1) Quomodo hæc disjunctiva determinatio ſit in diverſis caſibus applicanda, vide *Obſerv. ult.* in *Cap. IX.* §. 12.

LITATIBUS QUÆ ALIQUOD MOMENTUM HIC HABENT, SINT COGNITÆ. Unde & qui per contractum rem in alterum eſt translaturus, indicare debet non ſolùm qualitates rei æſtimabiles, ſed & earundem privationes & vitia. Citra hoc enim juſtum pretium conſtitui nequit. Etſi illas circumſtantias, quæ per ſe rem non contingunt, indicare non ſit neceſſum. Vitia autem utrinque jam nota non opus eſt indicari. Et qui ſciens vitioſi quid comparat, habet quod ſibi imputet.

§. IV. Eousque autem in hiſce Contractibus Æqualitas eſt adhibenda, ut licet nihil diſſimulatum ſit; tamen, SI POSTEA INÆQUALITAS DEPREHENDATUR, ETIAM CITRA CULPAM CONTRAHENTIUM, PUTA QUIA VITIUM LATEBAT, AUT IN PRETIO EST ERRATUM, EA CORRIGENDA SIT (1), & demendum ei qui plus habet, addendumque minus habenti. Etſi, ad declinandam multitudinem litium, Leges civiles vix aliis quàm enormibus læſionibus heìc medeantur (2); de cætero quemque rerum ſuarum ſatagere jubeant.

§. V. CONTRACTUS BENEFICI ſunt præcipuè tres, *Mandatum*, *Commodatum*, & *Depoſitum*.

MAN-

§. IV. (1) Quomodo fieri debeat hæc correctio, vide locum in ſuperiore obſervatione citatum.

(2) Sic Leges civiles Romanorum venditionem reſcindebant, ubi alter contrahentium læſus fuit ultra dimidium juſti pretii.

Mandatum eſt, *quando quis gratìs alterius negotia ipſo requirente & committente expedienda ſuſcipit.* Idque contingit duplici ratione; vel ut præſcribatur ipſi modus rei expediendæ; vel ut is ejusdem judicio ac dexteritati relinquatur.

In hoc contractu, uti ſumma cum fide & induſtria (1) verſandum eſt; quippe, cum nemo ferè niſi amico, & de quo optimè ſentit, mandet: ita contrà, mandatarius indemnis præſtari debet à ſumtibus in rem ſibi commiſſam factis; nec non à damnis, in quæ ex cauſa mandati incidit, & quæ propriè ex ipſa re mandata (2) profluxerunt.

§. VI. Commodatum (1) eſt, *quo rei noſtræ uſum alicui gratìs concedimus.*

 In

§ V. (1) Ita tamen, ut obligationi perfectæ non defuiſſe Mandatarius ſit cenſendus, ſi conſtet, eum non minorem mandato exſequendo adhibuiſſe diligentiam, quam ſimilibus ſuis negotiis (ſuppoſitis, quales hic à mandatore definiebantur, limitibus) ſolet adhibere; modò ulteriorem non ſit pollicitus, neve ultrò ſe obtulerit, cum aptiorum eſſet copia.

(2) Vel etiam occaſione mandati contigerunt; ſed citra culpam ipſius Mandatarii, ſeu in ſuſcipiendo, ſeu in exequendo; & citra ullum ejus factum, quod ad alium finem, cum mandato neutiquam connexum, collineabat: Hoc eâdem ratione nititur, quâ determinatio Auctoris §. ſeq. de damno fortuito in commodato.

§. VI. (1) Utrùm ipſa demum rei commodatæ traditione, an verò ejus ita tradendæ promiſſo, accedente utrobique ejusdem illæſæ reſtituendæ obligatione, *Commodatum* contrahi dicendum ſit; atque adeò, utrùm *Commodatum* ſit Contractus *Realis*, an

In quo obſervandum; 1. ut quis eandem rem ſollicitè, & ſumma cum diligentia, ſervet, tractetque; 2. neque ipſam ad alios uſus adhibeat, aut ulteriùs, quam commodans conceſſit: 3. ac illæſam, & prout accepta fuit, reſtituat, niſi quantum per ordinarium uſum eidem deceſſit. 4. Quòd ſi res ad certum tempus fuerit conceſſa, & interea dominus eâdem valde indigere incipiat, ex caſu aliquo, tempore commodationis factæ non prævifo, repetenti eadem citra tergiverſationem erit reſtituenda (2) 5. Quòd

an *Conſenſualis*; pro varia illius nominis definitione, eſt variè ſtatuendum: idem de cæteris contractibus, qui apud Juriſconſultos *Reales* audiunt, intelligi volumus. Certum interim eſt, Jure naturali, nudum conſenſum, etiam ante traditionem, non tantùm in Commodato, ſed & in Depoſito & Mutuo, ſatis efficaciter ad primam præſtationem ſtringere eum qui beneficium eſt daturus; Commodantem ſc. & Mutuo dantem, ad rem tradendum; Depoſitarium ad accipiendum; licèt ad ſecuturas præſtationes nullam producat obligationem, niſi eo caſu, quo alter beneficio promiſſo uſus fuerit; hoc eſt, Commodatarius, vel Mutuans, rem acceperit, aut Deponens tradiderit. Supponimus hìc, contractus iniri propriè *beneficos*; cujus generis regulariter eſt Mutuum gratuitum, licèt *Mutuum* ab Auctore indiſcriminatim ad *Oneroſorum* claſſem referatur. Contrà enim, ſi utriusque partis utilitas ab initio reſpiciatur; ut, ſi in Mutuo de uſuris ſolvendis conveniat; vel ſi ut quandoque fit, negotium ſit mixtum, ex Commodato & Depoſito, vel ex Mutuo & Depoſito irregulari; poterit uterque contrahentium nudo conſenſu abſolutè obligari.

(2) At ſi Commodatarii multò magis interſit, ut res

5. Quòd ſi autem res commodata caſu fortuito & improviſo, citra omnem commodatarii culpam, perierit; ejus æſtimatio non erit ſolvenda, ubi eadem apud dominum quoque peritura fuerat. Aliàs æquum videtur (3) commodatarium æſtimationem rei præſtare; quippe quam dominus amiſſurus non fuerat, ni adverſus alterum benignus fuiſſet.

Vice verſâ, ſi quid utilium (4) aut ne-

R 4 neceſſa-

res aliquantiſper apud eum maneat, quàm Commodantis, ut ſtatim reſtituatur, putaverim eam à Commodatario rectè retineri, ſed ita ut Commodantis damnum penſet. Confer *ſequentem Obſervationem.*

(3) Æquius ſanè hoc videtur, quàm ut omne rei commodatæ ex caſu merè fortuito periculum (ut volunt Leges civiles *Inſt. Lib. III. Tit. XV.* §. 2.) ad Dominum pertineat: neque enim temerè præſumendus eſt Dominus, benignitatem ſuam, ultra id quod contractùs natura exigit, ſibi damnoſam fieri voluiſſe. Cavenda eſt utcunque Cl. *Wernheri* ſententia, qui in *Elem. J. N. & G.* contendit, hanc, aliaſque plures quæſtiones, de caſibus in vita humana crebrò occurrentibus, quique illic facilè poſſunt contingere, ubi nec Legibus poſitivis, nec Conventionibus, definiuntur, ad Jus naturale non pertinere: credi enim non oportet, Hominibus in ſtatu invicem naturali verſantibus, DEUM, nullam, quâ iſtiusmodi lites terminarentur, dediſſe normam; ſed eas utrinque vi & armis reliquiſſe diſceptandas. Fatemur interim, plurimis ejusmodi quæſtionibus, circa Contractuum interpretationem, ubi ea nec Jure poſitivo, nec recepto uſu, ſatis definitur, commodiſſimè ab ipſis contrahentibus obviam iri poſſe, per expreſſam ſuper iſtis articulis Conventionem.

(4) Non debet Commodatarius facere impenſas, niſi neceſſarias: utiles tantùm ſi faciat, non tenetur Dominus præſtare, niſi quanto pluris ipſe rem ſuam factam æſtimat.

ceſſariarum impenſarum in rem commodatam factum ſit, extra eas quæ aliàs uſum rei regulariter comitantur, id à domino refundendum erit.

§. VII. Depositum (1) eſt, *quo rem noſtram, aut ad nos quocunque modo ſpectantem, alterius fidei committimus, ut eandem gratis cuſtodiat.*

In quo requiritur, 1. ut res concredita diligenter cuſtodiatur; 2. &, quandocunque deponenti placuerit, reſtituatur; niſi ea reſtitutio domino, aut aliis, noxia ſit futura, eoque intuitu differenda ſit. (2) Neque licebit re depoſitâ citra conſenſum domini uti, ſiquidem ea ullo modo per uſum fiat deterior, aut domini interſit ne ea conſpiciatur. Ac ſi quis hoc auſus fuerit, quævis pericula, in quæ res ob uſum incidit, præſtabit. Sed nec licet rem depoſitam exuere illis vinculis, aut receptaculis, quibus à deponente fuit incluſa. Cum autem valde turpe ſit, & fœdius furto, depoſitum abnegare; tum id multò eſt turpius, ſi quis inficiatus fuerit depoſitum miſerabile, ſeu quod

§. VII. (1) *Depoſitum*, ſi naturæ ſimplicitatem ſequamur, eſt reverà ſpecies *Mandati;* in qua opera præſtanda, eſt mera cuſtodia: ea verò ex obligatione perfectâ hic debetur cuſtodia, quam Depoſitarius ſimilibus ſuis rebus ſolet impendere, dum iis non utitur.

(2) Rectè hic Cl. *Barbeyracius*, verba *Neque licebit*, &c. usque ad *Cum autem*, proximè ſubjungit primo articulo obligationis Depoſitarii, de re ſc. cuſtodienda: quippe his, quæ ad cuſtodiam; ſequentibus, quæ ad reſtitutionem pertinent, fuſiùs enarrantur.

quod ob periculum incendii, ruinæ, tumultûs, deponitur.

Viciſſim à deponente, ſumtus in rem depoſitam facti, ſunt refundendi. (3)

§. VIII. Inter *contractus oneroſos*, (1) antiquiſſimus ferè, & quo ſolo ante inventum nummum commercia expediebantur, eſt PERMUTATIO; quâ *utrinque res pro re æquivalente datur.* (2) Etſi & hodie, poſt inventam pecuniam, inter mercatores cum

(3) Sed neceſſarii: vide *Obſ. ult.* in *præc.* §. His interim, in Depoſito, accenſeri debent damna, quæ quis in rebus ſuis vilioribus patitur, rei depoſitæ ſervandæ cauſâ.

De omnibus Contractibus beneficis eſt notandum, quòd iis unus tantùm contrahentium directè & primariò obligetur, alter tantummodò ſecundariò, & in certum eventum: primariò ſc. obligatur, poſt rem traditam, vel negotium ſuſceptum, is qui rem accipit, vel negotium ſuſcipit; qui in Mandato, & Depoſito, eſt benefactor; in commodato, beneficiarius: qui verò rem tradit, aut negotium committit, obligatur tantùm ſecundariò, ad ſumptus refundendos, ſi quos alter fecerit. Ad prioris obligationis expletionem exigendam, Jure civili conceditur actio *directa;* ad poſterioris expletionem, *contraria:* Quod idem in contractu pignoratitio locum habet.

§. VIII. (1) Haud inconcinné omnes Contractus oneroſi, reduci poſſunt ad iſta quatuor genera, ad quæ Juriſconſulti Romani contractus ſuos innominatos retulerunt; videl. *Do ut Des*, *Facio ut Facias*, *Facio ut Des*, *Do ut Facias.* Sub iſtis autem generibus, infinita caſuum varietas continetur; prout diverſæ ſunt operarum præſtandorum ſpecies, quæ poſſunt in commercium venire; & prout id quod datur, vel eſt pecunia, vel alia res, vel tantùm uſus rei: Quantitas, vel Species; aliquid certi, vel incerti; &c.

primis uſitatum ſit genus permutationis, quo non ſimpliciter res inter ſe comparantur, ſed priùs pecuniâ taxantur, & deinde loco pecuniæ invicem traduntur.

Diverſum tamen negotii genus à contractu permutationis, eſt *reciproca donatio;* in qua ut æqualitas obſervetur, neceſſum non eſt.

§. IX. Emptio-venditio eſt, *quà pro pecunia, rei alicujus dominium, aut eidem æquipollens jus, adquiritur.*

Ejus ſimpliciſſimum genus eſt, ſi, ubi in *pretium* fuit conſenſum, emtor ſtatim *pretium*, venditor *mercem*, *offerat*, *tradatque*. Frequenter tamen ita convenitur, ut merx quidem ſtatim tradatur, pretium autem poſt *certum intervallum* ſit ſolvendum. Aliquando ſuper pretio quidem convenitur, ſed ut traditio rei, ſeu mercis, ad certum terminum debeat fieri. Ubi æquitati conveniens videtur, ut ante elapſum eum terminum res ſit periculo venditoris (1): ſed ſi poſt eum elapſum

(2) *Permutationis* naturaliter idem Jus eſt, quod *Emptionis Venditionis:* quæ enim illam, ut Contractum *innominatum*, ab hac, tanquam Contractu *nominato*, ſupponuntur diſcernere, mera Romanorum ſunt figmenta. Confer *Obſ.* 1. in §. *ſeq.*

§. IX. (1) Non tamen extendi oportet hanc definitionem ad exigua incrementa & decrementa, quæ in quibusdam rebus ſenſim fiunt, & facilè alternatim ſibi ſuccedunt: Hæc ſc. emptori prodeſſe, vel nocere, eſt ſatis æquum. Quod autem omne rei venditæ, necdum traditæ, commodum, & periculum, ſtatim

elapſum emtor in mora fuerit, quo minùs eam ſibi tradi curârit, emtori deinceps (2) res peribit.

Solent & emptionis venditionis contractui varia pacta (3) adjici: uti eſt *Addictio in diem*, quâ res ita venditur, ut liceat venditori meliorem conditionem, ab altero intra certum tempus oblatam, acceptare. Item *Lex commiſſoria*, quando ita convenit, ut ſi ad certum diem pretium non ſolvatur, res ſit inemta. Item *Retractus*, ſeu pactum de retrovendendo, quod vel ita concipitur, ut ſi pretium intra certum tempus, aut quandocunque, offeratur, emtor rem teneatur vendi-

ſtatim ſit Emptoris, (vide *Inſt. Lib. III. Tit. XXIV.* §. 3.) quodque *Venditor, non dominium rei, ſed vacuam duntaxat Poſſeſſionem* (ſuſceptâ ſimul obligatione evictionem præſtandi) *Emptori teneatur conferre*, meritò cenſentur à *Grotio*, *Lib. II. Cap. XII.* §. 15. inter *Juris Civilis* hac de re *Commenta.* Quæ ſc. his in partibus Juriſconſulti Romani tribuerunt *Permutationi*, naturaliter etiam in *Venditione* locum habent; ut alia contrà (*Obligatio ex ſolo conſenſu oriunda*, &c.) quæ illi agnoverunt in *Venditione*, naturaliter etiam *Permutationi* ſunt concedenda. Vide *Obſ.* 2. in §. præc.

(2) Niſi Venditoris dolo, vel latâ culpâ, pereat; per omiſſionem ſaltem iſtius curæ, quam ſimilibus ſuis rebus ſolet impendere: nulla enim eſt ratio, cur Venditor, in hoc caſu, graviùs oneretur quàm Depoſitarius.

(3) *Pacta* contractibus *adjecta*, quæ ſtylo fori Romani dicuntur, nihil ſunt aliud, quàm ipſorum contractuum articuli, quibus ulterutrius partis obligationi, quam aliàs iſtius contractûs nomen importaret, aliquid additur vel demitur.

venditori reſtituere : vel, ut ſi res offeratur, venditor pretium teneatur reſtituere ; vel, ut ſi emtor ultrò ſit iterum venditurus, prior venditor ad emendum præ cæteris admittatur : quod etiam dicitur *Jus protimeſeos.* Sic & frequens eſt, ut ex prædiis venditis, aliquam ſibi particulam, aut certum ejus uſum (4), *recipiat* venditor.

Eſt quoque emtionis genus, quod vocant *per Averſionem*, quando multæ res diſparis pretii, non ſigillatim æſtimatæ, ſed conjunctim & velut confusè taxatæ, emuntur.

In eo modo venditionis, quæ vocatur *Auctio*, res demum illi addicitur, qui ex pluribus licitantibus plurimum obtulerit.

Eſt denique & genus emtionis, quo non certa res, ſed *probabilis* tantùm *ſpes* emitur; cui aleæ quid eſt admixtum : ſic ut neque emtor, ſi ſpes fefellerit, neque venditor, ſi ea multum ſupra fuerit, queri debeat.

§. X. Locatio-conductio eſt, *quâ pro mercede, alicui uſus rei, aut opera, addicitur.* In qua 1. licet regulariter in anteceſſum de *mercede* ſoleat conveniri : tamen, ſi quis citra definitam priùs mercedem, alteri operam, aut uſum ſuæ rei, addixerit; cenſetur id expectare, quantum communis uſus, (1) aut conductoris æquitas, tulerit.

2. Circa hunc contractum obſervandum, ſi res

(4) Vide ſuprà, *Cap. XII.* §§. 3. & 8.

§. X. (1) Hoc idem in emptione venditione non rarò habet locum.

ſi res locata planè perierit, ex eo tempore conductorem ad mercedem, ſeu penſionem, non ampliùs teneri. Quòd ſi res locata certum ac definitum habeat uſum; uti dominus eam præſtare debet, quo ei uſui ſit idonea; ita, ſi illa detrimenti quid ceperit, conductor de penſione detrahit, quantum uſui rei deceſſerit. Sed ſi rei locatæ proventus ſit incertus, & aliquid aleæ contineat; uti exuberans proventus conductoris lucro, ita malignus ejuſdem damno eſt: nec ſtricto jure de penſione ob ſterilitatem quidquam detrahendum; præſertim cum unius anni ſterilitas alterius ubertate ſoleat penſari. Niſi caſus, qui proventum interceperint, rariores fuerint, & de quorum alea in ſe ſuſcipienda conductor non cogitâſſe præſumitur. Hos enim ad penſionem minuendam, aut remittendam, valere, utique æquum eſt.

3. Cæterùm, uti qui rem aliquam alteri locavit, præſtare tenetur, ut ipſa uſui ſit habilis, impenſaſque neceſſarias tolerare: ita conductor, ad boni patris-familias modum eadem uti, & quæ ipſius culpâ perdita fuerunt reſtituere, debet. Et qui opus faciendum (2) conduxit, quod ſuâ culpâ corruptum eſt, itidem præſtat.

4. Qui momentaneam ſuam operam alicui

(2) Opus faciendum dicitur conducere, qui operam ſuam ita elocat, ut alterius materiam, circa quam ea verſatur, tantiſper in ſuis manibus habeat. Conductor itaque operis, contra quam in rei vel operæ conductore obtinet, non dat, ſed accipit, mercedem.

cui locavit, ubi eam quocunque caſu præſtare impeditus fuerit, mercedem petere non poteſt. Sed qui continuam alicujus operam conduxit, ubi is morbo, aut alio caſu, per modicum tempus ad operam inutilis fuerit factus, inhumaniter ipſum vel planè ſuâ functione dejicit, vel de penſione quid eidem detrahit.

§. XI. In contractu MUTUI, *datur alicui res fungibilis eà lege, ut is poſt intervallum idem genus reddat, in eadem quantitate & qualitate.*

Vocantur autem res, quæ mutuò ſolent dari, *fungibiles*, ſeu quæ functionem in ſuo genere recipiunt, ideo, quia quodlibet ex iſto genere vicem alterius ita ſubire poteſt, ut qui ex eodem genere, eâdem quantitate & qualitate, receperit, idem quod dedit recepiſſe dicatur. Eædem quoque res pondere, numero, & menſurâ determinantur, & ſpecificantur: quo reſpectu etiam *quantitates* ſolent adpellari, *ſpeciebus* (1) contradiſtinctæ.

Cæte-

§. XI. (1) *Species* Juriſconſultis dicitur, quod Logicis *Individuum;* uti & illis *Genus* appellatur, quod his *Species*. Cæterùm, cum *mutuò dari* ſoleant res, quæ uſu conſumuntur; *commodari* contrà (vel locari) quæ non conſumuntur, poſſunt eædem res, pro vario ad quem conceduntur uſu, nunc commodatum, nunc mutuum ſubire: monemus interim, omnem Alienationem hîc haberi pro Conſumptione. Porrò, cum lingua noſtra vernacula (pariter atque *Gallica*) non niſi uno eodemque nomine *Commodatum* atque *Mutuum* deſignet; debuerant noſtra-

Cæterùm, datur aliquid mutuò, vel gratis, ita ut non plus, quàm datum fuit, recipiatur; vel cum aliquo emolumento, quod *Uſuræ* vocabulo inſignitur. Quæ nihil habet naturali juri repugnans, ſiquidem fuerit modica, & reſpondens lucro, quod alter ex pecunia aut alia re credita facit, meoque damno aut lucro ceſſanti, quod ex abſentia rei meæ capio, & ubi non exigatur ab hominibus tenuibus, apud quos mutuum vicem eleemoſynæ ſubit.

§. XII. In contractu Societatis, *duo pluresve inter ſe pecuniam, res, aut operas, conferunt, eo fine, ut quod inde redit lucri, inter ſingulos pro rata dividatur; & ſi quid damni capiatur, id ſimili modo à ſingulis pro rata feratur.*

In qua ſocietate, 1. uti officii eſt fidem & induſtriam adhibere, ita ex illa intempeſtivè & in fraudem ſocii diſcedi non debet.

2. Cæterùm, ſocietate ſolutâ, quilibet, poſt detractum lucrum aut damnum, quantum intulit, recipit. Quòd ſi autem unus pecuniam aut rem, alter operam, contulerit; videndum eſt, quo modo facta ſit collatio. Quando enim alterius opera tantùm verſatur circa iſtius pecuniam aut rem tractandam (1), aut diſtrahendam, partes lucri

noſtrates harum rerum ſcriptores (ſimili periphraſi ei quâ *Gallicè* utitur Cl. *Barbeyracius*) illud appellare *Loan for Uſe*, hoc *Loan for Conſumption.*

§. XII. (1) Hoc eſt, quando iſte non ipſam pecuniam aut rem, ſed ejus uſum duntaxat, in ſocietatem contulit.

cri ita definiuntur, prout ſeſe pecuniæ aut rei emolumentum, ad pretium operæ habet, & ſors ſalva eſt, ac perit, ei qui contulit. Quando autem opera impenditur ad meliorandam rem ab altero collatam (2), iſte, pro ratione meliorationis, in ipſa quoque re partem habere intelligitur.

3. Aſt, ubi *omnium bonorum ſocietas* eſt inita; ſinguli ſocii, uti quæ lucrantur, fideliter conferre debent; ita contrà, ex communi maſſa pro ratione conditionis ſuæ ſinguli ſuſtentandi. Solutâ autem ſocietate, diviſio bonorum fit, pro ratione eorum quæ ſinguli in ſocietatem initio intulerunt; non attendendo, per cujus bona ſocietati lucrum aut damnum provenerit; niſi aliter ſit conventum.

§. XIII. Dantur quoque complures CONTRACTUS QUI ALEAM CONTINENT (1).

Quos

(2) Quando ſc. alter, non modò uſum rei, ſed & ipſam rem ſuam, in ſocietatem contulit.

§. XIII. (1) Et hi quidem regulariter ſunt oneroſi: in quibus, licèt inde incerta ſpes hinc res certa, detur; ita tamen illa cum hac exæquari poteſt, ut contractus iſti inæqualitatis nomine non ſint reprehendendi. Alias tamen ob cauſas, & præſertim, quia nullam humano generi utilitatem adferentes, plurimis malis quotidie anſam præbent; & Homines, ab honeſtioribus, Reipublicæ utilioribus, ſibique minùs periculoſis, rei familiaris augendæ rationibus avocant; damnandi videntur iſti contractus, quibus id unicè agitur, ut res priùs ancipiti diſceptationi non obnoxia,

Quos inter referre poſſis, 1. *Sponſiones*, quando eventûs alicujus, nondum utrinque notorii, exiſtentiam alter affirmat, alter negat, certo pretio utrinque depoſito, quod illi cedat, cujus aſſertioni eventus congruere deprehenſus fuerit. 2. Huc pertinent omnia *Ludorum* genera, in quibus aliquo pretio certatur. Inter quos tamen minus aleæ habent, qui certamen ingenii, dexteritatis, ſolertiæ aut roboris, continent. In quibuſdam ingenium & alea pari vigore ſeſe exſerit. In aliis denique alea prædominatur. Etſi Rectorum civitatis ſit diſpicere, quouſque ex uſu publico aut ſingulorum ſit, ejusmodi contractus tolerari. 3. Hùc ſpectat *Lotaria*, quando plures de re, quam collatitiâ pecuniâ emunt, poſt ſorte decernunt, cui ſoli ea tota debeat cedere. Item, *Olla fortunæ*, quando dejecto in urnam certo teſſerarum ſeu ſchedularum numero, inſcriptarum & inanium, pretio redimitur facultas easdem extrahendi, ita ut extrahens

S id

obnoxia; in merum incertæ aleæ eventum referatur. Et ſanè, ut vile & inhoneſtum eſt aliorum diſpendiis, nullo ſuo merito locupletari velle; ita, quam fallax & vana ſpes ſit, quæ Homines ad iſtiusmodi contractus ineundos pellicit, merito notavit ingenioſus Auctor *Artis cogitandi Lib. IV. Cap. ult.* Sponſiones itaque (atque adeo ludos in quibus aliquo pretio certatur) ita moderari eſt æquum; ut non modo pretium pro ſpondentium facultatibus ſit modicum; ſed & materia talis, ut eventus ipſorum viribus aut peritiâ dirigi, vel ſaltem probabiliter prævideri, poſſit.

id accipiat, quod illarum inſcriptio præ ſe fert. 4. Hiſce contractibus affinis eſt *Aſſecuratio*, ſeu contractus periculi avertendi & præſtandi, quo quis certâ pecuniâ acceptâ, in ſe ſuſcipit & præſtat pericula, quæ ſubituræ ſunt merces in alia loca transportandæ; ita ut, ſi has interire contigerit, aſſecurator earundem pretium domino reſtituere teneatur.

XIV. Ad majorem firmitatem & ſecuritatem, contractibus frequenter ſolent adjici *Fidejuſſiones* & *Pignora*.

In FIDEJUSSIONE, *alius homo, qui creditori idoneus judicatur, principalis debitoris obligationem, velut in ſubſidium, in ſe ſuſcipit*, ita ut niſi iſte ſolvat, hic ipſius vices ſubeat: ut tamen, quod erogavit, a principali debitore ipſi refundi debeat.

Etſi autem ad majorem ſummam fidejuſſor, quàm debitor principalis, teneri non poſſit; non tamen repugnat, iſtum quàm hunc arctius teneri (1); quippe cum huic plus, quam illi, fidei fuerit habitum.

Naturaliter tamen principalis debitor priùs, quàm fidejuſſor, eſt appellandus, niſi

§. XIV. (1) Poteſt v. gr. Fidejuſſor datis pignoribus in foro *Soli* vel jurejurando in foro *Poli*, coerceri; cum neutro forte modo teneatur principalis Debitor. At non eſt propriè Fidejuſſor, quatenus vel *Re*, vel *Tempore*, vel *Loco*, vel *Cauſâ*, plus debet, quàm Debitor principalis. Quare Cl. *Barbeyracii* ad h. l. Annotationi ſubſcribere nequeo.

ſi hic iſtius obligationem plane in ſe receperit; qui *Expromiſſor* (2) vocari ſolet.

Quod ſi plures pro uno fidejuſſerint, pro rata duntaxat (3) erunt ſinguli conveniendi; niſi forte quis eorum ſolvendo non ſit, aut ejuſdem conveniendi non detur facultas. Tunc enim reliqui hujus portione onerabuntur.

XV. Sæpe quoque *ſolet Creditori, in ſecuritatem crediti, tradi aut aſſignari à debitore certa quæpiam res*, PIGNORIS aut HYPOTHECÆ *nomine, quouſque iſtud fuerit exſolutum.* Cujus finis eſt, non ſolùm ut debitor ad ſolvendum urgeatur, deſiderio rei ſuæ recuperandæ: ſed & ut in promtu ſit, unde ſibi ſolvatur. Inde & regulariter pignora tanti aut majoris eſſe ſolent, quàm ipſum debitum.

(2) Apud Theologos, qui Juriſprudentiæ, & Juriſperitos, qui Theologiæ limites ſalutarunt plurimum agitata eſt quæſtio, utrùm Chriſtus Dominus, ante ſolutum Redemtionis pretium *Fidejuſſoris* tantùm an vero etiam *Expromiſſoris* rationem habuerit? In qua, poſteriorem partem, præter alios plurimos, locupletiſſimis argumentis confirmavit Vir Cl. atque orbi literato deſideratiſſimus, *Ulricus Huberus*, in aureo Tractatu de *Jure Civitatis*.

(3) Quod Fidejuſſores, non niſi poſt diſcuſſum Debitorem principalem, ſint conveniendi, dicitur *Beneficium Ordinis*; quod ſinguli, non niſi pro rata parte, *Beneficium Diviſionis*: utrique Fidejuſſores apud nos renunciare ſolent quod ad Creditorem, ſe cum principali Debitore obligando *conjunctim & ſeparatim*.

Cæterùm *res*, *quæ pignori opponuntur*, ſunt vel *fructuoſæ*, vel *ſteriles*. Circa priores ſæpe adjici ſolet pactum Ἀντιχρήσεως, ſeu ut creditor loco uſuræ fructus iſtius pignoris percipiat (1). Circa poſteriores autem *Lex commiſſoria* (2). ut nempe pignus cedat creditori, ubi intra certum tempus ſolutio non ſit facta. Id quod naturaliter iniquum non eſt, ubi pignus pluris non eſt, quàm debitum, & uſura intermedii temporis, aut ſi quod excedit domino reſtituatur.

Uti autem creditor pignus ſolutione factâ debet reſtituere: ita interea, non minorem quàm propriis rebus (3) illi cuſtodiam debet; & ubi pactum antichreticum non acceſſerit, ſitque talis res quæ uſu atteratur, aut ſi debitoris ullo modo interſit, invito hoc eâdem uti non poteſt.

Differt

§. XV. (1) Vel etiam, ſi fructus pignoris, uſuras debitas multum excedant, ut quod ſupereſt, ad ipſam ſortem minuendam imputetur.

(2) *Lex Commiſſoria*, in pignoribus, apud Romanos, cum hi ſub eo nomine non incluſerint æquum illud temperamentum, quod hic ab Auctore ſubjungitur, de exceſſu valoris pignoris, ultra debiti quantitatem, Debitori reſtituendo, merito habita eſt odioſa, & ſeveris legibus eſt interdicta: hoc vero temperamento adhibito, nihil habet æquitati aut legibus diſſonum: imo, ubi res pignori poſita eſt ſterilis, tacitè adjecta cenſetur; in eum ſc. eventum, quo debitor fuerit in mora ſolvendi.

(3) Hoc eſt, non minorem quàm debet propriis rebus. Tenetur itaque Creditor, rem oppignoratam ad modum boni & diligentis Patrisfamilias cuſtodire:

Differt *Hypotheca à Pignore* (4), quòd hoc conſtituatur rei traditione; hæc autem, re non tradita, conſtat nudâ aſſignatione rei, imprimis immobilis, ex qua, ſolutione non facta, creditor ſuo credito potiri queat.

§. XVI. Cæterùm, quænam contrahentium ſint officia, ex fine & natura horum contractuum liquidò adparet.

ſtodire: & hoc quidem ſecundum regulam, Naturali, non minùs, quàm Civili, Jure firmatam: *Ubi contractus, cujus vi unius res eſt in cuſtodia*, ſive naturali poſſeſſione, *alterius, utriusque partis utilitatem reſpicit*, ut in locatione & pignore, *illic mediam requiri diligentiam*, qualem ſc. diligens quilibet Paterfamilias rebus ſuis adhibere ſolet, eique oppoſitam levem culpam eſſe præſtandam; *ubi ſolius poſſidentis reſpicit utilitatem*, ut in Commodato, *exactiſſimam requiri diligentiam*, atque adeo hic leviſſimam culpam, utpote tali diligentiæ oppoſitam, debere præſtari, *ubi* denique *non poſſidentis, ſed alterius, utilitatem reſpicit*; ut in Depoſito, *ſufficere diligentiam mediâ remiſſiorem, ſi modò tanta ſit, quantam poſſidens ſimilibus ſuis rebus ſolet impendere*; vel (ut, propter iſtam definiendi difficultatem, ſtatuerunt Jurisconſulti Civiles) quantam omnes communi ſenſu utentes, rebus ſuis adhibere ſolent; atque hic idcirco, præter dolum, qui in omni contractu eſt præſtandus, non niſi latam culpam, infimæ diligentiæ oppoſitam, quæque dolo æquiparatur, debere præſtari.

Notandum porrò, in *Pignore*, ſicut in cæteris modò memoratis contractibus, ſumptus in rem conſervandam neceſſariò impenſos, eſſe ab eo qui rem alteri ſervandam tradidit refundendos.

(4) In utroque interim conſtituitur Creditori Jus reale, ſeu quod in ipſam rem immediatè terminatur: [Vide ſuprà, *Obſ.* 1. in *Cap. XII.* §. 8.] quod quibus ritibus fiat in variis Civitatibus, Jurisprudentiæ particularis eſt explicare.

SUPPLEMENTUM IV.

De Quaſi Contractibus.

I.

DIXIMUS ſuprà, *Obſerv. in Cap. IX.* §. 1. modum inprimis naturalem *contrahendi Obligationes*, ſive, quod idem eſt, *Jura Perſonalia conſtituendi*, eſſe *mutuum Conſenſum*, ejus qui obligatur, & ejus cui correſpondens perſonale Jus acquiritur. Non tamen iſthâc ſolâ ratione obligationes & correſpondentia Jura conſtitui, patet ex ſupra dictis, de *Penſatione Damni*, *Cap. VI.* quæ per ipſum damnum datum conſtituitur debita; de *Jure nocendi injuſtis aggreſſoribus, & iis qui Juris noſtri expletioni ſe opponunt*, *Cap. V.* & *Obſerv.* in ejusdem, §. 17. quod in ipſa continuata injuria fundatur; de *Obligatione ad reſtitutionem rei ipſius*, quæ ex præſente, *& reſiduorum emolumentorum*, quæ etiam ex præterita, rei alienæ poſſeſſione fluit, *Cap. XIII.* §§ 2. & 3.

II. Sed præter hæc, ſunt & alia facta, quibus, absque concurrente utriusque partis conſenſu, obligationes poſſunt & ſolent conſtitui: quæ obligationes, cum in manifeſta fundentur æquitate, quam præſumitur eos quorum intereſt non detrectare, aut certè, ſi negotium intelligerent, non fore detrectaturòs, referri ſolent, apud Jurisconſultos, ad *Quaſi Contractus:* qui tamen cum contractibus *tacitis* minimè ſunt confundendi; cum in his, ex aliquo facto, vel non facto, conſenſus re ipsâ intercedere colligatur; in illis verò propter æquitatem fingatur.

III. Iſti-

III. Iſtius generis obligationes, ad duas ferè claſſes reduci poſſunt: contrahuntur enim, vel *rebus alienis, ut talibus, aut alteri aliquo modo obligatis, ſe immiſcendo;* vel *ab altero, nec donante, nec contrahente, commodum aliquod illi ſumptuoſum derivando.*

IV. Ad *priorem* Claſſem pertinet obligatio, quâ is, *qui abſentis* & ignorantis, vel etiam præſentis, ſed ob judicii defectum *conſentire non valentis, res adminiſtravit, tenetur Domino geſtorum rationem reddere,* & *quod ex ejus rebus penes ſe habet, reſtituere,* nec non *damnum ſuâ culpâ* (ſecundùm diverſas circumſtantias variè æſtimandâ) *datum penſare;* quo pertinent in Jure civili Actiones *directæ Negotiorum geſtorum* & *Tutelæ.*

V. Ad eandem quoque claſſem referenda eſt obligatio, quâ *Hæres, poſt aditam* explicitè vel implicitè *Hæreditatem, tenetur Defuncti Creditoribus & Legatariis,* quousque Bona hæreditaria ſe extendunt, *ſatisfacere.* Neque obſtat, quòd ſolam Hæredis erga *Legatarios* obligationem Juriſconſulti Civiles ad *Quaſi Contractum* referant, Hæredem ſc. reſpectu *Creditorum* conſiderantes tanquam eandem perſonam cum Defuncto; hoc inquam dictis non obſtat, quamdiu, quod Hæres Defuncti perſonam ſuſtineat, ejusque obligationibus ex Bonis explendis teneatur, hoc eſt, quòd Creditoribus ullum Jus competat adverſus *Hæredem,* non aliunde quàm ex *Hæreditatis aditione* profluit.

VI. Ad *poſteriorem* Claſſem referimus obligationem, quâ is, *cujus abſentis,* vel ob judicii defectum *contrahere non valentis, rebus,* vel juribus quibuscunque, *in ſuo ſtatu conſervandis, al-*

ter neceſſarios ſumptus (quibus naturaliter accenſenda ſunt damna quæ in rebus ſuis iſta de cauſa paſſus eſt) *erogavit*, *illum alterum ab iſtis ſumptibus indemnem tenetur præſtare*, ſi modò ipſe res iſtas posſideat, vel juribus iſtis utatur, quorum conſervandorum causâ erogati fuerant; quin & ſumptus ab altero in res ſuas *utiliter* impenſos refundere, quousque locupletior eſt factus. Atque ad hanc obligationem (diverſis caſibus applicatam, & in iis, prout civilis utilitas videbatur ſuadere, variè ampliatam aut reſtrictam) exequendam, ſpectant *Negotiorum geſtorum* & *Tutelæ* Actiones *contrariæ*. Hæc autem obligatio, in caſu *Tutelæ*, præter communem rationem æquitatis, quæ in *Negotiis geſtis* pariter locum habet, fundatur etiam in expreſſa vel præſumpta voluntate ejus, à quo ad Pupillum Bona ſunt derivata; & cui hic, ubi adultus eſt, Bona iſta tanquam ſua posſidendo, videtur acquieſcere. Aliis inſuper, quibuscum Tutor Pupilli nomine contraxit, Pupillus tenetur ſaltem indirectè, quatenus tenetur Tutorem, in eo quod utiliter gesſit, indemnem facere. Tutori porrò Pupillus obligatur, non tantùm ratione eorum quæ in *Res*, ſed & quæ in *Perſonam* ejus, rectè ac prudenter fuerant erogata; ſumptuum ſc. Pupillo alendo & commodè educando impenſorum. Atque hoc idem, quod ad alimoniam attinet, addo & curationem, locum habet in Amente aut Furioſo, reſpectu illius qui ejus curam gesſit.

VII. Sed quid dicemus de obligatione *Alumni* erga *Altorem*, à quo in immatura ætate, cum nullas res proprias haberet, alimenta & commodam educationem ſortitus eſt. Hanc quidem obli-

obligationem, Legibus poſitivis & Moribus, in diverſis caſibus diverſimode admodum æſtimatam invenio; dum in *Ingenuis* nullum ferè Juris effectum producit; niſi quod *Liberi* (nam hos etiam, ubi à Parentibus aluntur, ſub *Alumnorum* nomine hìc complectimur) Legibus Civilibus *egenos Parentes alere* jubeantur, *Dig. Lib. XXV. Tit. III. l. 5.* In *Vernis* contrà, ad eos perpetuâ ſervitute premendos, injuſtisſime extenditur: nullo enim alio prætextu Servitutem hæreditariam defendi poſſe, patebit infrà, *Obſerv. in Lib. II. Cap. IV.* § *ult.* Ego quidem, ſalvo prudentiorum judicio, reor ex iſta cauſa obligationem oriri, Jure Naturali perfectam, ad refundendos ſumptus, Alumno per immaturam ætatem alendo, & in commodum humanæ Societatis membrum educando, neceſſariò impenſos: dico *Neceſſario,*, quod enim majoris elegantiæ, ornatûs, aut dignitatis, gratiâ, fuit impenſum, hìc imputari non debet. Quamvis igitur à communi Parentum affectu, pariter ac officio, quàm maximè abhorreat, ut hi cum Liberis, niſi ſummè ingratis, rigidum hìc calculum inire velint; utpote qui contrà, pro facultatum ſuarum ratione, præter commodam educationem, Liberorum quoque fortunas fundare, & quod ipſis morientibus Bonorum ſupereſt, his, ut charisſimis (ni ſpecialis cauſa obſtet) relinquere, & ſolent & debent; æquum tamen putaverim, Liberos Parentum indulgentiæ acceptum ferre, etiam quando nullum aliud ab iis Patrimonium capiunt, quod immaturæ ætatis alitæ & educatæ neceſſarias impenſas reſtituere non cogantur. Ulterius verò ne quidem in Vernis extendi poſſe hanc obligationem, atque adeò nullum perpe-

tuæ ſervituti fundamentum ponere, patebit infrà, *l. c.*

VIII. Ad hanc eandem poſteriorem Claſſem pertinet, Obligatio ejus qui in alterius rebus uſus eſt *favore Neceſſitatis;* de quo Auctor ſuprà, *Cap. V.* §§ 23. & 24. nec non ejus qui *Indebitum accepit tanquam Debitum;* vel (quod Jure Naturali idem eſt) aliquid accepit ex Pacto cui legitima aliqua *Exceptio* opponi potuit; vel denique, *accepit intuitu alicujus rei vel opera à ſe praſtanda, quam poſtea non praſtitit.* Omnes ſc. hi pariter teneantur ad reſtitutionem.

IX. Oriuntur etiam *Obligationes mutua*, ubi *Communis plurium res facta eſt citra Contractum*, ex eo quòd *unus ſolus communem rem tractaverit*, vel *ſolus in eam neceſſarias impenſas fecerit:* Hujus autem erga cæteros obligatio, ad *priorem* Claſſem, cæterorum erga hunc, ad *poſteriorem*, ex duabus ſuprà memoratis, videtur pertinere. Obligatio verò ad *Diviſionem* admittendam, quæ ex ipſa communione rei, communiter haberi minùs aptæ, per ſe oritur, peculiarem videtur indolem ſortiri.

X. Obligationes denique *alterum* tenentes *ab eo per quem ſunt contracta*, (de quibus agitur *Inſt. Lib. IV. Tit. VII.*) quouſque ſunt Juris Naturalis, reſolvendæ ſunt, vel in *verum Contractum*, ſi alter alterius *Juſſu* & *Nomine* contraxerit; vel, ſi ſecùs, in cauſam *Negotiorum geſtorum:* niſi fortè, in quibuſdam caſibus, dicendæ ſint potiùs indirectè tantùm reſpicere eum quocum alter contraxit; quatenus is qui ultimò obligatur, alterum, per quem obligatio contracta eſt, tenetur, ex cauſa *Mandati*, vel *Negotiorum geſtorum*, indemnem reddere.

CA-

Caput XVI.

Quibus modis ſolvantur Obligationes, quæ ex Pactis oriuntur.

I. *Obligatio ex Pacto ſolvitur expletione.* II. *Aut compenſatione, compendii cauſâ:* III. *Aut condonatione, ſeu expreſsâ, ſeu tacitâ:* IV. *Aut, re adhuc integrâ, mutuo diſſenſu.* V. *Abrumpitur Obligatio alterius perfidiâ.* VI. *Expirat, mutato ſtatu in quo fundatur;* VII. *Aut lapſo tempore, à quo ſuſpenſa fuit:* VIII. *Morte quoque: niſi obſtet peculiaris ratio.* IX. *Delegatio per ſubſtitutum Debitorem, quæ?*

INTER modos SOLVENDI OBLIGATIONES ex Pactis oriundas (1), quibusque adeò officia inde promanantia planè exſpirant, maximè naturalis eſt *Expletio*, aut Solutio (2) *ejus*, *de quo fuit conventum.* Ubi, licèt regulariter is qui debet, ſolvere teneatur; tamen ſi præſtatio fiat ab alio, nomine ejus (3) qui obligationem contraxit, hæc

§. I (1) Pleriſque tamen modorum hic recenſitorum, ſolvi etiam poſſunt aliæ obligationes, quàm quæ ex pactis oriuntur. *Obligationem* autem *ſolvi* (ut intelligi poteſt ex *Obſ.* in *Cap. IX.* §. 1.) nihil eſt aliud, quàm Jus perſonale ei correſpondens ad originarium ſuum ſubjectum reverti, & cum naturali ejus libertate conſolidari; quo pacto aboleri dicitur ipſum *Jus Perſonale*, quia talis Juris rationem non ampliùs retinet.

(2) *Solutionis* nomen hic ſumitur ſenſu ſtrictiore, quatenus non obligationem modò, ſed rem debitam reſpicit; aliàs enim quivis modus tollendi obligationem, dicitur ejus *Solutio.*

(3) Intellige, vel ejus mandato, vel ita ut ejus manifeſtè interſit: aliàs enim Creditor, etiam ubi ſui

hæc diſſolvitur; ſiquidem aliàs nihil interſit (4), abs quo expletio fiat. Ita tamen ut qui pro altero, animo non donandi, ſolvit, ab hoc quod erogavit repetere queat (5).

Solvendum præterea ei cui debetur, aut quem hic délegavit ut ipſius nomine debitum recipiat.

Et denique, illud ipſum præſtandum, aut ſolvendum, de quo conventum fuit, non aliud ejus loco; integrum, non mutilum, non pars duntaxat, non diviſum; loco itidem & tempore convento. Etſi ſæpe humanitas Creditoris, aut impotentia Debitoris, ſubigat terminum ſolutionis prorogare, aut diffindere, vel etiam aliud prò alio accipere.

§.II. Tolluntur quoque obligationes *Compenſatione*; quæ eſt crediti & debiti inter ſe contributio, ſeu quando debitor ideo liberatur, quia eidem ipſe creditor rem ejusdem

ſui nihil intereſt, non tenetur ab altero, quàm à ſuo debitore, ſolutionem accipere, ita ut ſolventi ſuam adverſus debitorem actionem cedat.

(4) Ut ſi conſiſtat in rei traditione, aut vulgari aliquâ operâ, quæ à quolibet æquè poteſt præſtari: ſecùs autem res ſe habet, ſi conſiſtat in opera, cujus valor ex peculiari aliqua præſtantis peritia, dexteritate, vel etiam dignitate, æſtimatur.

(5) Si quidem Debitore mandante ſolverit, res eſt ſatis expedita: ſin minùs, ſimpliciſſimum eſt (ut ait Auctor, de *J. N. & G. h. t.* §. 2.) ut ſolventi creditor actionem ſuam ceſſiſſe intelligatur; quam & ſolvens plerumque expreſsè cedendam curat. Atqui his in caſibus, obligatio debitoris non tam ſolvitur quàm transfertur.

dem generis, & quæ tantidem eſt, viciſſim liquidò debet. Cum enim, inprimis in rebus fungibilibus, tantundem ſit idem; & verò, ubi mutuum eſt debitum, mihi ſtatim tantundem eſſet reddendum, atque ipſe accepi: igitur, declinandis inutilibus ſolutionibus, commodiſſimum eſt utrumque ſuum retinendo ſolutione defungi.

Patet autem compenſari propriè poſſe, res fungibiles ejusdem generis, quarum ſolvendarum tempus præſens eſt, aut præteriit: non aliæ res, aut præſtationes diverſæ naturæ (1), niſi fortè illæ utrinque in ſui æſtimationem, ſeu in pecuniam, reſolvantur.

§. III. Tollitur quoque obligatio *Condonatione* (1), ſeu remiſſione ejus, cui quid debebatur,

§. II. (1) Se mutuò *compenſant* ſolæ *Quantitates ejusdem generis;* non præſtationes perſonales; nec res quæ debentur in ſpecie; nec diverſorum generum quantitates; niſi alter nolit, quod ipſe debet, præſtare; quo in caſu locus eſt, in ſtatu ſaltem naturali, Compenſationi iſti de qua agit *Grotius Lib. III. Cap. XIX.* § 15. & cujus fundamentum priùs expoſuerat, *Lib. II. Cap. VII.* §. 2. ſicut & nos, *Obſ.* in *Cap. V.* §. 17. quemadmodum & ejusmodi injuriæ juſta ſuſpicio locum præbet, ſaltem rei noſtræ alioquin debitæ detinendæ, aut præſtationi differendæ, donec nobis cautum fuerit. Confer ſuprà, *Cap. IX.* §. 14.

§. III. (1) Sicut nullo magis naturali modo obligatio conſtituitur, quàm *mutuo conſenſu*, ejus qui ſe obligat, & ejus cui obligatur; ita non minùs naturaliter diſſolvitur, *utriusque contrariâ voluntate*: dico *utriusque;* nam ſicut in ſimplice *Promiſſo*, dum aliqua naturalis Libertatis particula, futuri debitoris con-

bebatur, & cujus intereſt obligationem fuiſſe expletam. Ea ſolet fieri vel *expreſſè*, per adhibita ſigna conſenſum teſtantia; putà, datâ acceptilatione, redditis aut abolitis chirographis: vel *tacitè*, ſi quis ipſe impediat, aut in cauſa ſit, quo minus quod ſibi debetur poſſit præſtari.

§. IV. Solent quoque ſolvi Obligationes, quæ utriusque partis præſtatione conſtant, re adhuc integrâ, *mutuo Diſſenſu*; niſi Leges poſitivæ (1) id prohibuerint. Ubi autem ab altera parte jam quid ſit præſtitum, accedat oportet vel hujus condonatio, vel ut aliâ ratione id ſarciatur.

§. V. Præterea, non tam ſolvitur quàm *abrumpitur* obligatio, alterius partis *Perfidiâ* (1). Quan-

conſenſu, ad alterum transfertur; ita in ſimplice *Condonatione*, dum illa, voluntate creditoris, ad naturale ſuum Subjectum revertitur; *Acquirentis*, non minùs quàm *Transferentis*, adeſſe debet *Conſenſus*. Solvitur autem obligatio, per concurrentem creditoris, in hoc caſu transferentis, & debitoris acquirentis, conſenſum; vel *gratìs*, & tum propriè dicitur *condonari*; vel *ex cauſa oneroſa*; intuitu ſc. alicujus alterius rei vel operæ, ſeu in ipſo articulo præſtitæ, ſeu in poſterum promiſſæ, aut alicujus Juris perſonalis adverſus tertium aſſignati (quo pertinet Delegatio, de qua Auctor §. *ult.*) aut denique alicujus alterius obligationis, quâ ipſe creditor debitori ſuo tenebatur, illi viciſſim remiſſæ; quâ ratione, obligationes reciprocæ *mutuo diſſenſu* utrinque dirimuntur, ut ait Auctor §. *ſeq.*

§. IV. (1) Vel quandoque etiam Naturales; ut in Pacto Matrimoniali, de quo infrà, *Lib. II. Cap. II.*

§. V. (1) Eatenus ut in læſi ſit arbitrio, utrùm à pacto

Quando enim unus non præſtat de quo eſt conventum, neque alter tenetur præſtare quod intuitu iſtius præſtationis recepit. Nam capita præſtandorum in pactis, priora poſterioribus inſunt per modum conditionis; quaſi ita dictum foret; *præſtabo, ſi tu præſtiteris priùs.*

§. VI. Expirant quoque obligationes, quando *Statum* (1), in quo eædem unicè fundabantur, *mutaverit*, vel ille qui præſtare, vel is cui præſtari, debebat.

§. VII. Ipſo *tempore* expirant obligationes, quarum duratio à puncto aliquo temporis ſuſpenſa fuit (1); niſi expreſsâ aut tacitâ

pacto velit recedere, an perfidum adhuc ad præſtandum adigere. Quin &, quouſque quævis injuria, ab eo cui quid debetur dolo malo intentata (ſub qua includitur doloſa rei vel operæ debitæ detrectatio) ſimilem effectum, in ſtatu ſaltem naturali, obtineat; vide quæ annotavimus in §. 2. & locos ibi allegatos.

§. VI. (1) Quia ab illo *Statu*, tanquam conditione, ſupponuntur fuiſſe ſuſpenſæ.

§. VII. (1) *Dupliciter* dici poteſt duratio obligationis *ſuſpendi ab aliquo puncto Temporis:* vel enim innuitur, *eandem præſtationem, quæ ante illud Temporis punctum exigi potuit, non poſſe exigi poſt illud elapſum;* vel ſenſus eſt, *aliquam præſtationem, certis intervallis, uſque ad certum Temporis terminum, non ultra eum, eſſe repetendam. Priori* caſu, manifeſtum eſt obligationem ſupponi *conditionatam*, quâ quis tenetur tantùm præſtare, *ſi intra certum tempus petatur:* quâ conditione non apparente, evaneſcit obligatio, non ob merum temporis lapſum, ſed ob deficientem conditionem. *Poſteriore* caſu, terminus temporis, ad quem præſtationes ſunt repetendæ, vel eſt

citâ partium conventione illa prorogata fuerit. Neceſſum eſt tamen, ut intra illud tempus facultas exigendi obligationem extiterit.

§. VIII. *Morte* denique ſolvuntur obligationes in perſona alicujus radicatæ (1). Subjecto

eſt *certus*, vel *incertus*: ſi terminus ſit *certus*, obligatio ad præſtationem poſt eum terminum repetendam, non tam expirat, quàm nunquam fuit: quin & ſi terminus ſit *incertus*, utpote dependens ab aliquo eventu, qui, quando eſſet extiturus, erat ignotum; in hoc caſu, obligatio ad datum quemvis temporis terminum repetendi præſtationem, eſt conditionata, *ſi* nimirum *ante illum propoſitus eventus non exiſteret*; quâ conditione, quod ad tempus futurum poſt ejus eventûs exiſtentiam, deficiente, præſtatio idcirco non ampliùs eſt repetenda. Sed utrobique, obligatio ad individualem quamlibet præſtationem, quæ ante elapſum temporis terminum fieri debuit, non tollitur niſi expletione, vel aliquo æquipollente modo: quod idem in primo quoque caſu obtinet, ſi ante elapſum terminum præſtatio fuerit petita.

§. VIII. (1) Quâ ratione hæ obligationes *morte* dicantur ſolvi, intelligi poteſt ex dictis in *præc.* §. de obligationibus cum tempore, præſertim incerto, expirantibus. Quæ autem obligationes *in Perſona radicari* ſint cenſendæ; vel ipſa verba, ſeu Pacti, ſeu Teſtamenti, in quo fundantur, vel negotii natura indicat: & de hac quidem ita videtur habendum. 1. Omnis obligatio *ex cauſa onerosa* deſcendens, regulariter *ad Hæredes*, & *in Hæredes transmittitur*; niſi fortè verſetur circa aliquam ſpecialem operam, quæ à quo præſtetur, Creditoris, vel cui præſtetur, Debitoris, manifeſtè intereſt: illius enim obligatio, in perſona Debitoris; hujus verò, in perſona etiam Creditoris, radicari intelligitur: atque hic, ſi quid intuitu operæ, expirante obligatione nondum præſtitæ, ſit datum, reſtitui debet, niſi per ipſum Creditorem ſteterit,

quo

jecto quippe ſublato, accidentia quoque extingui neceſſum eſt. Sæpe tamen in ſuperſtitibus, defunctorum obligatio continuatur. Idque, vel quia ſuperſtes, ex officio pietatis, aut alias ob rationes, defuncti obligationes explendas in ſe ſuſcepit; vel quia ex defuncti bonis obligationi erat ſatisfaciendum, quæ cum iſto onere in Hæredem tranſierunt.

T §. IX.

quo minùs præſtaretur. 2. Omnes obligationes *ex cauſa benefica* oriundæ, circa *operas* merè *perſonales*, naturaliter intelligendæ ſunt *radicari in Perſona*, tum Debitoris, tum Creditoris, ut mortuo horum alterutro evaneſcant. 3. Obligationes *ex cauſa benefica* fluentes, ad aliquam *rem*, aut *quantitatem*, per certa temporis *intervalla* præſtandam, aut *continuum* alicujus *rei uſum* permittendum, ubi *nullus* aſſignatur *Terminus ad quem*, naturaliter videntur *radicari in perſona Creditoris*, *non autem Debitoris:* quod multò magis eſt dicendum, ſi quid alicui, *quoad vixerit*, expreſsè ſit conceſſum. Obligationes verò, licèt *ex cauſa benefica*, ad aliquid dandum *ſemel*, vel *per intervalla*, reiteratis vicibus, vel ad *uſum* rei concedendum, *uſque ad aliquem definitum Terminum*, quem ſupponimus neque eſſe mortem Debitoris, neque Creditoris, in neutrius perſona radicantur; ſed naturaliter *ad Hæredes*, *& in Hæredes*, *tranſeunt:* dico *naturaliter*, quia Legibus poſitivis, aut moribus, ejusmodi obligationes extendi poſſe, vel reſtringi, non eſt dubium. In omnibus verò hiſce caſibus, neque debitoris neque Creditoris morte, expirant obligationes, ad iſta onera, quorum ſolvendorum tempus erat ante elapſum; ſi modò eorum ſolutio, vel directè, vel in ſubſidium, ex bonis Debitoris fieri debuerit. 4. Obligatio ad *pœnam corporalem*, delinquentis *perſonam non egreditur.* Pœna verò pecuniaria, ſicut Legibus civilibus ortum debet, ita, pro varia harum diſpoſitione, in hæredes tranſit, vel ſecùs.

§. IX. Per *Delegationem* (1), ſubſtituit quis creditori ſuo conſentienti debitorem ſuum, ut

§. IX. (1) *Delegatio*, quæ hic ab Auctore deſcribitur, nihil eſt aliud, quàm ceſſio Actionis adverſus tertium competentis, Creditori à Debitore facta; cujus intuitu, huic ſua verſus illum obligatio remittitur: recenſetur itaque inter modos ſolvendi obligationem, non reſpectu Debitoris ceſſi, cujus obligatio transfertur, non ſolvitur; ſed reſpectu cedentis, qui, pro actione quam cedit, immunitatem obtinet obligationis quâ ipſe priùs tenebatur. Vide *Obſ.* in §. 3. *Delegatio* autem, quæ Romanis dicitur, eſt ipſa illa *Expromiſſio*, de quâ *Cap. præced.* §. 14. dixit Auctor: Quæ tum tantùm ad ullum Juris Naturalis effectum eſt neceſſaria, cum quis delegatur pro eo, cui non fuit ante obligatus, eo ſaltem obligationis genere quod transferre eſt penes Creditorem. *Novatio* autem in ſpecie, quâ prior obligatio tolli dicitur per poſteriorem, ejus loco, circa eandem rem (ſed adjectâ vel detractâ aliquâ clauſulâ) inter easdem perſonas contractam, rectè ab Auctore noſtro, de *J. N. & G. h. t.* §. *ult.* Juris Civilis ſubtilitatibus accenſetur; cum Juris Naturalis ſimplicitati conformiùs dicatur, manente cæteroquin priore obligatione, aliquid novâ conventione addi, vel detrahi. Mutatio autem formæ, ex alio ſc. contractu in *Stipulatum*, eſt Juris merè Civilis. Quòd ſi verò obligatio minùs liquida, ex damno dato ſimilive ex cauſa nata, per pactum mutetur in liquidam; hoc manifeſtè referendum eſt ad ea quæ diximus ſuprà, *Obſerv.* in §. 3.

Omnes itaque hactenus recenſiti obligationes ſolvendi modi, reduci poſſunt ad tres, *Solutionem* nimirum, *Ceſſionem* Creditoris in gratiam Debitoris (ſive gratis, ſive ex cauſa oneroſa, factam) & *Defectum Conditionis.* Ad illam ſponte ſe reducit *Compenſatio*: ſub iſta manifeſtè continentur omnes *Transactiones*, *Delegationes*, &c. juxta obſervata in § 3. ſub hoc denique reperiuntur, alterius partis *Perfidia*, *mutatus Status*, *elapſum Tempus*, & *Mors* (quibus addendus eſt

ut hic loco ipſius debitum ſuum exſolvat. Ubi creditoris quidem conſenſus requiritur, non autem tertii iſtius debitoris, quem etiam ignarum & invitum alteri volenti delegare poſſum. Nam nihil intereſt, utri quis ſolvat: multum autem, à quo quis debitum exigat.

eſt *Rei* in ſpecie debitæ *Interitus*) quoties per ullum horum obligatio expirat. Peculiaris verò obligationem abolendi modus, eſt *Confuſio*, quando ſc. Creditor Debitori, vel Debitor Creditori, ſuccedit.

Caput XVII.

De Interpretatione.

I. *Officio ſervit recta verborum interpretatio.* II. *Verba popularia accipienda populari uſu.* III. *Vocabula artium juxta definitiones.* IV. *Conjectura locus in ambiguis aut pugnantibus.* V. *Conjectura formanda ex ſubjecta materia;* VI. *Aut ex effectu & conſequentibus;* VII. *Aut ex conjunctis, vel loco, vel origine.* VIII. *Senſus legis eruitur ex ratione legis.* IX. *Favorabilia latiùs, odioſa ſtrictiùs interpretanda.* X. *Interpretatio quandoque extendenda venit.* XI. *Sæpe reſtringenda, ex originario defectu voluntatis;* XII. *Aut ex caſu emergente adverſo voluntati.* XIII. *Quæ lex, ſi utrique nequit ſatisfieri, præferenda?*

ITA quidem eſt, ut neque in illis quæ imperio injunguntur, quis ulteriùs obligetur quàm hic voluit; neque ad quæ quis ultrò ſeſe adſtringit, ulteriùs teneatur quàm ipſe voluit. Quia tamen de voluntate hominis alter homo judicare non poteſt,

teſt, niſi ex actibus & ſignis in ſenſus incurrentibus; inde demum, *in id quilibet obligari in foro humano* (1) *cenſetur, quod recta* (2) *ſignorum interpretatio ſuggerit.* Unde, tam ad leges quàm ad pacta ritè intelligenda, & exinde officio explendo, plurimum prodeſt, REGULAS BONÆ INTERPRETATIONIS, *circa verba* potiſſimùm, tanquam communiſſimum ſignum, conſtitui.

§. II. De *verbis popularibus*, hæc eſt regula: *Verba regulariter intelligenda ſunt in proprio ſuo & famoſo* (1) *ſignificatu, quem ipſis impoſuit, non tam proprietas, aut analogia Grammatica, aut derivationis conformitas, quàm popularis uſus;* quem penes arbitrium eſt & jus & norma loquendi.

§. III. *Vocabula artium explicanda ſunt ſecundùm definitiones prudentum cujuſque artis.* Quòd ſi vocabula artium à diverſis diverſimodè definiantur, ad lites præſcindendas facit,

§. I. Id eſt, in Negotiis quæ Homini cum aliis Hominibus intercedunt.

(2) Niſi promiſſor (quod rariùs occurrit) probare poſſit, ſe aliter, licèt minùs *rectè*, verba ſua intellexiſſe; quo tamen de caſu, vide *Obſ.* 2. in *Cap. IX.* §. 12. De Interpretatione vide *Grotium*, *Lib. II. Cap. XVI.*

§. II. (1) Niſi ſc. ſpeciales circumſtantiæ aliam interpretationem ſuadeant. Eodem modo limitatam intellige alteram regulam, §. *ſeq.* traditam.

facit, popularibus verbis exprimere, quid per eam vocem intelligamus.

§. IV. *Conjecturis* (1) autem ad eruendum genuinum ſenſum opus eſt, ſi vel verba ſimplicia, aut verborum complexio, ſint *ambigua;* aut ſi partes quædam orationis ſibi invicem *videantur repugnare*, ut tamen dextrâ explicatione adhibitâ conciliari invicem poſſint. Nam ubi certa & manifeſta eſt repugnantia, *poſterius derogabit prioribus* (2),

§. V. Conjecturæ voluntatis, rectique ſenſûs, in ſermone ambiguo aut intricato, petuntur potiſſimùm *ex ſubſtrata materia*, *ex effectu*, & *conjunctis.*

1. Circa *Materiam*, hæc eſt regula: *Verba regulariter ſunt intelligenda ſecundùm ſubſtratam materiam.* Nam ſemper, illi qui locutus eſt, materia, de qua ſermo inſtitutus eſt, ob oculos verſari præſumitur; ideoque ſemper ad eandem ſententia verborum attemperanda.

§. VI. 2. De *Effectu & Conſequentibus*, hæc eſt regula: *Ubi verba crudè & ſimpliciter accepta, vel nullum, vel abſurdum aliquem effectum, poſt ſe eſſent tractura; à receptiore ſenſu*

 pau-

§. IV. (1) Aliunde ſc. petitis, quàm ab ipſis verbis eorumque recepto uſu.

(2) Supponi hìc debent diverſi actus; nam ſi quæſtio ſit de diverſis clauſulis ejusdem Legis, Pacti, vel Teſta-

paulisper deflectendum, quatenus nullitatis aut abſurditatis vitandæ neceſſitas requirit.

§. VII. 3. Ex *Conjunctis* validiſſimæ ſumuntur conjecturæ; quia regulariter quilibet ſibi conſtare præſumitur. *Conjuncta* ſunt, vel *loco*, vel *tantùm origine.* De prioribus hæc eſt Regula: *Si ſenſus in ejusdem ſermonis loco aliquo planè & perſpicuè ſit expreſſus, obſcuriores locutiones ex illis planis ſunt interpretandæ.* Cui vicina eſt altera: *In omni ſermone interpretando, accuratè ad antecedentia & conſequentia eſt attendendum, quibus interjecta attemperari & reſpondere præſumuntur.* De poſterioribus autem iſta habetur regula: *Unius & ejusdem hominis obſcurum dictum interpretandum eſt ex ipſius dictis clarioribus, licèt alio tempore & loco prolatis; niſi manifeſtè adpareat, ipſum ſententiam mutâſſe.*

§. VIII. Plurimum quoque prodeſt ad verum ſenſum inveſtigandum, in legibus cum primis, inſpicere *rationem legis*, ſeu cauſam & reſpectum illum, qui ad legem ferendam latorem moverit; inprimis ubi conſtat, unicam

Teſtamenti; quas, rectè intellectas, inter ſe collidi, haud facilè eſt putandum; aliis opus eſt Criteriis: vide infrà, §. *ult. Regg.* 1. 2, 3, 4, & 5. Præterea, is ſupponi debet prior actus, quo nullum Jus cuiquam, in Poſteriorem non conſentienti, ſit quæſitum: aliàs enim obtinet Regula ab Auctore ſuprà allegata, *Cap. IX.* §. 19. in fine. *Qui prior Tempore, eſt potior Jure.* Hæc Regula, fateor, non tam ad interpretationem attinet, quàm ad validitatem, ejus quod actum eſt: ſed fruſtrà quæritur de Interpretatione actûs invalidi.

cam eam legis rationem fuiſſe. De qua hæc regula eſt: *Illa interpretatio legis eſt ſequenda, quæ rationi legis congruit; & contrà rejicienda, quæ ab eadem diſcrepat.* Item, *Ceſſante ratione legis unicâ & adæquatâ, ceſſat ipſa lex.* Verùm ubi plures ejusdem legis fuerint rationes, non ſtatim unâ ceſſante tota lex ceſſat; cum reliquæ rationes ad ejus vim ſuſtinendam ſufficere poſſint. Sæpe quoque ſola voluntas (1) legislatoris ſufficit, utut ratio legis ſubjectos lateat.

§. IX. Obſervandum præterea eſt, multa vocabula habere plures unâ *ſignificationes*, alteram *laxiorem*, alteram *ſtrictiorem* (1). Sed

§. VIII. (1) Non igitur, quando ceſſant omnes Legis rationes nobis notæ, ceſſare ſtatim ipſa Lex cenſenda eſt; ſed tum demum, quando ex ipſo Legis tenore conſtat, eas rationes unicè ob oculos habuiſſe Legis conditorem; atque adeò nec voluiſſe Legem diutius vigere, quàm iſtæ rationes manerent: aliàs enim, ut ſupereſſe poſſunt Legis rationes Subditis ignotæ; ita, ceſſantibus omnibus rationibus particularibus, ſupereſſe poteſt univerſalis ratio, quâ Lex ſuſtineatur, *Legum* ſc. *Auctoritatis conſervandæ neceſſitas.* Si verò quæſtio ſit, non de vigore ipſius Legis; ſed de ejus applicatione ad particularem aliquem caſum; vide infrà, *Obſ.* 2. ad §. 11.

§. IX. (1) Cave tamen ne putes, Sermonis ſemper latiorem, ſive magis comprehenſivum, eſſe ſenſum, ubi in eo occurrens vocabulum laxiùs uſurpatur; anguſtiorem contrà eſſe ſenſum, ubi id vocabulum ſumitur ſtrictiùs. Hoc quidem ita ſe habet, ubi propoſitum vocabulum ſumitur *univerſaliter*, id eſt, pro tota extenſione ideæ pro qua ſubſtituitur

& aliam *materiam* eſſe *favorabilem*, aliam *odioſam*, aliam *mixtam*. *Favorabile* eſt, quod utriuſque partis æqualem facit conditiõnem, quod communem utilitatem ſpectat, quod actus quoslibet conſervat, quod pacem promovet, &c. *Odioſum* eſt, quod unam duntaxat partem, aut unam magis quàm alteram, gravat, quod pœnam in ſe continet, quod actum reddit irritum, aut priora immutat, quod bellum promovet. *Mixtum* eſt, v. g. ſi quod priora quidem immutet, ſed pacis tamen causâ.

De iſtis hæc eſt regula: *Favorabilia latiùs, Odioſa ſtrictiùs interpretanda* (2).

§. X.

ſed planè contrà ſe res habet, ubi id vocabulum ſumitur *particulariter*, atque adeò non pro totâ extenſione, ſed pro tota comprehenſione, iſtius ideæ: hoc ſc. in caſu, quo major eſt comprehenſio, atque adeò minor extenſio, ideæ, eò plus in enunciatione includitur; & vice verſâ: ut genuinæ Logicæ periti ſatis nôrunt.

(2) Nullam video ſatis idoneam cauſam, cur hanc Regulam, adeò naturalem, atque adeò conſentientibus omnium ferè hominum ſuffragiis comprobatam, convellendam ſibi cenſuerint Clariſſimi Viri *Titius & Barbeyracius*. Eſſe enim in rebus hanc diſtinctionem, hoc eſt, eſſe alias res aliis in ſe optabiliores; vel potiùs, eſſe alias rerum facies, ſub quibus *optabiles*, alias ſub quibus *averſabiles*, haberi debeant, communis omnium ſenſus dictitat; ut fruſtrà hic certæ *Favorabilis & Odioſi* definitiones deſiderentur: iſtam verò diſtinctionem debere, in ambiguo ſermone interpretando, nonnihil habere momenti; ut, quoad verborum uſus aliæque circum-

ſtantiæ

§. X. Dantur quoque *Conjecturæ* (1) *ali-*
T 5 *unde*

ſtantiæ permittunt, hanc vel illam dicentis fuiſſe mentem putemus; non minùs eſt certum. Reprehendunt quidem favorabilium & odioſorum inſtantias, à *Grotio* & Auctore noſtro allatas, tanquam inter ſe malè cohærentes; quatenus, quod communem ſpectat utilitatem, dicitur eſſe favorabile; quod pœnam continet, odioſum; cum tamen pœnarum, inquiunt, impoſitio communem ſpectet utilitatem: atqui hæc inſtantia nihil aliud probat, quàm quod ipſe Auctor fatetur, eſſe quaſdam res *mixtæ Qualitatis*, quæ aliquid odii, aliquid favoris, in ſe continent. Pœnarum inflictio in ſe, hoc eſt, quatenus puniti perpeſſionem & dolorem includit, eſt odioſa; quatenus ad publicam utilitatem ſpectat, eſt favorabilis: atque hujus conſiderationis, ubi reipſa locum habet, favor, illius odium abſorbet: interim, ut homini inflictus dolor, non ſimpliciter & in ſe, ſed intra certum modum, & in certis circumſtantiis, ad publicam utilitatem tendit; ita, quatenus eſt in ſe odioſus, non ulteriùs ad eum finem deſiderari, vel à Legis Conditore injungi, eſt cenſendus, quàm evidentes rationes, aut manifeſta voluntatis indicia, evicerint. Non eſt igitur prædicta regula *Naſus Cereus*, quantumvis eam, ut & optimas quaſque regulas, homines minùs attenti, vel affectuum impetu abrepti, male applicando poſſint torquere.

§. X. (1) Rectiùs Auctor, de *J. N. & G. h. t.* §. 17. *Dantur & aliæ Conjecturæ*, &c. Nam & conjecturæ *præced.* §. memoratæ, aliunde quàm ex verbis petuntur, nimirum à materia *favorabili*, vel *odioſa;* & faciunt ad interpretationem *extendendam*, vel *coarctandam*. Fateor interim (quod & Auctor *d. l.* innuit) interpretationes extendentes, quæ hic, & reſtringentes, quæ *ſeqq.* §§. indicantur, minùs à verbis pendere, quàm eas, de quibus *præced.* §. tractabatur: illic enim ſupponebantur interpretationes

unde quàm ex verbis ortæ, quæ efficiunt, ut *Interpretatio* quandoque ſit *extendenda*, quandoque *coarctanda*. Etſi facilius dentur rationes, quæ ſuadeant interpretationem coarctari, quàm extendi.

Poteſt igitur lex ad caſum, qui in lege non exprimitur, extendi, ſi conſtet, rationem, quæ in illum caſum quadrat, unicam (2) fuiſſe, quæ legislatorem moverit, eamque ab ipſo conſideratam fuiſſe in ſua generalitate, & ut æquipollentes quoque caſus complecteretur. Sed & extendi lex debet ad illos caſus, qui in fraudem legis ab hominibus pravè ſolertibus inveniuntur.

§. XI. Ut autem verba generaliter poſita *reſtringantur*, contingit aut ex *defectu voluntatis originario*, aut *ex caſus emergentis cum volun-*

tiones à communi verborum uſu non penitùs abhorrentes; hìc verò eæ, quas verba nulla ſui parte præ ſe ferunt, quaſque eò firmioribus fulciri conjecturis eſt neceſſe.

(2) Intellige & *Adæquatam*: aptiùs enim hoc vocabulum hìc adderetur, quàm §. *ſeq. n.* 2. Quoties enim à *ratione* legis *unica* argumentamur affirmativè, ut hìc; ita intelligitur iſta phraſis, ut excludat præcipuè alias rationes cum hac concurrentes, ad unam adæquatam rationem conſtituendam: quando autem ab *unicâ ratione* negativè argumentamur, ut §. *ſeq.* ſumitur ita, ut excludat magis alias rationes, ſeorſum ab hac ad Legis conditorem movendum ſufficientes.

Digitized by Google

voluntate repugnantia (1). Quod aliquis ab initio quid noluiſſe præſumatur, intelligitur. 1. Ex *Abſurdo*, quod aliàs inde ſequeretur; id quod nemo ſanus voluiſſe judicatur. Inde verba generalia ſunt reſtringenda, in quantum aliàs Abſurditas inde erat emerſura. 2. Ex *Defectu Rationis* (2) quæ

§. XI. (1). Meritò Cl. Annotatores ante memorati, juſtam hìc oppoſitionem deſiderant: *Caſum* quippe *emergentem voluntati repugnare*, nihil aliud hic notat, quàm eum de cujus voluntate intelligenda agitur, *noluiſſe verba ſua, utcunque generalia, ad talem caſum extendi*: ſive enim de tali caſu *actu cogitaverit*, ſive *non*, parùm intereſt. Et ſi vel maximè de hoc diſcrimine, cum *Barbeyracio* ad *Grotii d. c.* §. 22. hanc Auctoris noſtri & ipſius *Grotii*, diſtinctionem intelligi velimus, nihil proficiemus; cum infrà adhibita indicia haudquaquam oſtendant, utrùm is de cujus ſententia ambigitur, de tali caſu actu cogitaverit necne.

(2) Vide quæ notavimus ad §. 8. Porrò, cum Leges poſitivæ, quo magis ancipitibus diſceptationibus anſam præcidant, actiones, earumque circumſtantias, à quibus hominum adverſus ſe mutuò jura atque obligationes pendere volunt, per ſenſibiles & diſcretu facillimas notas ſoleant definire easque ſimul rerum naturæ ita attemperatas, ut eæ Leges *plerumque* à naturali, ad quam collineant, æquitate, quam minimum fieri poſſit, recedant; non ſunt ſtatim ab iis Legibus eximendi caſus, in quibùs forte ſingulariter ſpectatis, ea quæ intenditur æquitatis ratio non urget; ſi modò ſalva ſit utilitas, æquitati illi *ut plurimum* conſulendi, per generalem aliquam, & ambiguæ applicationi minimè obnoxiam Regulam; nec in eâdem regulâ his etiam caſibus applicandâ, quidquam ſit abſurdi, aut iniqui. Vide *Grotium, d. c.* §. 25. nec non *Lib. I. Cap. III.* §. 5. *n.* 3.

quæ unicè ipſius voluntatem movit. Inde ſub generali locutione non comprehenduntur caſus, in quos ratio legis unica & adæquata non quadrat. 3. Ex *Defectu Materiæ*, de qua ſemper is qui loquitur cogitâſſe cenſetur. Inde & ad eandem verba generalia ſunt attemperanda.

§. XII. Quòd autem caſus, qui poſtea emergit, cum voluntate ejus, qui aliquid conſtituit, pugnet; id deprehenditur, vel *ex naturali ratione*, vel *ex aliquo ſigno voluntatis.*

Prius contingit, ſi ab æquitate foret diſcedendum (1), niſi certi caſus ab generali lege eximerentur. Eſt quippe *Æquitas* (2) correctio ejus, in quo lex deficit ob univerſalitatem. Quia enim non omnes caſus prævideri, nec ob infinitam varietatem exprimi poſſunt: ideo quando generalia verba ad ſpeciales caſus ſunt adplicanda, exi-

§. XII. (1) Hic repetit Auctor aliis verbis, quod *præced.* §. dixerat, de reſtringentis interpretationis ratione petenda ab *abſurdo*: nec mirum; cum hic atque illic idem quæratur.

(2) Hæc repetuntur ex *Cap. II.* §. X. Non immeritò interim reprehendit *Titius* (ſed neſcio an ſatis memor cum ipſo *Ariſtotele* ei negotium eſſe) quòd ad ſolam interpretationem reſtringentem *Æquitas* coarctetur; cum æquè ad extendentem, imo ad omnem interpretationem, pertineat.

eximendi ſunt illi caſus, quos exemturus fuerat ipſe legislator, ſi ſuper tali caſu conſultus fuiſſet (3). Ad iſthanc tamen æquitatem decurrere non licet, niſi ſufficientia indicia ſubigant. Inter quæ certiſſimum eſt, ſi adpareat, violatum iri legem naturalem, ubi preſſè quis literam legis humanæ ſequi velit. Proximum ab hoc, ſi non quidem illicitum ſit verba legis ſequi; ſed tamen rem humaniter æſtimanti id nimis videatur grave & intolerabile, ſive in univerſum omnibus hominibus, ſive certis perſonis: aut ſi finis tanti non videatur, qui tam carè ſit redimendus.

§. XIII. Denique, & ab univerſali locutione facienda eſt exceptio, ſi verba alio loco poſita (1), cum præſenti lege aut pacto non quidem directè pugnant, ſed propter certam temporis circumſtantiam heic, & nunc ſimul obſervari nequeunt, Heîc igitur certæ ſunt obſervandæ regulæ, ut intelligi poſſit, *quænam lex in eo caſu, ubi utrique* (2) *ſimul ſatisfieri nequit, præferri debeat.*

1. *Id*

(3) Vide ſuprà, *Obſ.* 2. in *Cap. II.* §. X. ut & locum *Grotii*, illic & in *Obſ.* ad *præced.* §. citatum.

§. XIII. (1) Hæc ſc. ſunt ſigna voluntatis, de quibus Auctor dixerat initio §. *præced.*

(2) Utrique ſc. intellectæ citra tacitam exceptionem ex altera petendam.

1. *Id quod permittitur tantùm, cedit ei, quod jubetur* (3).

2. *Quod faciendum eſt certo tempore, præfertur ei, quod quovis tempore fieri poteſt.*

3. *Affirmativum præceptum cedit negativo* (4); ſeu

(3) Clariſſimi Viri, *Titius* & *Barbeyracius*, nullo fundamento niti contendunt hanc regulam; cum in *permiſſionis* & *præcepti* conflictu, *ſpecialius*, ut ipſi volunt, *deroget generaliori:* Quod quidem nos agnoſcimus ita ſe habere, ſi unius univerſa materia ſub alterius terminis ita contineatur, ut illud, niſi huic derogaret; omni planè effectu deſtitueretur: hoc, inquam, in caſu, quin permiſſio ſpecialior generaliori præcepto deroget, non eſt dubitandum. Si verò permiſſio, ut hìc ſupponitur, Legi prohibenti vel præcipienti, per accidens tantùm opponatur; omnino credendus eſt is, qui permittit (ut loquitur *Grotius d. Cap. XVI.* §. 29.) ita permittere, *niſi aliud quid obſtet, quàm de quo ibi agitur.* Hactenus itaque obtinet regula.

(4) Hanc quoque Regulam impugnant ſupra laudati Annotatores contendentes, etiam *affirmativum præceptum ſpecialius, negativo generaliori derogare:* quod nos quidem concedimus in iis caſibus, quibus permiſſionem ſpecialem generaliori præcepto derogare, ſuprà admiſimus. Quemadmodum verò, ſi præceptum affirmativum nullum tempus definiat, & poſſit effectum ſuum obtinere iis temporibus, quibus cum negativo non colliditur, manifeſtè locum habet regula ab Auctore tradita; ita, ſi præceptum affirmativum, certo tempore, aut certo in caſu, aliquid fieri jubens, per accidens tantùm collidatur cum negativo, putaverim non tam generalitatis aut ſpecialitatis hìc habendam eſſe rationem (cum neutrius præcepti materia univerſa ſub alterius terminis contineri

ſeu quando præcepto affirmativo ſatisfieri nequit, niſi violato præcepto negativo, iſtius impletio erit in præſens omittenda.

4. *Inter conventiones, legesque cætera æquales, peculiaris præfertur generali* (5).

5. *Inter duas præſtationes, certo temporis articulo invicem colliſas, quarum una cauſas magis honeſtas aut utiles, quàm altera habet, hanc iſti cedere par fuerit* (6).

6. *Injuratum Pactum cedit jurato* (7), *quando utrique ſimul ſatisfieri nequit.*

7. *Obli-*

tineri ſupponatur) quàm illius prærogativæ, à cauſarum honeſtate aut utilitate petitæ, quæ in regula quinta reſpicitur.

(5) Quibus in caſibus, hæc regula, ad permiſſionis & præcepti, vel duorum præceptorum, conflictum tollendum, applicari debeat, intelligi poteſt ex duabus proximè præcedentibus obſervationibus.

(6) Hæc quidem regula eſt præcipui uſûs, ubi duo actus obligationem parientes, per accidens inter ſe colliduntur; ut ſuprà innuimus.

(7) Videndum inprimis, annon ope præcedentium regularum, quartæ præcipuè & quintæ, duo pacta, præſertim ſi cum eodem ſint inita, inter ſe conciliari queant. Quòd ſi verò conſtet, ea directè inter ſe opponi: pactorum cum eodem initorum præferendum eſt poſterius: cum diverſis initorum, prius, Confer ſuprà, *Cap. XI.* §. 6.

7. *Obligationi perfectæ cedit imperfecta* (8).

8. *Lex Beneficentiæ, cæteris paribus*, *cedit legi Gratitudinis.*

(8) Hæc regula & ſequens, ut rectè monuit, *Barbeyracius*, ſunt quintæ conſectaria. Quo etiam pertinet, quòd obligatio ex cauſa oneroſa deſcendens, præpolleat ei quæ naſcitur ex promiſſo gratuito, ſi utraque expleri nequeat.

S. PUFFENDORFII

DE OFFICIO

Hominis & Civis,

Juxta Legem Naturalem,

LIBER SECUNDUS;

QUI EST,

DE OFFICIO CIVIS.

Digitized by Google

De Officio Hominis & Civis.

LIBER SECUNDUS.

Caput I.

De Statu Hominum Naturali. *

I. *Officia ex diverſo ſtatu oriunda.* II. *Status naturalis triplex conſideratio:* III. *Vel in ordine ad DEUM Creatorem;* IV. *Vel in ordine ſingulorum ad ſeipſos;* V. *Vel denique in ordine ad alios homines.* VI. *Hic ſpectari poteſt, vel fictus, vel verus.* VI. *Hic paulatim revera cœpit.* VIII. *Eſtque ſtatus libertatis & æqualitatis;* IX. *Graviſſimis interim incommodis expoſitus.* X. *Controverſiæ in eo ortæ, quomodo dirimendæ?* XI. *Hominum amicitia in illo parùm firma.*

PROXIMUM eſt, ut inquiramus de illis *Officiis*, quæ homini obeunda incumbunt ex diverſo ſtatu, in quo in vita communi degere deprehenditur. Vocamus autem Statum in genere, illam *Conditionem, in qua Homines conſtituti intelliguntur ad certum genus actionum obeundum.* Quem etiam peculiaria ferè jura comitantur (1).

* Doctrinam hujus Capitis, præter §. 10. (quæ ſola in majore opere hunc locum obtinet) Auctor tradit, *J. N. & G. Lib. II. Cap. II.*

§. I. (1) Eſt itaque *Status*, *Conditio Hominis moraliter*

§. II. *Status* Hominum eſt, vel *Naturalis*, vel *Adventitius* (1).

Naturalis triplici modo conſiderari, ſolo prælucente rationis lumine, poteſt; vel in ordine *ad DEUM Creatorem*; vel in ordine *ſingulorum Hominum ad ſeipſos*, vel in ordine *ad alios Homines*.

§. III. *Priori modo* conſiderâtus (1) *Naturalis*

liter conſiderata, id eſt, quatenus certa Jura, vel certas Obligationes, includit; idque non ad unam aliquam tranſeuntem actionem, vel omiſſionem, ſed ad continuam ſeriem. Interim, cum omnes generales Jurium atque Obligationum fontes, in ſuperiore Libro, noſtriſque in eum obſervationibus, ſint indicati; non ſunt Officia hoc Libro inculcanda, à præcedentibus diverſa; ſed ex iis nonnulla, prout oriuntur à quibuſdam recenſitorum fontium, ad particularem aliquam Societatem; atque adeò ſtatum adventitium, producendum, applicatis, ſpecialiùs circumſcripta.

§. II. (1) Status *Naturalis* conſiderari poteſt, vel per modum *abſtrahendi*, quo ſenſu cum omnibus ſtatibus adventitiis concurrit; vel per modum *negandi*, quo ſenſu per quemlibet ſtatum adventitium aliquatenus ſaltem tollitur. Hujus diſtinctionis omiſſio, doctrinam Auctoris, hîc & *ſeqq.* §§. traditam, confuſam reddidit. Vide *Obſervat.* in §. *ſeq.*

§. III. *admodam* (1) Status *Naturalis*, uno quolibet trium reſpectuum, §. *præced.* recenſitorum, conſideratus, admittit bimembrem iſtam diſtinctionem, quam propoſuimus *Obſerv.* in *d.* §. Minùs itaque accuratè Auctor, ſtatum naturalem in ordine ad *DEUM*, concipit tantùm per modum *abſtrahendi*; in ordine verò cujuſque hominis ad *ſeipſum*, & ad *alios Homines*, tantùm per modum *negandi*. Rectiùs dixeris, *Statum* Hominis *Naturalem* per modum *abſtrahendi* conſideratum, (quì in genere dici poteſt Status *Humanitatis*,

lis ſtatus hominis, eſt illa conditio, in qua à Creatore eſt conſtitutus, dum eximium præ ceteris animal eundem eſſe voluit. Ex quo ſtatu fluit, quòd homo debeat Autorem ſui agnoſcere, colere, & ipſius opera admirari; ac diverſa planè ratione à brutis vitam ſuam exigere. Inde & ei ſtatui opponitur *vita & conditio Brutorum.*

§. IV. *Altero modo, Statum* hominis *naturalem* conſiderare poſſumus, ſi animo fingamus, *qualis ejusdem conditio futura eſſet, ſi quilibet ſibi ſoli relictus foret, ſine ullo adminiculo ab aliis hominibus accedente, & quidem poſitâ illâ naturæ humanæ conditione, qualis jam deprehen-*

tatis, vitæ & conditioni Brutorum oppoſitus) ſi ad *DEUM* referatur, eſſe ſtatum *Religioſitatis*, quo Homo DEUM ſui Auctorem agnoſcere & colere tenetur; ſi ad *ſeipſum*, eſſe ſtatum regularis *Philautiæ*, quo quisque tenetur ſe curare, ſuamque innoxiam utilitatem promovere; ſi denique ad *alios Homines*, eſſe ſtatum *Socialitatis*, quo quisque inclinationem & vitam ſocialem inter Homines tenetur fovere. Quòd ſi verò per modum *negandi Status Naturalis* intelligatur, ut excludat Status *Adventitios*, ſive omnes, ſive certos quosdam; hoc ſenſu, *Status Naturalis* in ordine ad *DEUM* dici póterit, eorum conditio, quibus naturalia tantùm DEUM cognoſcendi media ſunt conceſſa; vel latiùs, eorum in quibus nativum animi vitium non eſt divinâ gratiâ ſuperatum; quo poſteriore ſenſu, *Status Naturalis* appellatio apud Theologos uſurpatur: qui, licèt ita acceptus includat pravam qualitatem, Naturæ humanæ adventitiam, dicitur tamen *Naturalis*, quatenus cujusque ortum comitatur. *Status* porrò *Naturalis*, *negativè* acceptus, in ordine cujusque ad *ſeipſum*, & ad *alios Homines*, ab ipſo Auctore *ſeq.* §§. deſcribitur.

ditur. Quæ ſanè miſerior (1) quàm cujusvis belluæ videtur futura fuiſſe; ſi expendatur, quanta cum debilitate in hunc mundum jam egrediatur homo, periturus ſtatim ſine aliorum auxilio; & quàm rudem ſit vitam idem exacturus, ſi nihil aliud cuique adeſſet, quàm quod propriis viribus ingenioque debeat. Quin potiùs, quòd ex tanta imbecillitate adoleſcere potuimus, quòd infinitis jam commoditatibus fruimur, quòd animum corpusque in noſtrum & aliorum uſum excoluimus, id omne ab auxilio aliorum hominum provenit. Et in hoc ſenſu, *Status naturalis* opponitur *vitæ per induſtriam hominum excultæ.*

§. V. *Tertio modo*, *Statum* hominis *naturalem* conſideramus, *prout intelliguntur homines ſeſe invicem habere ex nuda illa & communi cognatione, quæ ex ſimilitudine naturæ reſultat, ante pactum aliquod aut factum humanum, quo peculiariter unus alteri redditus fuit obſtrictus.* Quo ſenſu, in ſtatu naturali invicem vivere dicun-

§. IV. (1) Confer ſuprà, *Lib. I. Cap. III* §. 3. Hic animadvertit *Titius*, impropriè admodum ſtatum *Solitudinis* dici *Naturalem*; imo eum potiùs eſſe *Præternaturalem*, cum DEUS Hominem deſtinaverit ad ſocialitatem. Atqui *Naturale* non hîc eo ſenſu ſumitur, quo coincidit cum *Connaturali*, atque adeò *Præternaturali* opponitur; ſed quo excludit *Adventitium*, id inprimis, quod à DEI extraordinario, vel aliorum Hominum qualicunque, ſubſidio, ad Hominem excolendum & exornandum poteſt accedere: quemadmodum ipſe Auctor diſertè notat, ab initio *Cap. II. Lib. II.* de *J. N. & G.*

cuntur, qui neque communem habent dominum, & quorum unus alteri non eſt ſubjectus, quique inter ſe neque beneficio neque injuriâ ſunt cogniti. Quo ſenſu, *Status Naturalis* opponitur *ſtatui civili* (1).

§. VI. Hujus porrò *Naturalis Statûs* indoles conſiderari poteſt, vel prout *per fictionem* repræſentatur, vel prout *reverà* exiſtit. Prius fit, ſi vel concipiamus, ab initio aliquam multitudinem hominum ſimul extitiſſe, ſine ulla unius ab altero dependentia; uti de Cadmæis fratribus in fabulis eſt: vel ſi fingamus, totum genus humanum jam ita diſſolutum eſſe, ut quilibet ſeipſum ſeorſim gubernaret; & nemo ulli alio eſſet vinculo conjunctus, quàm ſimilitudine naturæ. Sed ſtatus naturalis, qui reverà exiſtit, id habet; ut quis cum aliquibus hominibus peculiari ſocietate jungatur; cum reliquis autem omnibus nihil præter ſpeciem humanam obtineat commune, nec alio nomine quidquam ipſis debeat. Qualis ſtatus jam inter diverſas civitates, ac cives diverſarum rerumpublicarum, exiſtit; & quondam inter patres-familias ſegreges obtinebat.

§. VII. Manifeſtum quippe eſt, univerſum genus humanum, nunquam ſimul & ſemel

§. V. (1) Rectè animadvertit dictus modò Cl. Obſervator, Statum hominis *Naturalem* in ordine ad *alios Homines*, prout hìc deſcribitur, non modò Statum *Civilem* excludere, ſed generaliùs, quemlibet *adventitium*, quo homini adverſus alium hominem jus vel obligatio naſcitur.

ſemel in ſtatu naturali extitiſſe. Qui enim ex protoplaſtis geniti erant, ex quibus quidquid eſt mortalium originem ducit, prout divinæ tradunt Scripturæ, eidem poteſtati patriæ (1) ſubjecti erant. Neque tamen eo minùs, poſtea ſtatus hicce naturalis inter quosdam homines emerſit (2). Nam primi mortalium; ut orbem adhuc vaſtum

§. VII. (1) Hoc eſt, poteſtati ejusdem Patris: quam (ut credibile eſt) etiam maturum rationis uſum adepti, quamdiu in familia paterna, vel ejus vicinia, manerent, expreſsè aut tacitè prorogatam voluerunt.

(2) Hoc eſt, per manifeſta effecta ſe prodidit: alias enim non potuit non exiſtere, niſi quatenus aliquo facto humano fuit ſublatus, vel impeditus; quod ipſa *Status Naturalis* appellatio ſupponit. Breviter, res ita ſe habet. Qui ex Protoplaſtis, aut ſuccedentibus Patriarchis, geniti erant, cum in mundum prodirent Infantes, atque adeò ſuis actionibus dirigendis impares; licèt pari eſſent, cum Parentibus, naturalis libertatis jure præditi, eo tamen haud ſtatim uti potuerunt; ſed durante rationis immaturitate, ut Parentum intellectu dirigi, ita eorundem quoque voluntate duci, egebant: quin & maturam ætatem conſecuti, evitare non poterant, quamdiu in patris familia, vel etiam territorio, (imo vix, ſalvo pietatis officio, dum in ejus vicinia) degerent, quin patri, conſenſu ſuo expreſſo, vel tacito, illud in ſe imperium permitterent, quod in univerſos penes aliquem conſtitui, ad mutuam pacem conſervandam, & ſecuritatem adverſus exteros præſtandam, videretur pro tempore neceſſarium. Confer *Lockii Tract. Poſt. de Imperio*, §§. 73. 74. *& ſeqq.* Quam primùm verò, vel Patris obitu, iſta unio (ſive ut pendens à communi Domino Terrarum, nunc inter plures diviſarum, ſive ut aliàs in ipſius Patris perſona radicata) eſſet ſoluta; vel filii, quod ſæpiùs fiebat, relictis paternis,

ſtum implerent, & laxiorem ſibi ſuisque pecoribus habitationem quærerent, relictis laribus paternis in diverſa diſceſſerunt, ſuamque ſibi ferè ſinguli mares familiam conſtituerunt. Inter quorum poſteros itidem ſeſe diſpergentes, peculiare cognationis vinculum, & ortus inde affectus, paulatim exolevit, & commune tantùm illud, ex ſimilitudine naturæ reſultans, remanſit. Donec poſtea, cum genus humanum inſigniter fuiſſet multiplicatum, deprehenſis vitæ ſegregis incommodis, paulatim proximi quique cohabitantes in civitates coivere, minores primò, dein majores, ex pluribus minoribus, ultrò aut per vim coalitis. Quas inter civitates, utpote nullo alio quam communis humanitatis vinculo junctas, ſtatus naturalis utique adhuc exiſtit.

§. VIII. Eorum autem qui in ſtatu naturali vivunt, hoc eſt præcipuum *Jus*, quòd *Nemini præterquam DEO ſint ſubjecti atque obnoxii.* Quo reſpectu etiam, ille ſtatus nomine *Libertatis Naturalis* venit; per quam quilibet, citra antegreſſum factum humanum, ſui juris poteſtatisque, ac nullius hominis imperio ſubjectus, eſſe intelligitur. Quo ipſo etiam, quivis cuivis alteri, cui

U 5

ternis, novas ſibi ſedes, præſertim remotiores, quærerent, quas alieno imperio ſubjicere non placeret; tum demum filiorum naturalis libertas cœpit ſe exerere: atque ita plures independentes Hominum Societates ſunt exortæ; quemadmodum ipſe Auctor hic explicat.

cui neque ipſe ſubjectus eſt, neque eundem ſibi ſubjectum habet, *æqualis* cenſetur.

Cum porrò homini lumen rationis ſit inſitum, quo prælucente actiones ſuas temperare poſſit; conſequitur, quemlibet, qui in naturali libertate vivit, in regundis ſuis actionibus à nullo mortalium dependere; ſed ex proprio judicio atque arbitrio omnia, quæ ſanæ rationi congruunt (1), agendi habere poteſtatem. Et cum homo, ob communem inclinationem omnibus animantibus inſitam, non poſſit ad conſervationem ſui corporis vitæque, nec non ad diſpellenda ea quæ eandem deſtruere videntur, non omnibus modis incumbere, mediaque ad eum finem adhibere; & verò in ſtatu naturali, nemo habeat alterum hominem ſuperiorem, cui voluntatem judiciumque ſuum ſubmiſerit; inde in eo ſtatu, quilibet ex proprio judicio definit de aptitudine mediorum, an ad conſervationem ſui conducant, nec ne. Nam ſi vel maximè alterius conſilium audiat, penes ipſum tamen eſt, an velit alienum conſilium probare, vel non. Ut tamen iſthæc propria ſui gubernatio rectè ſeſe habeat, requiritur, ut ea juxta dictamen rectæ rationis, legemque naturalem, ſuſcipiatur.

§. IX.

§. VIII. (1) Hâc cautelâ, ut & eâ quæ diſertiùs additur in fine h. §. rectè innuit Auctor, *Libertatem Naturalem* cum *Licentia Hobbiana* minimè eſſe confundendam.

§. IX. Status naturalis, utut libertatis nomine, & immunitatis ab omni ſubjectione, inſigniter blandiatur; idem tamen, antequam ab hominibus in civitates fuerit conceſſum, plurima habet adjuncta *incommoda*; ſive fingamus omnes & ſingulos in eo exiſtere, ſive conſideremus conditionem patrumfamilias ſegregum. Nam ſi animo concipias (1) hominem, etiam adultâ ætate, in hoc mundo deſtitutum ſolum, & ſine omnibus commodis & adminiculis, quibus vitam cultiorem & molliorem reddidit ſolertia hominum; videbis animal nudum, mutum, inops, famem radicibus & herbis, ſitim obviâ aquâ, injurias aeris antris, utcunque diſpellens, feris beſtiis expoſitum, & ad cujusvis occurſum pavidum. Paulò cultior vita potuit eſſe inter eos, qui in familiis ſegregibus degebant. Sed quæ tamen cum vita civili nullo modo comparari poterat; non tam ob indigentiam, quam inter coercitas cupiditates familia ſic ſatis videtur poſſe diſpellere, quàm quòd ſecuritati parùm ibi ſit conſultum. Et ut in pauca rem conferamus (2), in ſtatu naturali quisque pro-

§. IX. (1) Quæ hìc repetuntur ex *Lib. I. Cap. III.* §. 3. minùs ad rem faciunt; cum poſſit eſſe ſociabilis Hominum convictus, absque ullo particularis Societatis vinculo; ut rectè docet ipſe Auctor, de *J. N. & G. Lib. II. Cap. II.* §. 5. *prope finem.*

(2) Quæ ſequuntur, ad finem hujus §. ex *Hobbio* deſumpſit Auctor, fortè nimis ſecurè; eo certè nomine

propriis tantùm viribus protegitur; in civitate omnium: ibi fructus ab induſtria ſua nemini certus; heìc omnibus: ibi imperium affectuum, bellum, metus, paupertas, fœditas, ſolitudo, barbaries, ignorantia, feritas: heîc imperium rationis, pax, ſecuritas, divitiæ, ornatus, ſocietas, elegantia, ſcientiæ, benevolentia.

§. X. In ſtatu porro naturali, ſi vel quis alteri ultrò non præſtet, quæ ex pacto debet, aut ſi injuriam intulit, aut ſi aliàs controverſiæ quid oriatur; nemo eſt, qui pro imperio alterum ad præſtandum debitum, reparandamve injuriam, adigere, litemque decidere, poſſit; uti in civitatibus, ubi judicis communis auxilium implorare datur. Quia tamen non ob quamvis cauſam natura in bellum ruere permittit, etiam ubi quis de juſtitia ſuæ cauſæ ampliter ſit perſuaſus: igitur priùs tentandum, num molliori viâ (1) res poſſit componi, diſ-

cepta-

mine Cl. Viris *Titio* & *Barbeyracio* jamdudum dedit pœnas. Horum quidem ego ſeveriores cenſuras nolim temerè meas facere; multo minùs dubitare, quin Status Civium, ſub Imperio non planè nequiter adminiſtrato (amplius quid affirmare non audeo) longè ſit præferendus conditioni ſingulorum Hominum, vel etiam ſingularum familiarum, in libertate invicem naturali degentium: diſſimulari interim non oportet, Hobbianis iis verbis, ab Auctore hic adoptatis, peſſimam Status naturalis faciem, conferri cum Statu Civili, qualis hic eſſe debet, magis quàm, in hac Hominum pravitate, usquam eſt.

§. X. (1) Vide *Grotium*, *Lib. II. Cap. XXIII.* §§. 7. & 8.

ceptatione ſcilicet partium amicâ (2), & puro (non conditionato) *Compromiſſo* (3), ſeu *Provocatione ad Arbitros.*

Qui *Arbitri* æquos ſeſe utrique parti gerere debent, & in ferenda ſententia nihil odio aut gratiæ dare, ſed unicè merita cauſæ reſpicere (4). Quam ob rationem etiam, non ſolet quis capi arbiter in ea cauſa, in qua ipſi commodi, vel gloriæ peculiaris, ſpes major adparet ex victoria unius partis, quàm alterius; adeoque ubi ipſius intereſt alterum quocunque modo cauſam obtinere. Hinc & nullum pactum, aut promiſſum, intercedere debet inter arbitrum

(2) Cujus effectum promovere ſolet communium Amicorum, ſeu Mediatorum, interpoſitio; de qua Auctor *in fine h.* §.

(3) Hoc eſt, non tantùm non ſuſpenſo ab iſta conditione, *Si compromittentes, Arbitri ſententiam ratam habuerint*, quemadmodum *Titius* interpretatur, ſed nec ab hac, *ſi Arbiter juſtam ſententiam tulerit*, ut ipſe Auctor ſe explicat, de *J. N. & G. Lib. V. Cap. XIII.* §. 4. quippe, quæ conditio admiſſa, novo arbitrio locum relinqueret in infinitum: nec tamen abſolutum Compromiſſum impedit, quò minùs, ſi fraudulentæ colluſionis, inter Arbitrum & alterum litigantium, manifeſta exſtiterint indicia, ſententia Arbitri ab altero rejici potuerit; fatente ipſo Auctore, *d.* §. *circa finem.*

(4) Et quidem regulariter, ſecundum rigorem juſtitiæ expletricis; prout is, in ſtatu naturali legibus naturæ ſolis, in civitate legibus etiam civilibus, definitur. Qui verò adhibentur ad laxiùs definiendum, quid alter alteri, ex obligatione licèt imperfecta, præſtare omnino debeat, dicuntur vulgò *Arbitratores.*

bitrum & partes, cujus vi pronunciare in gratiam alterius teneatur.

Quòd ſi arbiter, neque ex communi partium confeſſione, neque ex certis inſtrumentis, aut indubiis rationibus & ſignis, quid in facto ſit cognoſcere valeat, ex effatis *Teſtium* (5) id erit cognoſcendum. Quos licet ad verum dicendum lex naturalis, & plerumque juramenti religio, adſtringat: tutiſſimum tamen fuerit, tales non admittere, qui erga alterutram partem ita ſunt affecti, ut conſcientiæ ipſorum, cum gratia, odio, vindictæ libidine, alioque violento animi motu, aut etiam arctiore quâdam neceſſitudine, ſit velut luctandum: quibus ſuperandis non omnibus ſat conſtantiæ eſt.

Aliquando etiam per communium amicorum interpoſitionem lites tolluntur: quod meritò inter ſanctiſſima officia habetur.

Cæterùm in hoc ſtatu, exſecutionem, ubi ultrò ab altero non præſtatur quod debetur, ſibi quiſque facit.

§. XI.

(5) Rectè obſervat Auctor, de *J. N. & G. d. Cap.* §. 9. rationi naturali quàm maximè congruere, ut ad fidem faciendam, in re quæ ſolâ teſtium fide nititur, duo ad minimum teſtes requirantur; non ſolùm, quia unus faciliùs decipi aut corrumpi poteſt, quàm plures; ſed etiam, quia à cordato Judice mendacia teſtium deprehendi poſſunt, ſi diverſi interrogentur: cujus rei lepidam inſtantiam ſuppeditat, ſive Hiſtoria, ſive Fabula, *Suſannæ*, *v.* 51. & *ſeqq.*

§. XI. Quanquam autem natura ipſa inter homines aliquam cognationem eſſe voluerit, cujus vi nefas ſit alteri homini nocere, potiùs fas ſit cuivis aliorum commodis ſeſe diſpenſare : tamen , inter eos qui in naturali libertate invicem vivunt , hæc cognatio ſat debiles ferè exſerit vires ; ita ut quivis homo , qui non eſt noſter civis , ſeu quîcum in ſtatu naturali vivimus , non quidem pro hoſte , ſed tamen pro *amico parùm firmo* , ſit habendus. Cujus rei ratio eſt , quòd homines non ſolùm ſibi invicem maximè poſſint , ſed & variis de cauſis ſæpiſſimè velint, nocere (1). Alios quippe pravitas ingenii , aut dominandi & ſuperflua habendi libido , ad lædendos alios incitat ; alii , modeſto licèt ingenio , ſtudio ſe conſervandi , & ne ab aliis præveniantur , in arma ruunt. Multos ejusdem rei deſiderium , alios ingeniorum contentio , committit. Inde , in iſto ſtatu , tantùm non perpetuæ vigent ſuſpiciones , diffidentia , ſtudium aliorum vires ſubruendi , libido alios præveniendi , aut ex aliorum ruina vires ſuas augendi. Ergo , uti probi eſt hominis , rebus ſuis contentum , alios non laceſſere , nec aliena adpetere : ita cauti eſt , ſuæque ſalutis amantis , ita omnes homines amicos credere , ut tamen iidem mox hoſtes fieri queant : ita pacem cum omnibus habere , quaſi quæ mox bello

§. XI. (1) Vide ſuprà, *Lib. I. Cap. III.* §. 4.

lo mutari poſſit. Qua de cauſa & felix habetur reſpublica, quæ etiam in pace de bello cogitat.

CAPUT II.

De Officiis Conjugalibus.

I. *Status adventitius primus, matrimonium.* II. *Extra hoc vetitum omne genus libidinis.* III. *Quæ ſit ad id contrahendum obligatio?* IV. *Pacti conjugalis perfecti capita præcipua.* V. *Polygamia omnis à ratione aliena.* VI. *Matrimonii vinculum inſolubile eſt.* VII. *Contrahere matrimonium quibus liceat?* VIII. *Non ſanguine aut affinitate nimis vicinis.* IX. *Solemnia matrimonii ſunt juris civilis.* X. *Officia mutua mariti & uxoris.*

INTER STATUS ADVENTITIOS, ſeu in quibus homo facto aliquo humano antecedente conſtituitur, primo loco venit MATRIMONIUM. Quod ipſum etiam eſt primum velut ſpecimen vitæ ſocialis, ſimulque generis humani ſeminarium.

§. II. Circa hoc initio conſtat, ardentem illam ſexuum inter ſe proclivitatem à ſapientiſſimo Creatore inſtitutam, non ad inanem voluptatem ſatiandam; quippe quæ, unicè ſpectata, ſummam fœditatem & confuſionem in genere humano excitatura erat: ſed, tum ut eo jucundior inter conjuges eſſet converſatio; tum ut eo lubentiùs homines propagationi ſobolis operam darent,

ac

ac moleſtias tolerarent, quæ iſtius ſuſceptionem atque educationem comitantur.

Ex quo conſequitur, naturali legi repugnare, omnem uſum membrorum genitalium qui ab hiſce finibus abit. Quo nomine etiam vetita libido in diverſam ſpeciem, aut eundem ſexum, ruens; quævis fœdæ pollutiones; & denique omnis commixtio, ſive mutuo conſenſu ſuſcepta, ſive invitæ fœminæ intentata, extra matrimonium (1).

§. III. *Obligatio ad contrahendum matrimonium* conſiderari poteſt, vel in *reſpectu ad totum genus humanum*, vel *in reſpectu ad ſingulos.* (1).

X *Illa*

§. II. (1) Patet inprimis, omnes eas, ab Auctore ſupra memoratas, pollutiones, quæ à procreatione humanæ ſobolis toto genere abeunt, ut Naturæ inſtituto adverſantes, Jure naturali damnari: Sed ab Homine inſuper Lex Socialitatis exigit, ut & naturalem Sexuum conjunctionem ad humanæ Societatis commodum attemperet: quod cum non tam in eo vertatur, ut in immenſum creſcat Hominum numerus, quàm ut Hominum identidem naſcentium rectè corpora & mentes efformentur, quo inſtructiores perſonæ in mundi theatrum prodeant; patet, non aliam eſſe honeſtam prolis generandæ rationem, quàm quæ ad ejusdem generatæ idoneam formationem & educationem tendit: quem ad finem requiritur, inter eos, qui proli generandæ dant operam, *Pactum matrimoniale*, conſtans articulis §. 4. & *ſeqq.* deſcribendis.

§. III. (1) Aut ſi mavis, ita rem accipe. Speciem humanam eſſe propagandam, ſupponitur: ejus propagationem non eſſe inſtituendam per vagos & ſolutos concubitus, ſed Legibus connubialibus circum-

Illa in eo conſiſtit, quòd propagatio ſpeciei humanæ hautquidquam ſit inſtituenda per vagos & ſolutos concubitus; ſed utique legibus connubialibus circumſcribenda, adeòque per matrimonium duntaxat exercenda. Citra hoc enim decora & bene diſpoſita inter homines ſocietas, vitæquæ civilis cultus, intelligi nequit.

Singuli autem ad matrimonium ineundum tenentur, quando commoda ſeſe ejus occaſio offert: quam tamen non ſola ætas generandique facultas abſolvit; ſed ut copia quoque ſit decentis conditionis, nec non facultas alendi uxorem & prolem naſcituram; ac ut mas quoque ſit idoneus ad gerendam perſonam patrisfamilias. Niſi tamen aliquis compoſitus ſit ad exigendum caſtum cœlibatum, ſentiatque plus ſe utilitatis poſſe procurare humano generi, aut civitati, cœlibem, quàm uxoratum; præſertim, ubi nulla prolis penuria ſit metuenda.

§. IV. Inter eos qui matrimonium inituri ſunt, intervenire ſolet & debet *Pa-ctum*

cumſcribendam, hic docetur; & ex ſingulorum articulorum, de quibus pacto matrimoniali caveri oportet, ſpecialiore conſideratione, luculentiùs infrà oſtenditur. Hinc oritur *Matrimonii* contrahendi obligatio, tum *conditionata*, ſingulis incumbens, ex hypotheſi quòd proli generandæ operam velint dare; tum *abſoluta*, quâ ii demum tenentur, in quibus concurrunt circumſtantiæ in poſteriore hujus §. parte memoratæ.

ctum (1), quod ubi *regulare* & *perfectum* fuerit, hiſce capitibus abſolvitur.

Primò, Quia vir (abs quo ut contractus incipiat, utriusque ſexûs indoli magis congruit) propriam utique ſibi (2) ſobolem intendit quærere, non ſuppoſititiam aut adulterinam; igitur FIDEM DARE VIRO DEBET FOEMINA, QUOD NEMINI PRÆTERQUAM IPSI CORPORIS SUI USURAM VELIT CONCEDERE (3). *Quod* itidem *à marito fœmina viciſſim ſolet ſtipulari.*

X 2 2. *De-*

§. IV. (1) Vel potiùs, inter eos qui corpora ritè miſcere velint, requiritur *Matrimonium*: quo nomine intelligitur, vel pactum hic deſcribendum, vel Societas potiùs ex eo pacto reſultans. Quibus equidem articulis *Pactum matrimoniale*, juxta merum naturæ jus, conſtare debeat, non æque convenit apud omnes: nec ulla in parte, Juris naturalis dictamina, longiùs infra Chriſtianam morum diſciplinam, videntur plerisque ſubſiſtere, quàm in re connubiali. At fortè non adeò latum videbitur hoc diſcrimen, ſi quis ritè perpenderit, ex ipſa rerum natura conſtare, non aliter humanum genus eſſe propagandum, quàm ſub iſtis legibus, ſeu conditionibus, quæ naturæ propagantium rationali & ſociali conveniunt, quibusque ſobolem naſcituram ad Juris naturalis obſervantiam rectè formatum iri eſt veriſimile; De his itaque conditionibus pacto matrimoniali eſſe cavendum. Quæ verò eæ ſint, *h.* & *ſeqq.* §§. oſtenditur.

(2) Imò uterque, ſive à viro ſive à fœmina contractus incipiat, propriàm ſibi ſobolem quærere eſt cenſendus; utrique ſaltem ejus conſervandæ & educandæ cura incumbit; eaque amborum Parentum, ut infrà notatur, conjunctas requirit operas.

(3) Quò Pater, verè paterno affectu, paterno erga prolem

2. *Deinde*, cum nihil magis ab indole vitæ ſocialis & civilis abhorreat, quàm vita vaga ac deſultoria, incerto lare, nulla fortunarum ſede; cumque communis ſobolis educatio commodiſſimè inſtituatur conjunctis utriusque parentis operis; ac cohabitatio continua plurimum contineat jucunditatis inter conjuges bene compoſitos, per quam etiam marito certiùs de caſtitate uxoris conſtare poteſt; igitur in id quoque fidem

prolem fungatur officio, neceſſe eſt genuinam ſuam prolem noverit; atque hunc in finem, mulierem tantiſper ſaltem ſibi propriam & peculiarem habeat. Hanc porrò ob cauſam, tum præcipuè ob communis prolis educationem, debent qui corpora mutuò conjungunt, in eandem familiam concedere, eosdemque habere lares, à primo usque congreſſu, ſaltem quamdiu communes liberi ſunt educandi: de ulteriore enim hujus vinculi duratione, infrà diſpicietur. Quemadmodum verò hujus ſocietatis indoli manifeſtè adverſatur, ut mulier, eâ durante, aliis ſe adjungat viris; ita eidem non minùs congruit continuatus inter conjuges corporum uſus; præſertim, cum mulier plures partus ſucceſſivè poſſit edere, priusquam primus ad maturam ætatem ſit perductus, ut ſibi ipſe queat conſulere. Confer *Lock. Tract. Poſt. de Imperio* §§. 78, 79, 80. Hactenus igitur intelligimus, *Pacto matrimoniali*, ipſo naturæ jure, ineſſe debere *mutuum promiſſum, de cohabitatione in eadem familia, eòusque ſaltem continuanda, quoad futuræ proli debita cura exegerit; deque mutuo corporum uſu per illud tempus præbendo*; nec non *promiſſum Mulieris, quod nemini præterquam illi viro corporis ſui copiam ſit factura.* Utrùm verò ad juſtum naturali Jure matrimonium pertineat, ut vir etiam, nullius alterius fœminæ conſuetudine uſurum ſe promittat, dicetur ad §. *ſeq.*

dem marito dat uxor, quòd VIRO CONTINUO COHABITARE, adeòque in arctiſſimam vitæ ſocietatem, eandemque familiam, cum ipſo coaleſcere, VELIT: Cui ipſi & mutua promiſſio, de tali invicem converſatione, qualem indoles ejus ſocietatis requirit, ineſſe intelligitur.

3, Quia autem, non ſolùm naturali utriusque ſexûs conditioni maximè congruit, ut in matrimonio viri conditio ſit potior, ſed & maritus familiæ, à ſe utique conſtitutæ, caput ſit (4); conſequitur, UT UXOR, IN NEGOTIIS MATRIMONIUM AC FAMILIAM CONCERNENTIBUS, DIRECTIONI MARITI SIT OBNOXIA. Inde & mariti eſt de domicilio conſtituere; nec uxor, iſto invito, peregrè abire aut ſecubare poteſt. Tale tamen imperium, quòd jus vitæ

(4) Cum conjuges in unam familiam coaleſcant, atque adeò unum quaſi morale corpus conſtituant; neceſſe eſt uni illud ſubeſſe directioni: quod aliter fieri non poteſt inter duos, quàm ſi voluntas unius, in rebus ad communis familiæ adminiſtrationem ſpectantibus, alterius voluntati ſujiciatur: Hæc autem ſubjectio, ſepoſitis Legibus poſitivis, non aliter quàm ipſorum conjugum conventione, poteſt conſtitui: de cujus conventionis tenore, nihil aliud jure naturali videtur definitum, quàm ut (demptis Legibus & Moribus) conjugi prudentiori familiæ poteſtas deferatur. Cum interim viro hanc prærogativam omnium ſeculorum & gentium uſus tribuerit; etiam illi, qui in libertate naturali matrimonium contraherent, ſi vel maximè Divinam Legem (ex qua uniformis ille uſus videtur fluxiſſe) ignorarent, haud ſatis decorè in aliam conditionem conſentirent.

& necis, gravemque coercitionem, nec non plenam poteſtatem circa quævis bona uxoris diſponendi, comprehendat, ad eſſentiam matrimonii neceſſarium non videtur: ſed iſtud ex peculiaribus pactis inter conjuges, aut ex legibus civilibus, alicubi conſtituitur.

§. V. Porrò, ut illud manifeſtè legi naturali repugnat, *unam mulierem pluribus viris ſimul cohabitare*: ita ut *unus ſimul duas pluresve uxores* habeat, apud plurimas gentes, & in ipſo quondam Judaico populo, receptum. Nihilominùs, ſi vel maximè à primæva matrimonii inſtitutione, in divinis literis tradita, abſtrahamus; ex ipſa tamen recta ratione conſtat, *longè decentius juxta atque utilius eſſe, unum unâ eſſe contentum* (1). Id quod & uſus

§. V. (1) Quippe, cum mulier, ut ſuprà oſtenſum, per conjugalis Societatis indolem ac finem, quamdiu ea durat, ad conſortium unius viri ſit reſtricta; naturalis æqualitas poſtulat, ut *Vir* etiam *unius Fœminæ thoro ſit contentus;* præſertim cum, propter æqualem circiter virorum ac fœminarum numerum; *Polygamia ſimultanea*, præ *Monogamia*, ad hominum genus multiplicandum, teſte experientiâ, nihil conferat; at contineat contrà iniquiſſimam oppreſſionem, non modò uxorum, quæ exiguâ quaſi maritalis conſortii parte jubentur eſſe contentæ; ſed & aliorum virorum, quorum plurimi iſtâ ratione uxoribus coguntur carere; & præcipuè Natorum, quibus tanto numero ſollicitè educandis unius patris cura non ſufficit; ut ex iſta licentia, ἀςοργία Patrum, ingratitudo Liberorum, rixæ denique & adulteria uxorum, vix poſſint non pullulare.

uſus omnium, quas novimus, gentium Chriſtianarum à tot ſeculis comprobavit.

§. IV. Nec minùs natura tam arctæ conjunctionis oſtendit, *Matrimonium debere eſſe perpetuum* (1), & non niſi alterutrius conju-

§. VI. (1) Conſtat inprimis, Liberorum educandorum neceſſitatem haudquaquam permittere, ut leves ob cauſas, quales quotidiè facilè poſſunt contingere, Societas conjugalis ſolvatur: Quæ idcirco eâ lege ineunda eſt, ut ejus duratio à nulla conditione poteſtativa, cujus defectus præcipuum ejus ineundæ finem non fruſtretur, dependeat; multò minùs ab ulla conditione non poteſtativa, quæ poteſt deficere, quamdiu communes Liberi ſunt educandi.

Quòdſi verò iſtud vinculum, ex communium Liberorum educandorum obligatione natum, deficere aut ceſſare contingat; ſive nulli fuerint Liberi, ſive extincti ſint, vel ad maturitatem educati, aliis non ſuccedentibus, fortè nec ſperatis; annon tum faltem, ubi lex poſitiva non aliter præcipit, matrimonium poſſit abrumpi, multi dubitant. Vide *Lok. Tract. Poſt. de Imperio*, §. 81. Varios, qui hic occurrere poſſunt caſus ſeorſum perpendere, & rationes quæ in ſingulis matrimonii ſtabilitatem ſuadent ſigillatim urgere, nimis eſſet prolixum. In genere notamus arctam illam, animorum non minùs quàm corporum, conjunctionem, quæ ad hujus ſocietatis finem requiritur non pati, ut vel ad tempus ea ineatur, vel à conditionibus quas præſtare eſt ſupra humanam ſortem ejus duratio ſuſpendatur. Finem præcipuum, & qui regulariter intendi eſt præſumendus, hic ſuppoſimus generationem & educationem communis ſobolis; quod ſi nonnunquam hujus finis conſecutio, propter provectiorem alterius, vel utriusque conjugis, ætatem, non ſperetur, quousque talia conjugia, præſertim prioris generis, in civitate tolerari debeant, Legum Conditores poſſunt diſpicere: quo faciebat olim unus articulus Legis *Juliæ* &

gum morte finiendum: niſi principalia pacti matrimonialis capita fuerint violata, per *adulterium*, aut *malitioſam deſertionem.* Ob *mores* autem malè compoſitos, & qui cum malitioſa deſertione eundem non producunt effectum, *ſeparatio* duntaxat *quoad thorum & menſam* inter Chriſtianos recepta eſt, ſine permiſſione ad ſecunda vota tranſeundi. Cujus inter alias etiam hæc ratio eſt, ne facultas divortii contumaciam morum alat; ſed potiùs alterius conditionis deſperatio, ad commoditatem morum, mutuamque toleran-

Papiæ: at ſi omnino tolerentur, poſtulat humanæ naturæ dignitas, eàdem ea ſanctimoniâ velari, quam in conjunctionibus magis regularibus eſſe adhibendam ſuprà oſtendimus. Denique, cum ſocietas conjugalis ejus ſit indolis, ut haud facilè unius conjugum voluntate, altero invito & obmurmurante, conſervari poſſit; ne ea perpetuis ſollicitationibus in hac hominum pravitate ſit obnoxia, atque lubrico nimis nitatur fundamento, ita ſanciri debet, ut, præter communem pactorum inter homines initorum legem (vide *ſuprà*, *Lib. I. Cap. XVI.* §. 4. *cum Obſerv.*) ne quidem ipſorum conjugum mutuo conſenſu, vel ſi mavis diſſenſu, poſſit dirimi: quam ſanctionem, ſi eam Lex DEI poſitiva non tribueret, conciliare deberent ipſi paciſcentes, pactum matrimoniale, per modum voti, DEO nuncupando,

EX omnibus itaque hactenus diſputatis conſtat, *Matrimonium*, quod ipſo jure naturali ad legitimam humani generis propagationem requiritur, eſſe *Viri ac Mulieris conjunctionem, individuam vitæ conſuetudinem continentem;* quam definitionem ab Imperatore traditam, *Inſt. Lib. I. Titi IX.* §. 1. meritò probat Cl. *Huberus*, præ illa, quam, juxta laxiores ſuas hac in parte hypotheſes, tradidit *Grotius Lib. II. Cap. V.* §. 8.

rantiam, conjuges incitet. Cæterùm, ob violata pacti matrimonialis capita, pars læſa tantùm vinculo exſolvitur (2); quod in altero continuatur, ſiquidem pars læſa velit, & cum altero in gratiam redire dignetur.

§. VII. *Contrahere licitè matrimonium*, ubi lex civilis non obſtat, *poteſt quilibet cum qualibet*, ſi ætas corporisque conſtitutio matrimonio habilis adſit; *niſi impedimentum aliquod morale obſtet.* Moraliter impeditur aliam conjugem adſciſcere, qui, quæve alteri jam conjugi junctus, junctave eſt (1).

§. VIII. Sed & pro morali legitimarum nuptiarum impedimento habetur *arcta nimis ſanguinis aut affinitatis conjunctio.* Quo nomine, etiam naturali lege nefariæ judicantur nuptiæ inter *aſcendentes* & *deſcendentes*, in infinitum (1). Reliquas autem nuptias, in

X 5 limite

(2) Vide *Obſ.* in *Lib. I. Cap. XVI.* §. 5.

§. VII. (1) Patet ex matrimonii natura ſupra explicata.

§. VIII. (1) Non ſine cauſa prohibitionem conjugii inter *aſcendentes* & *deſcendentes* in infinitum, Auctor, *Grotium* ſecutus, ab ipſo Jure Naturali repetit; eò quòd affectus & conſuetudo conjugalis, à reverentiali pudore, quem *Parentibus* & *Liberis* cujuscunque gradus intercedere, hujus neceſſitudinis, atque inde reſultantium officiorum, ratio exigit, prorſus abludat, imo cum eo componi nequeat: ita enim intelligo doctrinam *Grotii*, *Cap. V.* §. 12. quam Auctor noſter explicat magis quàm corrigit, *J. N. & G. Lib. VI. Cap. I.* §. 32.

limite tranſverſo (2), putà cum amita & materte-

(2) Prohibitiones nuptiarum, quæ conſanguinitatem in linea tranſverſa, ut & omnes quæ affinitatem reſpiciunt, contenti ſunt Auctores modò laudati à jure poſitivo deducere: quod omnino videtur admittendum. At quando, & quibus, illud jus poſitivum conſtitutum fuerit, dubio non caret: præſertim, cum *Lev. Cap.* XVIII. *v.* 24, & 25, innui videatur, prohibitiones ſuprà poſitas, omnibus gentibus fuiſſe ante promulgatas, utpote ob quas violatas etiam *Gentiles* pœnas eſſent luituri. Duas harum prohibitionum claſſes diſtinguit *Grotius:* eas etenim quæ reſpiciunt *Affinitatem in linea recta*, & *Conſanguinitatem in gradu tranſverſorum primo* (qui, ob ortum à communi ſtirpe, *ſecundus conſanguinitatis gradus* dici ſolet) inter *Fratres* ſc. & *Sorores*, vult eſſe univerſales & perpetuas, utpote ipſi *Adamo* à DEO datas; reliquas verò, quæ reſpiciunt *Affinitatem in linea tranſverſa*, & *Conſanguinitatem in tertio gradu*, ſive *tranſverſorum ſecundo* (ut inter *Nepotem ex Fratre* & *Amitam*) Lege demum Moſaicâ primùm eſſe conſtitutas & populo tantùm Iſraelitico. Quæ tamen diſtinctio an ſolido ſatis fundamento nitatur, fas eſt dubitare. Certum quidem eſt, apud Ethnicos univerſaliùs obtinuiſſe ſententiam, de turpitudine Conjugiorum quæ ad priorem quàm eorum quæ ad poſteriorem claſſem, *Grotius* refert: ſed & Patruorum vel Avunculorum, Amitarum vel Materterarum, cum ſuorum Fratrum vel Sororum Liberis cujuſcunque gradûs conjugia, apud veteres Romanos fuiſſe illicita, ſatis notum eſt: vide *Tacit. Ann. Lib. XII. Cap. V. Edit. Gron. Dig. Lib. XXIII. Tit. II. l.* 17. §. *ult. l.* 39. *l.* 53. Quin & naturalis iſta verecundia, quam docuerunt Hebræi Veteres, (teſte *Grotio*, *d. Cap.* §. 13. *n.* 3.) non ſinere ortus Auctores cum ſua ſobole, aut in ſeipſis, aut etiam per perſonas, ſanguine aut nuptiali ſanguinis commixtione, proximè cohærentes, miſceri, habet locum, non tantùm inter Fratrem & Sororem: ſed & inter Fratrem, & Fratris vel Sororis Filiam, Neptem

tertera, cum ſorore, item in affinitate cum noverca, ſocru, privigna, non ſolùm lex divina, ſed & cultarum leges gentium, & Chriſtianorum conſenſus deteſtatur. Quin & multorum populorum leges civiles remotiores quoſdam gradus prohibuerunt (3), ad objiciendam velut ſepem priùs dictis gradibus ſanctioribus, ne ad hos temerandos ita facilè rueretur.

§. IX. Cæterùm, uti aliis contractibus atque negotiis certa quædam *requiſita* ſueverunt addere leges civiles, quæ ſi obſervata non fuerint, in foro civili pro validis non habentur: ita & circa matrimonium contingit, dum alicubi per leges civiles, honeſtatis & boni ordinis cauſa *Solennia* quædam

ptem, &c. nec non inter Sororem, & Fratris vel Sororis Filium, Nepotem, &c. Quippe non modò Pater & Mater, ſed Avus & Avia, Proavus & Proavia, & deinceps cæteri, ſunt *Auctores ortûs*; quorum idcirco immediati Liberi, cum nullis eorundem deſcendentibus, per prædictam regulam, poſſunt miſceri. Exiſtimandum eſt igitur, Connubia in ſingulis gradibus conſanguinitatis Lege Moſaicâ comprehenſis, imo (cum conjuges DEUS ab initio pronuntiaverit *unam Carnem*) in æqualibus gradibus affinitatis, iiſque ſimilibus, Lege poſitivâ æquè antiquâ, & æquè univerſali, fuiſſe à DEO prohibita; quantumvis ejus Legis primò promulgatæ hiſtoria non exſtet. Ratio certè diſcriminis, inter Matrimonium cum Amita, & cum Nepte ex Fratre, initum; quæ ab Hebræis Doctoribus adfertur, licèt *Grotio* & Auctori noſtro probata, eſt admodum frivola.

(3) Superſtitioſa hæc ſollicitudo præcipuè tenuit Juris Pontificii Auctores, ſuæ ſc. Curiæ commodum, ex crebriorum diſpenſationum occaſione, captantes.

dam requiruntur (1). Quæ licèt extra jus naturale ſint; citra illa tamen, qui legibus civilibus ſujiciuntur, legitimum matrimonium non contrahent; aut ſaltem ejusmodi conjunctio effectus juſti matrimonii in civitate non habebit.

§. X. *Officium mariti* eſt, uxorem diligere, nutrire, regere, atque defendere: *Uxoris*, maritum amare, honorare, adjutorio eſſe ei, non ſolùm in generanda & educanda ſobole, ſed & in parte curarum domeſticarum capeſſenda. *Utrinque* autem indoles tam arctæ conjunctionis requirit, ut conjuges tam proſperæ quam adverſæ fortunæ ſint ſocii, & ſi qua alterutri calamitas obtingat, ab altero ſublevetur; nec minus ut prudenter mores ad concordiam invicem tole-

§. IX. (1) Cum interſit, inde humanæ Societatis in univerſum, ut ſinguli vago & illicito concubitu prohibeantur; hinc ſingulorum conjugum, ut uterque contra alterius perfidiam, ſi qua fuerit, aliorum ſubſidio muniatur; poſtulat uterque finis, coram idoneis Teſtibus Votum Matrimoniale ſuſcipi. Sed & quas alias licitas ſolennitates Leges usquam civiles hic requirunt, illas unusquisque civis in hoc negotio tenetur adhibere; eas præſertim, citra quas non initur matrimonium, ad eſſentiales ejus effectus in foro civili validum: imo has qui negligit, *illiciti concubitûs* notam incurrit: Si quæ verò non ſimpliciter imperatæ Solennitates, ad certos tantùm effectus non eſſentiales pertineant, ut ad Conjugis vel Liberorum dignitatem, patrimonium, & ſimilia; hæ pro lubitu adhiberi poſſunt vel omitti: unde *Matrimonium ſecundarium*, quod dicitur, utut noſtris moribus parùm ſit cognitum, non eſt cum *Concubinatu* confundendum.

tolerandam attemperent; quâ tamen in parte concedere magis uxoris eſt.

CAPUT III.

De Officiis Parentum & Liberorum.

I. Poteſtas patria imperium vetuſtiſſimum. II. Quibus illa nitatur fundamentis? III. Utra potior poteſtas, patris, matrisve? IV. Ea quouſque ſe extendat; quousque non? V. Quanta ſit in primæ ætatis liberos? VI. Quanta in eosdem ætatis adultæ? VII. Quæ in ſtatu naturali, quæ in civitate? VIII. Exceſſu prolis è familia an ſolvatur? IX. Alteri quousque prolis educatio committi poſſit. X. An a patris conſenſu pendeat prolis conjugium? XI. Officia parentum erga liberos, quæ? XII. Quæ illa viciſſim horum erga illos.

EX matrimonio provenit proles, in quam conſtituta eſt *poteſtas patria*, antiquiſſimum juxta ac ſanctiſſimum genus imperii, quo parentum juſſa venerari, eorundemque præ ſe eminentiam agnoſcere, liberi tenentur.

§. II. *Oritur imperium parentum* in liberos *duplici* potiſſimùm de *cauſa:* Primò, quia ipſa *lex naturalis*, dum *ſociabilem* eſſe hominem juſſit, *Parentibus curam liberorum* injunxit (1); quæ ut eò minùs negligeretur, tenerri-

§. II. Ut ſinguli, quo ſtatu in mundum veniunt, aliorum hominum curâ ac tutelâ manifeſtè indigent; ita hanc illi inprimis, qui vitalis iis auræ hauriendæ fuerant Auctores, tenentur impendere; idque non ſolùm,

nerrimum ſimul affectum in prolem natura iisdem implantavit. Iſti curæ exercendæ requiritur poteſtas liberorum actiones dirigendi ad ipſorum ſalutem, quam ipſi propter judicii defectum nondum intelligunt.

2. Deinde, id imperium *tacito quoque conſenſu prolis* nititur (2). Nam rectè præſumitur, ſi infans eo quo ſublatus eſt tempore uſum rationis habuiſſet, ac perſpexiſſet vitam ſe citra parentum curam, ac junctum ipſi imperium, ſervare non poſſe, lubenter illam in id conſenſuram, commodamque ſibi educationem ab iisdem viciſſim fuiſſe ſtipulaturam. *Actu* (3) autem parentibus imperium in prolem conſtituitur, quando illam tollunt nutriuntque, & in com-

ſolùm, quæ ad vitæ animalis conſervationem pertinent, pro ratione ſuarum facultatum, ſuppeditando; ſed præcipuè mentes eorum atque mores ad honeſtatem formando; ut nec pereat, quam Liberis ſuis dederant, vita; nec aliis moleſta, iis ipſis gravis & erubeſcenda, evadat. Et hæc quidem obligatio ex ipſa generatione neceſſariò fluit, ſive cum *Titio* ſupponamus generantem in eam conſenſiſſe, ſive non. Porrò, cum iſti obligationi poteſtas parentalis indivulſo nexu cohæreat; quin hanc quoque poteſtatem, cum *Grotio*, *Lib. II. Cap. V.* §. 1. in generatione dicamus fundari, nihil obſtat. Confer *Lock. Tract. Poſt. de Imperio*, *Cap. VI.*

(2) Meritò hic obſervat *Titius*, *tacitum* conſenſum ab Auctore dici pro *præſumpto;* ſed & ipſam præſumptionem eſſe ſuperfluam. Vide *Suppl. IV.* §. 2.

(3) Hoc eſt, tum demum imperium in prolem à parentibus rectè exercetur, quando obligationem cui id connectitur, actu explendam ſuſcipiunt.

commodum humanæ ſocietatis membrum pro virili formandam ſuſcipiunt.

§. III. Cum autem ad generationem ſobolis *non mater minùs*, *quàm pater* concurrat, adeòque phyſicè proles utrique ſit communis; diſquirendum, *Utrius jus in prolem ſit potius?*

Super qua re diſtinctè pronunciandum. Si enim *extra matrimonium* (1) proles ſit generata, illa primò matris erit; quia pater heìc niſi indicio matris cognoſci nequit. Inter eos quoque, qui *in naturali libertate & ſupra leges civiles* degunt, pacto conveniri poteſt (2), ut non patris, ſed matris jus potius ſit.

Sed *in civitatibus* utique per mares conſtitutis, cum regulariter contractus matrimonii à mare incipiat, & is caput familiæ ſit

§. III. (1) Intellige, *& citra ullum pactum*: pacto enim hæc res determinari poteſt, etiam extra juſtum matrimonium; ut plerumque fit in concubinatu: confer *J. N. & G. h. t.* §. 5. imo, ſi citra pactum quocunque modo de patre conſtet; nihil apparet, cur non tum jus, tum obligationem, inter utrumque Parentem dicamus communicari. *Hobbii* deliramenta, de matris jure ex occupatione orto, negligimus: nam ſi vel maximè partus humanus eſſet idoneum Dominii objectum (cujus contrarium infrà patebit) conſiderari tamen deberet, in hoc caſu, ut alterius rei acceſſio, eoque nomine occupationis titulum præcluderet.

(2) Si vel maximé à Legibus civilibus abſtrahamus; Lex tamen DEI poſitiva, dum in matrimonio poteſtatis prærogativam tribuit viro, huic etiam in prolem legitimam præcipuum jus concedit.

ſit (3), potius erit jus patris; ſic ut, licèt proles matri utique reverentiam, gratumque animum debeat; juſſis tamen matris non obligetur, quæ quidem non iniquis patris præceptis repugnant. Defuncto tamen patre, jus ipſius in prolem, ſaltem nondum adultam, *matri* videtur *accreſcere* (4); & hâc ad ſecundas nuptias tranſeunte, *vitrico*, ſiquidem ipſe in fidem & curam naturalis parentis ſuccedat. Et qui deſertum, aut orbatum parentibus, liberaliter educandum ſuſcipit, jure ſuo ab eo filialem obſervantiam exigere poteſt.

§. IV. Ut autem accuratè intelligatur, quanta *parentum* ſit *in liberos poteſtas*, diſtinguendum (1) eſt, tum inter *patres familias* *ſegre-*

(3) Quia Mares ſunt capita ſuarum familiarum, ideò per eos Civitates ſolent conſtitui; potiùs quàm vice verſâ: Eſt itaque illa Marium prærogativa Civitatibus antiquior.

(4) Intelligendum eſt hoc, de illo *Jure parentali*; propriè ſic dicto, quod Liberorum educationem ſpectat; non de jure, quod in ſtatu naturali familiæ ſegregis capiti convenit ut tali, quodque cum dominio Soli ad hujus hæredem tranſit; nec de jure, quod quorundam populorum, inprimis Romanorum, Legibus civilibus, Patri ſpecialiter eſt conceſſum, & quod cum ipſo patre expirat. Quod autem de Vitrico hìc additur, ſi fortè Agnati diſſentiant, non eſt adeò exploratum: imo variorum populorum legibus aliter eſt diſpoſitum. Vide *Cod. Lib. V. Tit. XLIX. l.* 1.

§. IV. (1) Alteram harum diſtinctionum concipi debere; ut ſubdiſtinctionem unius membri alterius, Cl. Viri *Titius* & *Weberus* ſubolfecerunt: ſed cum illi pote-

ſegreges, *& qui in civitatem ſubierunt*; tum inter *poteſtatem*, *quam habet genitor ut talis*, & quam habet *ut eſt caput ſuæ familiæ*.

Patri ut tali cum ſit à natura injunctum, ut liberos benè educet, quò in commoda humanæ ſocietatis membra evadant, quousque ipſi ſibi proſpicere queant: inde tanta eidem in liberos poteſtas conceſſa intelligitur, quanta ad hunc finem ſufficit. Quæ hautquaquam eòusque ſe extendit, ut parentes prolem, intra materna viſcera latentem elidere, aut editam abjicere, necareque poſſint. Nam excitatur quidem ex ſubſtantia parentum ſoboles; ut tamen in æqualem conditionem humanam cum illis locetur, & injuriæ etiam ab ipſis parentibus capax ſit. Neque etiam hæc poteſtas ad jus vitæ & necis ex occaſione delicti exercendum videtur porrigi, ſed ad modicam duntaxat caſtigationem; quippe quæ verſatur circa ætatem teneram, in quam tam atrocia delicta, quæ morte ſint ex pianda, vix cadunt. Sed ſi tamen, citra ſpem emendationis, omnem diſciplinam pertina-

 citer

poteſtatem Patrum familiarum ſegregum diſtinxerint, in eam quam habet *Genitor* ut *talis*, & quam habet, ut *Caput ſuæ familiæ*; ego contrà exiſtimaverim, rectiùs, & accommodatiùs ad infrà dicendorum ordinem, duas haſce diſtinctiones poſſe transponi; ita ut quæ apud Auctorem eſt prior, fiat ſubdiſtinctio poſterioris membri alterius. Quippe, Poteſtas *Patris* ut *talis*, eſt utrinque eadem; quæ verò Patri competit, ut *Capiti ſuæ familiæ*, eſt diverſa, prout familia eſt *ſegrex*, vel *civili imperio ſubjecta*. Vide infrà, §. 7.

citer adſpernetur puer, poterit domo patriâ ejici, atque abdicari.

§. V. Iſthæc porrò poteſtas, ita preſsè accepta, conſiderari poteſt *juxta diverſitatem ætatis in liberis* (1).

Nam *in prima ætate*, ubi immaturus adhuc rationis uſus eſt, omnes liberorum actiones directioni parentum ſubjacent. Quo tempore, ſi quid bonorum ab aliis in impuberem transferatur, id parens loco filii acceptare & adminiſtrare debet, ut tamen dominium ipſi filio adquiratur: etſi ut fructus patri cedant (2), ad plenam usque filii ætatem, æquiſſimum eſt. Sic & quod ex filii labore lucri aut emolumenti provenit, id meritò ſibi pater vindicat; cui ex adverſo filii nutritio & educatio incumbit.

§. VI.

§. V. (1) Quemadmodum *Grotius*, *Lib. II. Cap. V.* §. 8. & *ſeqq.* tria in Liberis diſtinguit tempora; primum, imperfecti judicii; ſecundum, judicii perfecti, ſed dum Filius pars manet familiæ Parentum; tertium, poſtquàm ex ea familia exceſſit: Primum Auctor conſiderat *h.* §. (& ad idem præcipuè pertinent quæ §. *præced.* ſunt dicta) ſecundum §§. 6. & 7. tertium §. 8.

(2) Cum liberi per omnem ætatem æquè capaces ſint dominii rerum, etiam adverſus parentes valituri; temerè Auctor definitionem hujus rei ferè Juſtinianeam (vide *Inſt. Lib. II. Tit. IX.* §. 1.) tanquam naturalem propinat. Quid ex Liberorum rebus, Parentibus debeatur ut Altoribus; diximus ſuprà, *Supplementi IV.* §. 7. quod iſtum modum excedit, haud ſatis rectè Parentes, ſive ex rerum fructibus, ſive ex operis, Liberorum, ut jure naturali ſibi debitum, aſſeruerint: ſed ut hi cum illis, vel illi viciſſim cum his, rigidum hic calculum inire velint; nec Parentum, nec Liberorum, affectui & officio ſatis convenit.

§. VI. *In adulta ætate*, ubi liberi pleno quidem judicio præditi ſunt, pars tamen adhuc familiæ paternæ exiſtunt, diſtinctè conſiderari poteſt (1) poteſtas, quam pater habet *ut genitor*, & quam habet *ut caput familiæ*. *Illa* (2) cum commodam educationem & gubernationem liberorum pro ſcopo habeat, patet adultos quoque liberos autoritatem parentum tanquam prudentiorum ſequi debere. Et qui vult (3) ex paternis bonis ſuſtentari, ac in ea deinceps ſuccedere, neceſſum eſt ut ad familiæ paternæ rationes ſeſe attemperet; quam moderari utique penes patrem eſt.

§. VII. Cæterum, *Patres familias qui nondum in civitates ſucceſſerant*, in domo ſua imperium

§. VI. (1) Reverà ad hanc ſecundam periodum, peculiari quodam modo, pertinet ſuprà allata & hîc repetita diſtinctio: poteſtas enim Patris *ut Capitis Familiæ*, ſicut ad tertiam periodum non omnino pertinet, ita durante primâ periodo in poteſtate propriè parentali abſorbetur.

(2) Poteſtas Patri *ut Genitori* in ſecunda periodo competens, quæ hîc deſcribitur, nihil eſt aliud quàm parentalis illa *Auctoritas* (juxta hujus vocabuli ſenſum verè latinum) quam ad extremum usque vitæ halitum agnoſcere & vereri tenentur Liberi: vide infrà, §. 8. Et reverà, Parentis *Poteſtas* (propriè ſic dicta) quæ filios adultos reſpicit ut in familia adhuc manentes, quæque adeò ad ſecundam periodum pertinet præ tertia, eſt poſterior iſta, quæ parenti convenit ut *Capiti ſuæ familiæ*.

(3) Ab his verbis, incipit Auctor deſcribere poteſtatem Patris ut *Capitis ſuæ familiæ*; quam diſtinctiùs expendit §. *ſeq.* tum prout illa *in ſtatu naturali*, tum prout *ſub imperio civili*, ſe habet.

perium aliquod inſtar Principum gerebant. Inde & liberi, in eorum familia adhuc hærentes, ipſorum imperium tanquam ſummum venerari debebant.

Verùm poſteà imperium iſtud familiare (uti & alia jura) ad uſum & decus civitatum fuit attemperatum; & alicubi multum, alicubi parum (1) de eo, patribus relictum. Inde obſervamus, in quibuſdam civitatibus patres jus vitæ & necis, ex cauſa delicti exercen-

§. VII. (1) Quod affirmat *Juſtinianus*, *Inſt. Lib. I. Tit. IX.* §. 2. *Jus poteſtatis quod in Liberos Romani haberent, proprium eſſe Civium Romanorum;* quo ſenſu ab Imperatore dictum fuerit, aut de facto veritatem obtinuerit, non eſt hujus loci diſputare: ſed ut, quo ſenſu de jure potuerit eſſe verum, percipiamus rectiùs; duo non abs re erit notâſſe: *Primò*, cum immatura ætas non niſi mediantibus parentibus, ſummo Imperio & Legibus civilibus ſubjiciatur; nullis ejuſmodi Legibus effici poſſe, ut amplior ſit in Liberos immaturæ adhuc ætatis Patris poteſtas, quàm eam ipſa natura conſtituit: at *Secundò*, quemadmodum familiæ ſegregis Pater, jure potuit exigere, ne aliter adulti Liberi, vel alii quivis, in ſua familia, vel etiam in territorio ſuo, morarentur, quàm ſi ſummum ejus imperium vellent agnoſcere; ita in ampliore civitate, potuiſſe Summum Imperantem (penes quem eſt inferiores magiſtratus conſtituere) Patribus Familiarum, in adultos ſuos Liberos & domeſticos, ſubordinatum quoddam civile imperium concedere; quod quidem imperium, apud veteres Romanos ampliſſimum, fuit poſtea gradatim imminutum, & tandem recentioribus moribus abolitum; ita ut hodie modica tantùm coercitio, ad decorum familiæ ordinem tuendum pertinens, & cujus ultimus actus ſit ejectio, ſi opus ſit, è familia, Patribus familiarum paſſim ſit relicta.

ercendum, in liberos obtinuiſſe; in aliis id ipſum iis ademtum; ne fortè parentes ſuâ in liberos poteſtate, in fraudem boni publici, aut ad iniquam iſtorum oppreſsionem, abuterentur; aut ne ob mollitiem paterni affectûs diſſimularentur vitia, in exitium publicum eruptura; aut ne patri tam triſtis ſententiæ pronunciandæ neceſſitas imponeretur.

§. VIII. Sed ubi *proles familiâ paternâ planè exceſſit*, & vel novam ſibi familiam conſtituit, vel alteri adjungitur; poteſtas quidem patria ſolvitur, ut tamen ſemper pietatis & obſervantiæ debitum maneat; quippe fundatum in meritis parentum, quibuscum paria facere liberi nunquam aut rariſſimè creduntur. Et iſta merita non in eo tantùm conſiſtunt, quòd parentibus liberi vitam debeant, occaſionem omnium bonorum; ſed & quod laborioſam ac ſumtuoſam (1) educationem eorum ſuſceperint, quâ eos in commoda humanæ ſocietatis membra formârunt, ac ſæpe de mediis vitam commodè & copioſè exigendi iiſdem proſpexerunt.

§. IX. Etſi autem parentibus obligatio educandi prolem à natura ſit injuncta; id

 tamen

§. VIII. (1) Eſt itaque filialis obligatio eò ſanctior, eòque latiùs patens, quo propenſiore affectu & ſtudio, ut proli omni ex parte bene eſſet, Parens pro viribus curaverit: ut malè officio ſuo functus iſte Parens videatur, cujus erga prolem meriti non minima pars ſit generâſſe.

tamen non obſtat, quominùs, utilitate prolis aut neceſſitate exigente, ejusdem *adminiſtratio alteri commendetur;* ita tamen ut inſpectionem ſibi in iſtum delegatum parens reſervet.

Unde & pater, non ſolùm præceptoribus idoneis filii informationem rectè committit; ſed & eundem alteri adoptandum dare poteſt, ſiquidem exinde in filium aliquod ſit emolumentum redundaturum.

Et ſi nulla alia ratio ſit prolem alendi, potiùs quàm inopiâ extinguatur, pater eam oppignorare, aut vendere (1) in tolerabilem ſervitutem, poteſt; ſaltem ſub lege retractus, ubi pater ad lautiorem fortunam pervenerit, aut quispiam ex cognatis iſtum redimere velit. Quòd ſi autem parens per inhumanitatem prolem expoſuerit & abjecerit, is qui eandem ſuſtulerit atque educaverit, in paternum quoque jus ſuccedet; ita

§. IX. (1) Non poteſt parens aliud jus, ex rebus vel laboribus filii quæſtum faciendi, transferre ad alterum, quàm quod ipſe habet: hoc verò quale ſit, diximus ſuprà, *Suppl. IV.* §. 7. Debet igitur, ſi poſſit, ita rem gerere, ut emptori (ceſſionario potiùs dixerim) nullus ſit prætextus, jus ſibi quæſitum ulteriùs extendendi, quàm temperamentum ibi explicatum patitur: quo intuitu, propter incertam filii vitam & valetudinem, minùs à ceſſionario exigere debet Parens, quàm quantùm filius pro præteritis alimentis ipſi debet; aut fortè nihil omnino, ſi filius longè diſtet ab iſta ætate, quâ alimenta quotidiana quotidianis merere poſſit laboribus. Sed hac de re fuſiùs ad ſequens caput.

ita ut iſte alumnus filialem obſervantiam educatori ſuo debeat.

§. X. Uti autem *pater prolem familiâ ſuâ ejicere non debet*, educatione & auxilio iſtius adhuc indigentem, citra graviſſimas cauſas; ita & proles, non niſi cum bona patris venia ex ipſius familia excedet. Cæterùm, cum liberi matrimonii ferè contrahendi occaſione paternam familiam relinquant; & verò parentum utique interſit, cui proles ſua jungatur, & ex quibus nepotes ſibi proveniant: inde officium filiale planè requirit, ut *parentis conſenſum heic ſequantur liberi*, nec eo invito conjugi ſocientur. Quòd ſi tamen de facto, invitis parentibus matrimonium contraxerint & conſummaverint liberi, jure quidem naturali id irritum non videtur; præſertim, ubi familiam paternam non ampliùs iſti onerare velint, & aliàs conditio non ſit indecora. Inde, ſi alicubi ejusmodi matrimonia habentur irrita, aut illegitima, id ex legibus civilibus eſt.

§. XI. *Officium parentum* in hoc præcipuè conſiſtit, ut liberos commodè alant, corpusque & animum per dextram & cordatam educationem ita forment, quo idonea & utilia membra ſocietatis humanæ (1) & civi-

 lis

§. XI. (1) Quin etiam, cum Lex naturalis, non tantùm *ſocialia* verſus alios Homines *Officia*, ſed & *Religionem* erga DEUM, & innoxiam *ſui curam*, cuique

lis fiant, probi, cordati, & bene morati. Item ut eosdem ad idoneum & honeſtum vitæ genus adplicent, & quantum ratio & occaſio fert; fortunam ipſorum fundent & promoveant.

§. XII. *Liberorum* contrà *debitum* eſt (1) parentes honorare, id eſt, reverentiam illis exhibere, non externis tantùm ſignis, ſed multò magis interna æſtimatione, tanquam auctoribus vitæ, ac tantorum aliorum beneficiorum; iisdem obedire; pro viribus inſervire, inprimis ſenio aut egeſtate confectis; ſine conſilio & auctoritate eorum nihil magni momenti ſuſcipere: & denique eorum moroſitatem, aut vitia, ſi qua inveniuntur, patienter ferre.

cuique injungat; ita Liberorum mentes atque mores Parentes formare debent, quantum in ipſis eſt, ut ad omnia iſta tria officiorum genera præſtanda evadant diſpoſiti, atque adeò apti, qui DEI gloriæ, ſuæque & aliorum hominum præſenti ac futuræ felicitati, promovendæ inſerviant.

§. XII. (1) Appoſitè ſatis Cl. *Titius*, omnia Liberorum erga Parentes officia, reducit ad hæc duo: *Primo*, ut exercitium Imperii parentalis admittant: *Secundò*, ut gratitudinem erga Parentes exerceant: ſatis rectè etiam, illud ex omnibus tribus ſæpiùs memoratis officiorum fontibus, hoc ſpecialiùs ex Socialitate vult fluere.

CAPUT IV.

De Officiis Dominorum & Servorum.

I. *Introducta ſervitutis in familias occaſio.* II. *Quæ hero in ſervum mercenarium poteſtas?* III. *Quæ in ſer-*

ſervum qui ſe ultrò ei addixit? IX. *Quæ in illum qui bello captus eſt?* V. *Servos quos, & quâ lege, alienare liceat?* VI. *Vernæ quo jure fiant domini matris?*

POSTQUAM genus humanum multiplicari cœpiſſet, atque deprehenſum fuiſſet, quàm commodè res domeſticæ aliorum miniſterio curari poſſent; maturè introductum fuit, ut ad operas domeſticas obeundas *in familiam adſciſcerentur* SERVI. Quos *ab initio ultrò* ſeſe obtuliſſe probabile eſt, inopiâ adactos, aut propriæ hebetudinis ſenſu; ſtipulatosque ſibi perpetuam alimentorum & aliarum neceſſitatum præbitionem, in perpetuum hero ſua miniſteria addixiſſe (1). Dein, cum bella paſſim increbeſcerent, apud plurimos populos receptum, ut quibus *bello captis* vita donata eſſet, ſervitio addicerentur, una cum prole (2), quæ deinceps ex ipſis eſſet proventura. Etſi apud multos populos nulla ejusmodi ſervitus in uſu (3), ſed omnia munia domeſtica

 per

§. I. (1) Primam quidem ſervitutem ex ultroneis contractibus fuiſſe natam, ſatis eſt veriſimile: utrùm verò ab initio, in perpetuum, an verò ad tempus, Servi ſe addixerint, neque definiri poteſt, neque illud intereſt ſcire.

(2) Vide infrà notanda ad §§. 4, 5, & 6.

(3) Apud pleroſque ſc. Europæos hodiè eſt exploſa: imo Chriſtianis in univerſum placuit, bello inter ipſos orto, captos ſervos non fieri, ita ut vendi poſſent, ad operas urgeri, & alia pati quæ ſervorum ſunt: ut monet *Grotius*, *Lib. III. Cap. VII.* §. *ult.*

per mercenarios ad tempus conductos expediuntur.

§. II. Prout autem ſunt *diverſi* velut *gradus ſervitutis*; ita & poteſtas herorum, & ſervorum conditio, variat.

Mercenario temporario dominus conventam mercedem, iſte huic viciſſim conventam operam, debet. Et quia in eo contractu domini melior eſt conditio, ideò etiam ejusmodi miniſter domino pro ratione dignitatis reverentiam exhibere tenetur; & ubi malitiosè aut negligenter opus fecerit (1), ejusdem coercitioni eſt obnoxius; quæ tamen ad gravem corporis afflictionem, multò minùs ad mortem propriâ auctoritate ſumendam, procedere nequit.

§. III. Ejusmodi autem *ſervo*, *qui ſeſe ultrò alicui in perpetuum ſervitium addixit* (1), dominus

§. II. (1) Quidni etiam, ubi decus & tranquillitatem familiæ turbaverit? Vide §. *ſeq.* Coercitio autem quæ domino in ſervum permittitur, ſive in familia ſegrege, ſive civili imperio ſubjecta, æſtimari poteſt ex iis quæ notavimus ſuprà, ad *præc. Cap.* §. 7. de poteſtate *Capitis Familiæ.* Corporali verò caſtigatione, in mercenarios adultos, ad tempus conductos, præſertim diverſi ſexûs, eo parciùs utuntur cordati Patres aut Matres familiarum, quòd, ſi eorum mores diſpliceant, mollius remedium intra exiguum tempus expectetur, dimiſſio ſc. è familia, poſt elapſum conventum terminum.

§. III. (1) Rectè monet *Titius*, Societatem herilem quæ ex conventione naſcitur, eadem Jura, easdemque obligationes, includere, ſive in perpetuum, ſive ad tempus, ſit inita; niſi quòd hìc ea temporaria ſint, illic perpetua.

minus perpetua alimenta, & quæ alia vitæ neceſſaria ſunt; ille huic viciſſim perpetuas operas, quaſcunque dominus præſcripſerit (2), præſtare debet, & quicquid ex illis provenit, domino fideliter conſignare. In quibus tamen virium & dexteritatis ſervi humaniter rationem habebit dominus, ne vires ipſius excedentem laborem cum aſperitate exigat. Caſtigationi quoque domini (3) iſte ſubeſt, non ſolùm ad expellendam negligentiam in opere exſequendo; ſed & ut ipſius mores ad decus & tranquillitatem familiæ componantur. Non tamen invitus alteri vendi talis poteſt; quia ultrò hunc, & non alium, dominum adſcivit; & ipſius intereſt, utri ſerviat. Si atrox delictum in alium extra familiam (4) admiſerit, in civitatibus pœnæ poteſtatis civilis ſubjacet; ubi familia ſegrex fuerit, expelli inde poterit. Sed ubi delictum in ipſam familiam ſegregem ſit admiſſum, à domino etiam per extrema coerceri poterit.

§. IV. In iſtos autem *ſervos, qui bello capti*.

(2) Servus, ſive ad tempus, ſive in perpetuum conductus, vel ad certi generis operas, vel quaſcunque Dominus præſcripſerit, at juſtas & licitas, ſe poteſt obſtringere.

(3) Vide *Obſerv.* in §. *præced.* & in *præced. Cap.* §. 7.

(4) Diſtinctio, utrùm ſervus extra, an in familiam, deliquerit, ut rectè etiam monet *Titius*, nihil ad rem facit; cum in utroque caſu, delinquens ſervus pro ratione delicti ſit puniendus, vel à ſuo Domino, vel à Magiſtratu civili, prout familia eſt ſegrex, vel civili imperio ſubjecta.

capti (1) fuerant, à pleriſque duriùs agi coe-

§. IV. (1) Nulla in re, à Socialitatis lege pleræque Gentes longiùs aberrârunt, quàm in *Belli* circa *Servitutem* introducendam Jure æſtimando; ut mirari ſubeat, potuiſſe Hominum Genus eousque ſuæ dignitatis oblivisſci, & in innumeras, easque extremas, contumelias, ærumnas, miſerias, ſibi arceſſendas, quaſi ultrò conſpirare. Hoc quidem ex principiis ſuprà ſtabilitis facilè conſtat; *Eum qui alteri*, ſive ex contractu, ſive ex delicto, aliâve quâcunque ratione, *quidquam debet, quod præſtare, aut pro quo aliter ſatisfacere, non poteſt, Jure naturali teneri, ad operam ſuam, quæ ei utilis eſſe poſſit, Creditori ſuo præſtandam.* Sed & qui *atrociùs deliquit*, ut qui vitæ & fortunis alterius, bello ſine cauſa ſaltem probabili ſuſcepto, extrema intentavit, *rectè poteſt, gravioris mali, per modum pœnæ inferendi, metu, ad operas ſerviles adigi.* At 1. Captura bellica nullum reverà jus dat capienti, ubi antecedens jus non fuerat: qui itaque injuſtum bellum gerit, nullo jure, aut capit, aut captos ducit in ſervitutem. 2. Pœnæ corporali nemo eſt obnoxius, niſi qui ipſe deliquit: unde nec is qui juſtum gerit bellum, ſervilem conditionem, pœnæ nomine, iis rectè poteſt imponere, qui ad injuſtum bellum ab altera parte geſtum, nec ope nec conſilio quidquam contulerant. 3. Is etiam qui juſtum gerit bellum, certos petendi fines debet agnoſcere; nec quidquam ut ſibi debitum vendicare, ultra limites quos notavimus ad *Lib. I. Cap. V.* §. 17. Sed 4. Quicquid à Principe, vel Populo, cujus civis eſt bello captus, capienti debeatur; non videtur captus civis, qui ſuo facto obligationem iſtam non contraxit, & ad quem ex ejus cauſa nihil pervenit, eo nomine ad perſonalem ſervitutem teneri; propter rationem infrà adferendam, ad *Cap. X.* §. 2. 5. Sive pœnæ nomine, ſive alterius juris explendi causâ, ſervire quis rectè cogatur; non ideo tamen ipſe Homo ita alterius dominio ſubjicitur, ut ex claſſe perſonarum, in claſſem rerum delapſus intelligi debeat.

cœptum, quod hoſtilis adhuc iræ quid in eos ſupereſſet, & quia ipſi extrema nobis noſtriſque fortunis intentaverant. Quamprimum tamen inter ejusmodi victorem victumque mutua fides (2) circa conſociationem in familiam interceſſit, omnis antegreſſa hoſtilitas remiſſa cenſetur. Et tunc utique injuriam etiam taliter adquiſito ſervo facit dominus, ſi vel neceſſaria ad victum non ſuppeditet, vel citra rationem in eum ſæ-

beat. Pœnæ certè exigendæ jus eſt commune: vide *Obſ.* in *Lib. I. Cap. V.* §. 17. Quòd ſi certo alicui Homini, vel Cœtui, aliquis quid debeat, hoc eſt, aliquid ei dare vel facere teneatur; non ideo ipſe debitor in creditoris bonis eſt habendus: neque enim Homo eſt è numero earum rerum, quæ Humani Generis facultati, tanquam acquirendi Dominii objecta, à DEO ſunt oblatæ: imo *abſurdum videtur*, ut ipſius *Juſtiniani* verbis (*Inſt. Lib. II. Tit. I.* §. 37. *in fine*) leviter mutatis hìc utar, *Hominem in rebus eſſe; quum omnes res natura gratiâ Hominis comparaverit.*

(2) Si vel maximè victor à victo ſerviles operas ſuo jure poſſit exigere, quod tamen rariùs contingere, ex modò dictis conſtat; tamen, cum nemo facilè cauſam, quam ipſe tuebatur, injuſtam eſſe cenſeat; multò minùs ad pœnam ſubeundam, ubi eam poteſt evadere, ſe putet obligatum; capientis eſt, ſi capti ſervitio ſecurus velit uti, vitam ei & incolumitatem, quæque ad utrumque tuendum pertinent, paciſci, dum hujus contrà obſequium & fidele miniſterium ſtipulatur: quo facto, ceſſat hoſtilitas. Iſtud verò pactum expreſſis ſignis iniri debet: nec tamen inficior, ſi victor captum, cujus vitæ pepercit, nec vinctum nec incluſum teneat; eo ipſò tacitum videri pactum initum quo ille prohibetur, hunc ſine nova cauſa occidere, hic, illi per iſtam opportunitatem hoſtilia intentare.

ſæviat, multoque magis ſi citra condignum delictum eundem occidat.

§. V. Circa illos quoque ſervos, qui bellicâ vi in eam conditionem fuerant abſtracti, nec non qui pretio emuntur, receptum, ut non ſecùs ac aliæ res noſtræ, in quemcunque placeret, transferri, & ad inſtar mercium venire, poſſent (1). Sic ut

§. V. (1) Corpora ſervorum non eſſe pro mercibus habenda, ſuprà oſtendimus. Nec tamen hoc impedit, quò minùs jus exigendi ſerviles operas, ex cauſis ſuprà deſcriptis oriundum, arbitrio creditoris transferri poſſit: jus enim iſtud ſubſidiarium, quod alterius juris expletionem reſpicit, eſt naturâ ſuâ alienabile; unde & pactum quo confirmatur, non patitur in dubio anguſtiorem interpretationem. Sed & qui, capitalis pœnæ vitandæ causâ, ſe ſuaque, quantum in ſe eſt, victori ſubjicit, paciſci intelligitur quicquid poteſt paciſci, atque adeò jus alienabile ad victorem transferre.

Qui verò non jure aliquem in ſervitutem rapuit, vel in ea detinet, non poteſt ullum jus, quod adverſus captum aut detentum valeat, quocunque titulo ad alterum transferre. Quinimo nec bona fides hic obtendi poteſt: nam præterquam quòd poſſeſſionem violentam nullus favor comitetur, neque per eam juris ſui probandi onus transferatur, à violento poſſeſſore, ad petitorem cui res vi erepta fuerat; Petitori, etiam adverſus quemvis poſſeſſorem, ſufficit probâſſe rem petitam aliquando fuiſſe ſuam, ut poſſeſſori imponat neceſſitatem oſtendendi, eam rem à petitore fuiſſe poſtea alienatam, derelictam, aut aliquo certè modo jure amiſſam: cum igitur unusquisque naturaliter ſit Dominus ſuæ libertatis, ſive juris de actionibus ſuis diſponendi; hoc jus nullus alius bonâ fide ſibi poteſt aſſerere, niſi oſtendat id à naturali ſuo ſubjecto receſſiſſe; imo ampliùs, niſi id

ut ipſum *corpus ſervi domini eſſe* intelligeretur. Ubi tamen humanitas jubet, ut nunquam obliviſcamur, ſervum utique hominem eſſe: adeòque nequaquam eum ita tractemus velut alias res noſtras, quibus pro lubitu uti abutique, easque deſtruere, poſſumus. Et ubi talem ſervum alienare placet, ne iis data

id evincat ad ſe fuiſſe translatum; Libertas enim occupationi non patet: imo jus, quod adverſus ullius Hominis libertatem alii Homini poteſt competere, non eſt *Domini* propriè ſic dicti, ut ſuprà ſatis evictum, ſed *Creditoris.* Vide *Obſ. in prac.* §. Novi equidem hæc, quantumvis generalibus Juris *Civilis*, non minùs quàm *Naturalis*, principiis conſona, non obſtitiſſe, quo minùs *Romani* (demptis paucis quæ *Libertati* indulgebant privilegiis) pariter ac barbaræ quæque Gentes, à vero hac in parte aberrarint; utpote præjudicium foventes, plerisque populis & olim & hodie inolitum, *per occupationem bellicam acquiri Dominium indiſcriminatim, tum in perſonas, tum in res hoſtium, eorumve qui hoſtium ditioni ſunt ſubjecti:* quod quàm ſit à ratione alienum, & juri naturali adverſum, intelligi poteſt ex obſervatis in *praced.* §. & loco ibi allegato; præcipuè verò ex Cl. *Lockii Tract. Poſt. de Imperio*, *Cap. XVI.* Non inficior, jus illud *externum*, quod *Grotio* dicitur, ex Gentium conſenſu natum (& de quo infrà ad *Cap. XVI.* §. 12. *& ſeqq.* nonnulla notabimus) circa res bello captas, & ad alterum non hoſtem translatas, aliquid valere: ſed neque hoc ad *libertatem perſonalem* innocentibus civibus adimendam ſufficit; cum jus Civitatis in ſuos cives eousque non pertingat: neque in ullis rebus *poſtliminium* admittentibus (quod perſonis liberis bello captis omnium Gentium jure conceditur) conſcientiæ ſatisfacere poteſt hoc externum jus; utpote quod eas res vindicandi facultatem priſtinis Dominis non aufert, ſed tantùm certo loco, vel potiùs extra certum locum, eas vindicari prohibet.

ta opera, aut præter meritum, addicatur, apud quos inhumana ipſum tractatio eſt manſura.

§. VI. Denique, & id paſſim receptum, ut *Quæ ex ſervis parentibus naſcitur proles, ſervilis & ipſa ſit conditionis, pertineatque tanquam mancipium ad dominum matris.* Id quod iſthoc argumento defenditur; quòd cujus eſt corpus, ejus quoque par ſit fructum eſſe (1), qui ex eo corpore provenit. Et quia iſta proles naſcitura planè non erat, ſi dominus jure belli in parentem uſus fuiſſet (2). Et quia parens nihil habet proprii, nulla ratio prolem ejuſmodi alendi ſupereſt, niſi ex bonis herilibus (3). Cum igitur dominus

§. VI. (1) At rectè nos docuit *Juſtinianus*, *Inſt. Lib. II. Tit. I.* §. 37. *Abſurdum videri Hominem in fructu eſſe, cum omnes fructus rerum natura gratiâ Hominis comparaverit:* quòd ſi hanc ob cauſam, ut vult Imperator partus ancillæ non ſit *Uſufructuarii*; patet, neque ad *Dominum proprietatis* eum pertinere poſſe, tanquam *fructum rei ſuæ;* præſertim cum ſuprà oſtenſum ſit, *Obſ.* 1. in §. 4. & eâdem quâ hìc *Juſtinianus* utitur ratione confirmatum, Hominem in alterius hominis *Dominio* propriè ſic dicto eſſe non poſſe. Addo, cum Anima, pars Hominis nobilior, à parentibus non derivetur, æquum eſſe ut ea partem ignobiliorem ad ſe trahat.

(2) Conſequentia eſt nulla: ſed neque verum eſt, quod hìc ſupponitur, omnes qui bello, etiam juſto, capiuntur, præſertim fœminas, (de quibus hìc agitur, *Partus* enim *Ventrem* ſequi dicitur) jure poſſe occidi.

(3) Patet ex modò dictis, hunc ſolum ſervituti hæreditariæ prætextum reſtare: & ob cauſam quidem

nus alimenta præbeat ejusmodi proli, diu
Z .ante

dem hic aſſignatam, quin verna fiat debitor Altori ſuo, ad valorem ſumptuum ei alendo & educando neceſſariò impenſorum, non eſt dubium: imo & Filium eodem nomine Parentibus ſuis, à quibus alitur, debitorem fieri, diximus ſuprà, *Suppl. IV.* §. 7. Hoc quidem intereſt, quòd, à communi Parentum affectu & officio abhorreat, à Liberis ſuis, ſaltem nullum peculium adventitium habentibus, illius debiti ſolutionem exigere, niſi ſumma illorum indigentia, vel horum ingratitudo, ſit in cauſa; Dominis contrà, quo minùs eam à vernis ſuis exigant, nihil obſtet: quâ cum vernæ haud aliter, quàm præſtitis operis ſuis, defungi poſſe ſupponantur; has operas Altori ſuo ad iſtum valorem tenentur præſtare; juxta doctrinam traditam ſuprà, *Obſ.* 1. in §. 4. Inde tamen haudquaquam ſequitur, Vernas Altoribus ſuis perpetuum debere ſervitium; cum Homo, vel mediocribus Animi & Corporis dotibus inſtructus, poſſit, multò breviore quam totius vitæ ſpatio, iſtud debitum exſolvere. Iisdem principiis conſonum eſt, ſi quis alius velit ab initio vernam alere, vel poſtea, quod is Domino debet, perſolvere, ita ut meliorem reddat Vernæ conditionem, vel ut ipſe Verna, ſi ſit adultus, iſtam translationem petat; non habere dominum matris, quod ulterius jure poſſit exigere: ut &, ſi quid aliunde Vernæ advenerit, id ipſi Vernæ, non domino matris acquiri, atque adeò illi prodeſſe poſſe ad liberationem: uno verbo, non eſſe deteriorem, jure naturali, conditionem vernæ; quàm quæ eſt, jure civili, Civis Romani ab hoſtibus redempti, & pignoris loco detenti donec pretium ſolvatur: vide *Cod. Lib. VIII. Tit. LI.* Sed nec vernæ debitum augeri, cenſendum eſt ex eo capite, quòd neſciverit Altor, utrùm verna omnino eſſet victurus, quoad valorem ſumptuum ſibi impenſorum poſſet reſtituere: quaſi hæc incerta alea, quæſtûs per vernam faciendi magnitudine, eſſet penſanda: quippe unicuique homini in mundum venienti, *Neceſſitas* jus facit ad ea, quæ

ſunt

ante quàm ipſius opera utilis eſſe queat, & ſequentes operæ ſui temporis alimenta non multum ferè excedant; effugere eidem ſervitutem invito domino non licebit. Manife-

ſunt ei conſervando, & in commodum Humanæ Societatis membrum formando, neceſſaria: imo Dominus, qui Parentis labores, quibus alioquin & ſibi & proli ſuæ deberet proſpicere, ſibi vendicat, huic proli, non minùs quàm parenti, debet alimonium; ſub onere quidem reſtitutionis, ſi reſtituere unquam verna potuerit; ſin minùs, ſine eo: neque aliud hìc eſt ſtatuendum, quàm in reliquis caſibus, quibus ſummâ inopiâ laborantibus res ad vitæ ſuſtentationem neceſſariæ conceduntur; pro quibus quidem deberi ſtricto jure reſtitutionem, cum quis eam potuerit facere, omnes concedunt; ſed deberi in hoc caſu lucrum aliquod, ad inſtar *fœnoris nautici*, ob incertam aleam, nemo ſanus dixerit. Denique, nec ullæ Leges Humanæ, ad obligationem de qua hìc agitur intendendam, rectè allegantur: cum enim Homines ante ſuum factum, non niſi mediantibus Parentibus aut Altoribus, Legibus civilibus ſubjiciantur; non poteſt per has, illorum in non conſentientes poteſtas amplior fieri, quàm eam ipſa natura fecerat.

Materiam trium poſteriorum *h. Cap.* §§. eò prolixiùs tractavi, quòd perſuaſum habeam, uſurpatum illud jus *Dominii* in Servos, tanquam in pecora, quale apud Antiquos obtinuit, & quale etiamnum hodie (licèt *Chriſtianis inter ſe*, & in pleriſque *Europæis Regionibus ſimpliciter*, exploſum) in aliis Mundi plagis, & majore forſan quàm apud veteres Ethnicos tyrannide, à quibusdam CHRISTI nomen profitentibus, ingenti ſacroſancti illius Nominis probro, exercetur, eſſe, ut Cl. *Titii* hìc verbis utar, *Emortuæ Socialitatis certiſſimum indicium.*

Si quis objiciat, varia Legum Moſaicarum præcepta, iſtius

nifeſtum tamen eſt, cum ejuſmodi vernæ nulla ſuâ culpa in ſervitutem perveniant, nullum eſſe prætextum, quare iſti duriùs debeant tractari, quàm conditio perpetuorum mercenariorum admittit.

iſtius juris uſum ſupponere; viderit is, an non de illis, æque ac de præceptis Polygamiam ſupponentibus, idem ſit dicendum, quod de lege divortium in foro externo permittente; *ea ſc. Hebræis ob cordis eorum duritiem fuiſſe indulta;* præſertim, cum unum præceptorum eo pertinentium, divortii quoque externam permiſſionem contineat: *Exod.* XXI. 3, 4. Addo, cum aliud jus Hebræis in ſervos Hebræos, aliud (per modum pœnæ, ut verſimile eſt) in exteros Idololatras, in foro ſaltem externo, ſit conceſſum; iſtam propinquitatem, quæ per Legis Moſaicæ literam inter ipſos Hebræos conſtituitur, eſſe hodie, ſecundùm Juris Naturalis dictamen, & Evangelii præſcriptum, ad omnes extendendam. Confer *Lev.* XIX. 18. & *Lucæ* X. 36, 37.

CAPUT V.

De cauſa impulſiva conſtituendæ Civitatis.

I. *Officia in Civitate ex hujus ortu deducenda.* II. *Ad eam Homo non eſt ſuâ naturâ pronus.* III. *Triplex in hanc rem conſideratio.* IV. *primò, conditionis ex hac Societate provenientis;* V. *Tum, requiſitorum Animalis politici;* VI *Tum, naturæ humanæ vitæ civili repugnantis.* VII. *Cauſa civitatis conſtituendæ, vitæ ſecuritas:* VIII. *Quam per ſeſe homini non præſtat lex naturæ;* IX. *Neque Numinis metus, & morſus conſcientiæ.*

QUANQUAM vix ſit jucunditatis quid atque commoditatis, quod per hactenus enumerata officia ſtatusque obtineri non poſſe videatur: quare tamen mortales, non contenti parvis illis primiſque ſocietatibus, magnas ſocietates, quæ CIVITATUM nomine veniunt, conſtituerint, jam inveſtigandum reſtat. Ex hiſce enim fundamentis, deducenda eſt ratio Officiorum, quæ ſtatum hominum civilem comitantur.

§. II. Heìc igitur *non ſufficit dixiſſe, Hominem per naturam ipſam rapi ad ſocietatem civilem, ut citra eam nec poſſit nec velit vivere,* Sanè enim, cum apertum ſit hominem eſſe tale animal, quod ſeipſum & ſuam utilitatem quam maximè amat; neceſſum eſt, ut dum ultrò ſocietatem civilem affectat, aliquam utilitatem inde ſibi proventuram reſpexerit. Et quanquam extra ſocietatem cum ſui ſimilibus homo erat futurus animal longè miſerrimum: tamen, cum naturalibus deſideriis & neceſſitatibus hominis, per primas ſocietates, & per officia ex humanitate aut pactis præſtita, abunde potuerit ſatisfieri; non ſtatim ex ſocialitate hominis inferri poteſt, ejus indolem præcisè ad ſocietatem civilem ferri.

§. III. Id quod planius fiet, ſi conſideremus, *quænam conditio ex conſtitutis civitatibus apud homines proveniat? Quid requiratur, ut quis verè dici queat animal Politicum, i. e. bonus civis?*

civis? Quid denique deprehendatur in natura hominis, indoli vitæ civilis repugnans?

§. IV. 1. Qui *Civis* ſit, libertatis naturalis jacturam facit, ac imperio ſe ſubjicit, quod jus vitæ & necis complectitur; & cujus juſſu plurima facienda, abs quibus quis aliàs abhorrebat; & omittenda, quæ vehementer adpetebat. Pleræque etiam actiones ad bonum ſocietatis referendæ, quod ſæpe à bono ſingulorum videtur diſcrepare. Atqui ad hoc per inclinationes jam congenitas fertur homo, ut nemini ſubjectus eſſe, ut omnia ſuo agere arbitrio, ut proprio commodo in omnibus velificari, velit.

§. V. 2. *Animal verè politicum*, i. e. *bonum civem*, illum dicimus, qui juſſis imperantium promtè paret, qui ad bonum publicum omnibus viribus connititur, ac poſt illud privatum bonum lubenter habet; imo, qui nihil ſibi bonum credit, niſi idem bonum quoque ſit civitati; qui denique adverſus alios cives commodum ſeſe gerit. Atqui paucorum ingenia ultrò ad hunc finem attemperata inveniuntur; maxima pars metu pœnæ utcunque continetur; multi per totam vitam mali cives, & animalia non politica, manent.

§. VI. Denique, *nullum homine animal ferocius*, aut indomitum magis, & quod in plura vitia, pacem ſocietatis perturbare apta, ſit proclive. Præter deſideria enim cibi, venerisque, quibus bruta quoque ſolent

 lent

lent committi, multis homo agitatur vitiis, quæ bruta ignorant: uti eſt ſuperfluarum rerum inſatiabilis cupido, & ſæviſſimum malorum ambitio. Vivax item nimis injuriarum memoria, & vindictæ ardor, longo poſt tempore adhuc gliſcens. Nec non infinita diſſimilitudo inclinationum & adpetituum, & cuique pro ſtudio ſuo extollendo pervicacia. Accedit, quod eo furore in proprium genus ſævire gaudeat homo, ut maxima pars malorum, quibus humana conditio vivit obnoxia, ab ipſo homine proficiſcatur.

§. VII. Genuina igitur & principalis cauſa, quare patres familias, deſertâ naturali libertate, ad civitates conſtituendas deſcenderint, fuit; *ut præſidia ſibi circumponerent contra mala, quæ homini ab homine imminent* (1). Nam

§. VII. (1) Hanc, quæ ab Auctore aſſignatur, *Civilis Societatis* ineundæ præcipuam *cauſam*, cur ſibi convellendam cenſuerint Cl. Viri, *Titius* & *Barbeyracius*, haud ſatis ſcio: ipſi certè ejus loco aliam æquè probabilem non aſſignant. Quin callidi & ambitioſi homines, dum ſibi in nova Civitate primas fortè partes pollicerentur, artibus ſuis illud inſtitutum promoverint, nullus dubito: at quas demum artes, quove ſucceſſu, adhibuiſſent, niſi rationes conſilii ſui apud vulgus ſpecioſas potuiſſent adducere? Talis autem nulla probabiliùs adduci potuit, quàm quæ ab Auctore memoratur. *Vim* qui cauſantur, ipſi viderint, annon id factum ſupponant, cujus faciendi cauſam quærunt, *Civitatem* ſc. *eamque ad vicinos ſubjugandos ſatis validam:* quod præcipuè illi cavere debent, qui Auctori noſtro eundem impingunt erro-

Nam uti poſt Deum O. M. homo homini plurimum prodeſſe; ſic & idem non minùs obeſſe, poteſt. Et rectè malitiam hominum, ejusque remedium, æſtimant, qui in proverbii vicem receperunt; *Niſi judicia eſſent, unus alterum devoraret.*

Poſtquam autem per Civitates in talem ſunt digeſti ordinem homines, ut à mutuis læſionibus tuti eſſe poſſent, ultrò deinde conſecutum fuit, ut eo uberiùs fruerentur commodis, quæ ex hominibus in homines provenire apta ſunt; putà, ut moribus à puero imbuerentur commodioribus, & varias

errorem; contendentes, non fuiſſe ejusmodi injurias metuendas, quæ Homines in civilem Societatem non poſſent impellere, niſi à Civitatibus modò conſtitutis: quaſi non eſſet conceptu multò faciliùs, quòd homines, nondum formatis Civitatibus, à moleſtis vicinis identidem turbari, pulſari, aut rebus ſuis ſpoliari, poſſent, atque adeò ad civilem Societatem, tanquam certiſſimum adverſus iſta mala perfugium, adigi; quàm quòd plurimis Hominibus invitis, in iſto rerum ſtatu, permanens aliquod jugum poſſet imponi. Quæ verò, nec immeritò, exagitant Cl. Annotatores, tanquam fabuloſa & Hiſtoriarum fidei adverſa, quòd magna Hominum multitudo initio convenerint, quòd de malis ſuis, eorumque efficaciſſimis remediis, maturè deliberaverint, ac tandem, *conſtituendam eſſe Civitatem*, cujus indolem ſc. & regularem formam probè perſpectam haberent, unanimiter decreverint; hæc, inquam, ad doctrinam Auctoris nihil attinent: utpote qui, vel Civium numero, vel Formæ regularitate, & Legum aptitudine, completa & omnibus numeris abſoluta fuiſſe prima illa civilis Societatis ſpecimina, ſomniavit nunquam. Confer *Lockii Tract. Poſt. de Imperio*, *Cap. IX.*

rias invenirent atque excolerent artes, quibus vita humana copioſa & commoda fuit reddita.

§. VIII. Illuſtrior adhuc fiet cauſa conſtituendæ civitatis, ſi conſideremus, *alia media non fuiſſe ſuffectura* reprimendæ hominum malitiæ.

Quanquam enim *lex naturalis* præcipiat, ut ab omnibus injuriis inferendis homines ſeſe abſtineant; tamen ejus legis reverentia id præſtare non poteſt hominibus, ut in libertate naturali ſatis tutò degere queant. Etſi enim fortè dentur homines animo ita modeſto, ut ne impunitate quidem datâ alios violare velint; alii quoque metu proventuri inde mali cupiditates ſuas utcunque compeſcant: magna tamen ex adverſo eorum turba datur, quibus omne jus vile eſt, quoties ſpes lucri arriſerit, & fiducia propriarum virium, aut ſolertiæ, quâ repellere aut eludere læſos ſeſe poſſe ſperent. Quos uti nemo non cavere nititur, qui ſalutem ſuam amat: ita cautio illa commodiùs, quàm ope civitatum, obtineri nequit. Nam utut aliqui mutuò fidem dederint de auxiliis invicem ferendis; ni tamen adſit aliquid, quo & judicia eorum uniantur, & voluntates firmiter adſtringantur ad explendam fidem, fruſtrà ab iisdem certum auxilium ſibi quis promittit.

§. IX.

§. IX. Denique, licèt lex naturalis hominibus ſatis inſinuet, non impunè laturos (1), qui alios injuriâ affecerint: tamen neque *metus divini Numinis*, neque *conſcientiæ morſus*, ſat validam deprehenduntur vim habere quorumvis hominum malitiæ coercendæ. Nam apud multos, educationis & conſuetudinis vitio, vis rationis velut obſurdeſcit. Unde fit, ut illi præſentibus tantùm immineant, futurorum parùm curioſi; ac non niſi iis moveantur quæ in ſenſus incurrunt. Cum autem vindicta divina lento ferè pede ſoleat incedere; inde pravis mortalium præbetur occaſio ad alias cauſas impiorum mala referendi; præſertim cum ſæpè videant, improbis affatim adeſſe queis vulgus felicitatem metitur. Accedit, quod ſtimuli conſcientiæ, qui facinus antecedunt, non ita validi videantur, quàm qui idem ſubſequuntur, quando id quod factum eſt, infectum ampliùs fieri nequit. Enimverò, pravis cupidinibus reprimendis, præſentaneum, & ad indolem hominum probè attemperatum, remedium in civitatibus reperitur.

§. IX. (1) Hæc conjungi debuerant, cum iis quæ in *præc.* §. Auctor de Lege naturali philoſophatur: quippe, ut illìc *præcepto*, ita hìc *ſanctione*, Legis Naturalis, haud ſatis efficaciter reprimi oſtendit Hominum malitiam. Quæ in fine *præc.* §. interjiciuntur, de Fœderibus, ultimo loco erant ponenda.

Caput VI.

De interna Civitatum Structura.

I. *Avertendis malis utilis conjunctio hominum*: II. *Neque eorum paucorum, ſed bene multorum;* III. *Per eadem media in eundem finem conſpirantium.* IV. *Huc ſpectat voluntatum ſub una poteſtate unio.* V. *Unio voluntatum qui obtineatur?* VI. *Unio virium ſub aliqua poteſtate, qui fiat?* VII. *Eo pertinet pactum ſingulorum cum ſingulis*: VIII. *Et, decretum de forma regiminis.* IX. *Denique, pactum inter cives & Imperantem.* X. *Civitatis natura & definitio ex traditis.* XI. *Regimen civitatis, vel uni homini;* XII. *Vel concilio ex pluribus collecto, commiſſum.* XIII. *Membra civitatis, Imperans & civis.* XIV. *Imperium civile, quo ſenſu à DEO ſit?*

PROXIMUM eſt, ut inveſtigemus, quâ ratione civitates ſint exſtructæ, earundemque *interna compages* cohæreat.

Ubi illud primò manifeſtum eſt, adverſus mala ab hominum pravitate imminentia, ſingulis hominibus neque locum aliquem, neque arma, neque animantia bruta, commodius & efficacius præſidium potuiſſe ſuppeditare, quàm *alii homines.*

Eorum autem vis cum in longè diſtantia non feratur, neceſſum erat *conjungi*, per quos finis iſte obtinendus erat.

§. II. Nec minùs conſtat, ejusmodi ſecuritatem adverſus alios homines præſtare non

non poſſe duorum vel trium conſenſionem. Quia facile eſt, ut ad paucos hoſce opprimendos tot conſpirent, quot certiſſimam ſibi de illis victoriam ſpondere poſſint; quibus ſpes ſuccesſûs & impunitatis fiduciam ad aggrediendum eſt datura. Igitur ad iſtum finem neceſſarium eſt, *inſignem hominum multitudinem* ſeſe conjungere; ut paucorum hominum ad hoſtes acceſſio, non ſit ipſis conſpicui momenti ad victoriam.

§. III. Inter multos iſtos, hoc fine coeuntes, oportet ut ſit *conſenſus circa adhibenda media ad eundem finem idonea.* Nam etiam multi, ni conſentiant inter ſe, ſed diſtracti ſententiis in diverſa tendant, nihil efficient. Aut licèt ad tempus conſentiant, impellente aliquo affectu: mox tamen, prout mutabilia ſunt hominum ingenia & inclinationes, in diverſa abibunt (1).

Et quamvis pacto inter ſe promittant, quod ad defenſionem communem vires ſuas ſint adplicaturi; tamen ne hoc quidem modo ad diurnitatem iſti multitudini ſat cautum erit. Sed oportet, ut qui ſemel ad pacem & mutuum auxilium causâ communis boni conſenſerint, prohibeantur, ne poſtea cum bonum ſuum privatum à publico diſcrepare viſum fuerit, iterum diſſentiant.

§. IV. Cæterùm, in humano ingenio *duo* potiſ-

§. III. (1) Ni ſc. per idoneum aliquod remedium, quale infrà deſcribitur, huic incommodo obviam eatur.

potiſſimùm occurrunt *vitia*, quæ impediunt, quo minùs multi ſui juris, & abs ſe invicem non dependentes, diu in communem aliquem finem poſſint conſpirare. Unum eſt, *diverſitas inclinationum & judicii* circa diſcernendum, quod ad finem eſt utiliſſimum; cui in multis eſt conjuncta *hebetudo* ad diſpiciendum, quæ ſententia ex pluribus ſit magis proficua; & *pervicacia* mordicus defendendi, quod ſemel utcunque arriſerit. Alterum eſt, *torpor & averſatio* ultrò faciendi quod utile eſt, ubi deſit aliqua neceſſitas, quæ tergiverſantes velint nolint ad officium faciendum ſubigat. Priori vitio occurritur, unitis in perpetuum voluntatibus omnium. Poſteriori autem, ſi conſtituatur aliqua poteſtas, quæ præſens & in ſenſus incurrens, malum infligere poſſit communi utilitati reluctantibus.

§. V. *Uniri multorum hominum voluntates* nullâ aliâ ratione poſſunt, quàm ſi unusquisque ſuam voluntatem voluntati unius hominis, aut unius concilii, ſubjiciat; ita ut deinceps pro voluntate omnium & ſingulorum ſit habendum, quicquid de rebus ad ſecuritatem communem neceſſariis ille voluerit.

§. VI. *Poteſtas* autem talis, quæ omnibus ſit *metuenda*, itidem inter multos homines nullâ aliâ ratione conſtitui poteſt; quàm ſi omnes & ſinguli ſeſe obligaverint, quòd eo modo vires ſuas ſint adplicaturi, ſicut ille

ille voluerit, in quem omnes virium ſuarum directionem reſignarunt.

Ubi autem & voluntatum & virium unio facta fuerit; tunc demum multitudo hominum in validiſſimum corpus, Civitatem nimirum, animatur.

§. VII. Porrò, ut Civitas *regulari modo* coaleſcat, requiruntur *duo Pacta*, & *unum Decretum* (1).

Primò enim omnium, illi multi, qui in libertate naturali conſtituti intelliguntur, ubi ad civitatem faciendam congregantur, inter ſe *ſinguli cum ſingulis pactum ineunt, quòd in unum & perpetuum cœtum coire velint, ſuæque ſalutis ac ſecuritatis rationes communi conſilio ac ductu adminiſtrare*; uno verbo, *quòd velint Concives mutuò fieri.* In quod pactum omnes & ſinguli ut conſentiant neceſſum eſt; & qui non conſenſerit, is extra futuram civitatem manet.

§. VIII. Poſt iſthoc pactum, oportet ut *Decretum* fiat, *qualis forma regiminis* ſit introducenda. De hac enim antequam conſtitutum ſit, nihil conſtanter poterit expediri, quod ad communem ſalutem faciat.

§. IX. Poſt decretum circa formam regiminis, *altero pacto* opus eſt, quando conſtituuntur ille vel illi, in quem vel quos regimen naſcentis civitatis confertur: quo quidem

§. VII. (1) Hìc ſpecialiùs explicare Auctor aggreditur, quomodo dicta modò *voluntatum*, atque adeò *virium*, *unio* producatur.

dem pacto, *hi ad curam communis ſecuritatis & ſalutis, reliqui ad obſequium his præſtandum, ſeſe obſtringunt;* quo ipſo etiam omnes ſuam voluntatem ſubjiciunt voluntati iſtius vel iſtorum, ſimulque ſuarum virium uſum & adplicationem ad communem defenſionem eidem vel iisdem deferunt. Atque hoc pactum ubi ritè fuerit exſecutioni datum, tunc demum perfecta & regularis *Civitas* inde provenit (1).

§. X.

§. IX. (1) Quòd ad *Civitatem* conſtituendam, & *Civile Imperium* erigendum, *Conſenſus Civium* requiratur, ex principiis ſuprà poſitis abundè liquet: ſed utrùm ordine hìc deſcripto eum conſenſum adhiberi ſemper ſit neceſſe, fas eſt dubitare: neque hoc affirmare voluit ipſe Auctor. Fateor equidem, cum perfecta *Civitas*, & cui de diuturnitate ſatis ſit cautum, in conſtitutione ſua *duplicem* includat *Obligationem*, alteram *Civium inter ſe*, alteram *Imperantis & Subditorum mutuam*, & illam quidem ab hac independentem; cumque ad illam producendam, *primum* ſuprà deſcriptum *pactum*, ad hanc *ſecundum* (quod, ubi primum ſimpliciter initum præceſſerat, intermedium ſupponit *Decretum*) peculialiter collineet; non poſſe talem civitatem conſtitui, quin aliquid agatur, quod omnium *trium actuum* hìc memoratorum vim atque efficaciam habeat. Hoc verò poteſt agi, vel magis explicitè, per diverſos ſuccedentes actus, juxta ordinem ab Auctore deſcriptum; vel compendioſiùs, per unum, qui utramque dictam modò obligationem pariens iis omnibus æquipolleat. Prius ſi contingat, manifeſtum eſt utrique pacto ſuum conſtare effectum, eumque permanentem: ut minùs rectè, à Cl. Annotatoribus ſæpiùs laudatis, primum pactum dicatur ad ſecundum ſe habere, ut pulpita vel contignationes ad ædes extruendas: rectiùs longè Auctor, permanenti primi pacti efficaciæ tribuit, quod

§.X. Civitas ita conſtituta ad modum *unius perſonæ* concipitur, unoque *nomine* ab omnibus

quod Subditi, in Monarchia electiva, defuncto rege, ut in hæreditaria, extinctâ familiâ regnatrice, civili adhuc vinculo conſtricti maneant, quo tenentur, ſuæ ſalutis ac ſecuritatis rationes communi conſilio ac ductu adminiſtrare. Sed poteſt quoque, ut diximus, per unum pactum utraque prædicta obligatio ſtabiliri, atque adeò perfecta Civitas conſtitui. In republica quidem populari, agnoſcit Auctor, de *J. N. & G. h. t.* §. 3. non ita liquidò poſterius pactum adparere: contendit tamen, illud hîc etiam eſſe omnino agnoſcendum, tanquam fundamentum obligationis; quâ ſinguli Cives tenentur, non modò ſtare decretis & juſſis à conſilio univerſorum profectis (quod fortè à primo pacto inferri poſſet) ſed & ſimul curam Reipublicæ pro virili capeſſere. At quid obſtat, quo minùs ſinguli, ab initio Rempublicam popularem erigere ſtatuentes, ſimul & ſemel paciſcantur cum ſingulis, quòd velint, tum ſuam quisque voluntatem voluntati univerſorum ſubjicere, tum etiam publicarum curarum ſuam quisque partem ſuſtinere: quo in caſu, per unum, aut certè per uniusmodi pactum, perfecta *Democratia* conſtituitur. *Monarchiam* porrò, per unicum pactum, id ſcil. quod Monarchæ & ſingulis futuris Civibus intercedit, citra ullam antegreſſam inter ipſos Cives conventionem, conſtitui poſſe, Auctor fatetur, *d. l.*: quâ tamen ratione ut conſtituatur perfecta, & ad diuturnitatem valitura Civitas, conſiderari debet Princeps, ut ſtipulans quaſi in gratiam naſcentis Civitatis, ab unoquoque Cive, non modò officium quod ſibi imperanti, ſed & quod ſingulis Concivibus & integræ Civitati, ad civilis ſocietatis finem obtinendum, præſtari debuerit: quo caſu illud unicum pactum, Imperanti cum Subditis initum, & primi & ſecundi pactorum ab Auctore deſcriptorum vim continet: quemadmodum omnes fatentur, in qualibet jam conſtituta Civitate, per unum ejusmodi pactum, ſeu tacitè ſeu expreſsè cum Sum-

bus particularibus hominibus diſtinguitur, atque dignoſcitur; habetque peculiaria *jura*, ac

Summo Imperante initum, omnes poſtmodum adſcitos Cives, non ipſi modò Imperanti, ſed & integræ Civitati, & ſingulis Concivibus, obligari.

Poteſt itaque perfecta Civitas utrovis modo ab initio formari; vel ſc. per duo pacta cum intermedio decreto (quod tamen decretum poteſt etiam in primo pacto includi) vel per unicum pactum: illic Cives colligantur, primò ſinguli inter ſe, dein univerſi cum Imperante; hic ſinguli ſtatim cum Imperante, ſimulque per eum inter ſe. Prior utcunque modus, ſaltem ubi unius vel paucorum imperium eſt conſtituendum, videtur maximè naturalis: quippe, ſicut à ſingulis ſeorſum imperium paucis deferri vix poteſt, niſi iſti pauci prævio pacto ſint inter ſe conjuncti; ita neque facilè poteſt intelligi Imperium à ſingulis ſeorſum delatum uni, niſi idoneum ſubditorum numerum vel jam habenti, vel ſtatim habituro: Si jam habere dicatur, Civitas modò conſtituta ſupponitur; nos verò hic de prima ejus conſtitutione quærimus: quòd ſi ſubditos tantùm mox habiturus ſupponatur; quibus in rebus, ante conſtitutas Civitates, iſta expectatio fundari potuerit; & quid eæ cuiquam ad civilis Imperii acquiſitionem contuliſſe ſint cenſendæ; rectiùs percipietur poſt ſequentia notata.

Primò, Cum regularis & pacatus, vel ſimplicis *Familiæ*, ſtatus non ferat, ut qui in eadem degunt, lite inter ipſos ortâ, vi decernant; vel jura ſua adverſus extraneos ſeorſum defendant, aut proſequantur; hinc, qui ſocietatem domeſticam ineunt, ſub patrefamilias in libertate adhuc naturali verſante (quantumvis non tam jurium tuendorum, quàm indigentiæ mutuò ſupplendæ causâ, iſta Societas ineatur) aliquid interim inſtar *Civilis Imperii*, patrifamilias, in ſe & pro ſe exercendum, videntur permittere: quin imo, cum una familia ſibi adverſus externam vim defendendæ haud ſufficiat; nec Pater familias, dum alios in familiam recipit, jus ſuum cum iis communicare

ac *res* proprias, quæ neque ſinguli, neque multi, neque adeò omnes ſimul, citra eum

A a qui

nicare velle videatur; cenſentur quoque hi, ſe ſubjiciendos paciſci, quamdiu in familia manſerint, illi Imperio civili, cui Pater familias ſe ſuaque voluerit ſubjicere: multò magis, qui familiam civili Imperio jam ſubjectam ingrediuntur, vel adulti in ea manent, ſuopte conſenſu eidem Imperio ſe ſubjicere intelliguntur: ſicut, in omnibus etiam hiſce caſibus, Imperii, cui ſe ſubjiciunt, protectionem viciſſim ſtipulantur.

Secundò, Cum dominium rerum, quale naturaliter ex originariis acquirendi modis reſultat, includat facultatem de iis pro lubitu diſponendi, ita ut inſerviant uſibus ad quos Hominibus à DEO ſunt conceſſæ; is qui plenum & illibatum alicujus *Soli Dominium* obtinet, rectè poteſt exigere, ne quis in iſto Solo degat, niſi ita ut Summum ſuum Civile Imperium velit agnoſcere: quin & hoc jus, quod *Soli Imperium* dicitur, poteſt Dominus, retento cæteroquin dominio, ad alterum transferre; quod facto, nec Dominus, nec alius quiſpiam, in iſto ſolo rectè verſabitur, illudve poſſidebit, niſi ejus alterius imperio ſubjectum ſe tulerit: poteſt & is qui eſt pleno jure Dominus, imperio ſibi retento, *Dominium vulgare*, quod appellant, transferre ad alios.

Atque hinc intelligimus, quomodo Civitatum firmitati, & Imperiorum civilium durationi, non obſtante ſingulorum hominum naturali libertate, ſit conſultum. Uſus ſc. Soli, cui alii aliis vinculis adglutinantur, cum civilis ſubjectionis obligatione connexus hæret; quam idcirco tacito conſenſu, quoad in illo ſolo manſerint, in ſe ſuſcipere intelliguntur, tum qui ibi nati, poſtquam adulti ſint ibidem manent; tum qui aliunde, citra hoſtilitatis profeſſionem, eòdem accedunt.

Ex his demum intelligi facilè poteſt, *Familiarium numero*, tum poſſeſſorum *Fundorum amplitudine*, etiam ante majores Societates communis defenſionis gratiâ

qui ſummum habet imperium, ſeu cui regimen civitatis commiſſum, ſibi aſſerere poſ-

gratiâ combinatas, potuiſſe unum Patrem familias, præ vicinis pluribus, quaſi digito monſtrari, tanquam aptiorem, cujus ductui & imperio reliqui ſe ſubjicerent, ſuamque ſalutem, rerumque ſuarum incolumitatem, tuendam commendarent; ſi modò Æqui cura eidem non deeſſet; & præſertim, ſi egregiæ quoque animi corporiſque dotes accederent. Sed vix eſt, ut omnes iſtæ qualitates, quouſque in ſegrege illo ſtatu ſupponi queunt, ullum unum Patrem familias permovere potuerint, ad ſemet permanſuro civilis ſubjectionis vinculo ulli alteri ſubmittendum, priuſquàm pacto cautum eſſet, alios etiam, quorum beneficio civilis Societatis ineundæ finis obtineri poſſet, hoc idem eſſe facturos. A veri itaque ſimilitudine haudquaquam abhorret, *in primis Civitàtum fundamentis jaciendis*, *idoneum Patrum familiarum numerum*, *inter ſe priùs colligatorum*, *illi quem Imperantem adſciſcere voluerunt junctim detuliſſe Imperium*; hoc eſt, prima Civitatum Monarchicarum ſpecimina, per duo potiùs, quàm per unum pactum, fuiſſe producta. Decretum verò, quo non tantum *Formam Regiminis*, ſed & *Hominem rectūrum*, oportebat definiri, facilè potuit in primo pacto includi.

Id interim unum ſatis mirari nequeo, Cl. Viros, *Titium* & *Barbeyracium*, cum haud ægrè largiantur, poſt prima Civitatum initia, potuiſſe, vel etiam debuiſſe, novas Civitates formari, eo ferè ordine qui ab Auctore deſcribitur; inter fabulas tamen referre, quòd primæ Civitates eo modo formatæ fuerint: nullum certè ego inter primas & ſequentes Civitates, hac in parte, diſcrimen excogitare queo; ni fortè, quòd in cujusvis Civitatis, majore veri ſimilitudine, quàm in primæ, formatione explicandâ, *Vim* cum Cl. Viris cauſari liceat. Ad hiſtoriarum fidem hic fruſtrà provocatur, cum prima, quæ legimus, ejuſmodi vis intentatæ exempla, ſatis magnas Hominum multitudines,

poſſunt. Unde Civitas *definitur*, quod ſit *Perſona moralis compoſita, cujus voluntas ex plurium pactis implicita & unita, pro voluntate omnium habetur, ut ſingulorum viribus & facultatibus ad pacem & ſecuritatem communem uti poſſit* (1).

dines, ſub civili Imperio jam conjunctas, ſupponant.

Utcunque ſit, cum liquidò conſtet, *neque Civium inter ſe, neque Imperantis & Subditorum, Obligationem mutuam, niſi in Conſenſu, expreſsè vel tacitè, immediatè vel mediatè, ſimul vel ſucceſſivè, adhibito, poſſe fundari;* illi certè operam ludunt, & meritò ridendos ſe propinant, qui é rerum geſtarum monumentis, *legitimum* civile Imperium absque Civium conſenſu poſſe conſtitui, probatum eunt: quippe in ſingulis quæ adferri poſſunt exemplis, neceſſe eſt, vel ſupponi patiantur conſenſum hunc, licèt fortè ab Hiſtoricis non notatum, reverà fuiſſe qualicunque modo adhibitum, vel agnoſcant Imperium injuſtè fuiſſe uſurpatum; niſi aliquem alium juſtum, in quo fundetur, titulum aſſignaverint; quod nunquam poterunt: quippe nec *Patriam Poteſtatem*, nec *Occupationem Bellicam*, eſſe talem titulum, ex ſuprà dictis liquet; & de hac, ex dicendis ad *Cap. X.* pleniùs patebit. Cautè interim diſtingui oportet, *Imperium Civile* propriè ſic dictum, quod Homines reſpicit, ab *Imperio Soli*, quod ſuprà diximus ejusdem dominio naturaliter ineſſe, & Domini conſenſu poſſe transferre. Confer de toto hoc Argumento, *Lockii Tract. Poſt de Imp. Cap. VIII.* & *Grot. Lib. I. Cap. III.*

§. X. (1) Gratis hanc definitionem ſolicitat Cl. *Titius*, tanquam *Civitatem cum Summo Imperante* confundentem: certum enim eſt, voluntatem Summi Imperantis, de iis quæ ad genuinum Civitatis finem videri poſſunt conducere, quæque ſunt intra limites Poteſtatis illi conceſſæ, pro voluntate Civitatis eſſe haben-

§. XI. Exſerit autem ſeſe *Voluntas Civitatis*, tanquam principium *actionum publicarum*; vel *per unum hominem*, vel *per unum concilium*, prout in illum aut hoc ſumma rerum fuit collata. Ubi penes *unum Hominem* eſt regimen civitatis, civitas velle intelligitur, quodcunque iſti homini (cui ſanam rationem conſtare præſupponitur) placuerit, & quidem circa negotia (1) quæ ad finem civitatum ſpectant.

§. XII. Verùm ubi regimen civitatis collatum eſt in *Concilium*, ex pluribus hominibus conſtans, quorum quisque ſuam retinet voluntatem naturalem; regulariter illud habetur pro voluntate civitatis, in quod conſenſerit *major pars* hominum, ex quibus concilium componitur; niſi expreſsè ſtatutum ſit, quota pars concilii conſentiens requiratur ad repræſentandam voluntatem univerſitatis. Ubi autem duæ ſententiæ diſcrepantes pares ſint, nihil agetur (1), ſed res in

habendam; imo voluntatem Civitatis, tanquam principium actionum publicarum, per ipſum Summum Imperantem ſe exerere, (vide §. *ſeq.*) ut non ſit mirum, voluntati Civitatis hìc tribui, quod de voluntate Summi Imperantis Cl. Obſervator non negat eſſe verum. Civitas interim breviùs, nec minùs aptè, definiri poteſt, quòd ſit. *Idonea Hominum multitudo, per voluntatum & virium ſub uno Summo Imperio Unionem, ad incolumitatem mutuò tuendam conjuncta.*

§. XI. (1) Vide *Obſ. in præced.* §.

§. XII. (1) Hinc, paribus utrinque ſuffragiis, ubi quæſtio verſatur ſimpliciter de aliqua re agenda vel non

in priore ſtatu manebit. Inter plures ſententias diſcrepantes illa prævalebit, quæ ſingulis diſſentientibus major eſt (2); modò in eam tot conſpirènt, quot aliàs voluntatem univerſitatis per ſanctiones publicas repræſentare poſſunt.

§. XIII. Civitate ita conſtitutâ, ille in quem imperium eſt collatum, prout eſt vel unus homo, vel unum concilium, paucorum aut univerſorum, *Monarcha, Senatus,* aut

non agenda, ſententia negans reipſa quidem vincit pro tempore; non tamen habet vim Decreti, quod eandem quæſtionem in eodem Concilio denuo tractari impediat. In judiciis duntaxat benignè receptum eſt, ut paribus Judicum ſententiis Reus intelligatur abſolvi; ita ut eidem actioni, vel accuſationi, opponere deinceps potuerit exceptionem *Rei judicatæ*. Ex his porrò intelligitur, cur, ſi utrumque membrum quæſtionis habeat aliquid poſitivi, quod autem poſitivi eſt in uno, ſub altero includatur; paribus ſuffragiis, vincat quod minus eſt. Vide *Dig. Lib. XLII. Tit. I. l.* 38. In Noſtratibus verò plerisque Curiis & Conciliis ſuffragiorum æqualitas vitatur, recepto more, quo Præſes ſuum ſuffragium tum demum permittitur interponere, ubi cætera in partes æquales ſcinduntur.

(2) Utcunque omnibus diſſentientibus ſimul ſumptis ſit minor: At rectè monet *Grotius*, *Lib. II. Cap. V.* §. 19. diverſas ſententias, quarum altera partem alterius continet, conjungendas eſſe in eo quo conveniunt. Quinetiam, ubi nulla ſententiarum continet alteram, ne id pro Concilii decreto habeatur, quod majori parti minùs placet, caveri poteſt, ſi plerisque ita videatur, quæſtionem pluribus membris conſtantem reſolvendo in plures quæſtiones bimembres.

Populus liber (1) dicitur; reliqui *Subditi* (2) audiunt, aut *Cives*, vocabulo hoc *latiùs* accepto. Etſi preſſiùs illi quibusdam duntaxat *Cives* ſoleant dici, quorum coitione & conſenſu primò civitas coaluit, aut qui in horum locum ſucceſſerunt; nempe *Patres-familias*.

Sunt porrò *Cives*, vel *originarii*, vel *adſcititii* (3). Illi ſunt, qui vel initio civitati naſcen-

§. XIII. (1) Sunt etiam variæ Appellationes honorariæ, & Epitheta, quibus quisque horum ſolet inſigniri; & quæ, quatenus ſummum duntaxat ac independens notant Imperium, quilibet Summus Imperans, ſalvo ſuæ Civitatis jure, ſibi poteſt aſſumere; neque de iis, ita intellectis, alius quispiam jure poteſt litem movere: quatenus verò ea certum inter vicinos Principes ac Populos ordinem, certamve dignationem his agnoſcendam, innuunt, ab horum conſenſu, expreſſo vel tacito, pendere ſunt cenſenda: abſurdè verò ulli uni, ſeu Papæ, ſeu Imperatori, iſtos titulos, effectu adverſus alios à ſe non pendentes valituro, dandi vel denegandi poteſtas aſſeritur.

(2) In Monarchia ſc. omnes præter Monarcham: at in aliis Civitatibus ſinguli, ſeorſum ſumpti, ſunt Subditi; etiam illi qui in ſupremo Concilio ſuffragii jus habent; imo & is qui in eodem præſidet, atque adeò præcipuum in tali Republica Magiſtratum gerit.

(3) Hanc diſtinctionem rectè obſervat *Titius* eſſe exigui momenti, æque ac in longæva Civitate applicatu admodum difficilem. At magis è re fuerit notâſſe, non ubique omnes Patres familiarum, qui in Civitate fortunarum ſedem fingunt, pro Civibus propriè ſic dictis haberi, tanquam in Civium originariorum Jura adſcitos: imo ad hoc plerumque aliæ requiruntur conditiones, quibus qui deſtituuntur, quantumvis fixam in Civitate habitationem habeant, vel etiam ibi nati fuerint, habentur adhuc *Inquilini.*

naſcenti interfuerunt, vel qui ex hiſce ſunt geniti, quos etiam *indigenas* adpellari mos eſt. Hi autem ſunt, qui civitati jam conſtitutæ extrinſecùs accedunt, eo fine ut fortunarum ibi ſedem figant.

Nam, qui tantùm ad tempus commorandi causâ in civitate verſantur, etſi tantiſper ipſius imperio ſubjiciantur, Cives tamen non habentur, ſed *Peregrini* aut *Inquilini* vocantur.

§. XIV. Iſta tamen quæ ſuper origine civitatum tradita ſunt, non obſtant, quo minùs *Imperium civile à* DEO eſſe rectè dicatur (1). Cum enim idem legem naturalem

Aa 4 ab

§. XIV. (1) Triplice ratione *Imperium Civile*, præeunte ipsâ naturâ rerum, ad DEUM *Auctorem* refertur. 1. Quatenus DEUS naturalia iſta Jura, quorum exiguâ parte ad Imperantem translatâ Imperium conſtituitur, Hominibus conceſſit. 2. Quatenus Idem, per naturam rerum, interveniente rectæ rationis dictamine, eosdem docuit, ad decus, pacem, ac incolumitatem, Humani Generis in multitudinem aucti, neceſſariò pertinere, ut, libertate naturali aliquâ ex parte circumſcriptâ, in Civitates coirent, & Imperio Civili ſe ſubjicerent; atque adeò hoc, tanquam medium iis finibus ſubſerviens, ipſa Naturæ Lege injunxit. 3. Denique, quatenus idem DEUS; eâdem Lege definivit obligationes ex Civili Imperio ſtabilito inter homines reſultantes; atque fidem ſanctè colendam imperat, inprimis circa mutua Imperantium & Subditorum officia; utpote à quibus Humanæ Societatis ſalus ac incolumitas præcipuè pendent. His, inquam, tribus reſpectibus, Imperium Civile Auctori DEO rectè tribuitur, etiam dum ab Hominibus immediatè conſtituitur; eſtque ſimul, ut

uni

ab omnibus hominibus exerceri velit; & vero poſt multiplicatum genus humanum tam horrida vita inter homines proventura fuerit, ut legi naturali vix ullus relinqueretur locus; cujus tamen exercitium per inſtitutas civitates egregiè promovetur; ergo, (cum

uni atque alteri Apoſtolo nuncupatur, τῇ τοῦ Θεοῦ διαταγῇ, [*Epiſt. ad Rom.* XIII. 2.] & Ἀνθρωπίνη κτίσις, [1. *Pet. II.* 13.]. *Sin* quis cum *Titio* malit dicere, DEUM eſſe Summi Imperii immediatam cauſam *efficientem*, Pactum verò eſſe cauſam *ſine qua non*, vel *occaſionalem*; res eodem redit: Illa enim efficientia, quæ in Legis juſſu, tertio loco à nobis jam notato, conſiſtit, non alio ſenſu, fatente Cl. Viro, DEO tribuitur circa *Imperium*, quàm circa aliud quodvis *Ens morale*; quatenus omne *jus*, omnemque *obligationem*, ſive ex pacto, ſive ex lege humana, ſive ex alio quocunque capite, ſuboriatur, in *Legis Divinæ* juſſum ultimò oportet reſolvi; ut jam ſuprà notavimus, *Suppl. I.* §. 19.

Imperitè objiciunt nonnulli, non poſſe Summum Imperium, eodem modo quo alia jura, ab Hominum pactis reſultare; quia, *quod quis non habet, id non poteſt in alterum conferre*; aſt, neque ſinguli Homines, inquiunt, neque multitudo diſſoluta, habuit *Majeſtatem*, ſive ſummam Poteſtatem civilem. Ultrò quidem concedimus, neque ullum unum Hominem, neque univerſos, antequam aliquo pacto unirentur, ſummam hanc Poteſtatem habuiſſe *junctim*, ſeu per modum *unius perſonæ moralis*, prout in Summo Imperante exiſtit: tutò nihilominùs affirmari poteſt, in ſingulorum *naturali Libertate*, velut diſperſa latuiſſe ſemina iſtius poteſtatis, quæ per pactum, unum vel plura, ad Summum Imperantem delata, atque in eo unita, *Summi Civilis Imperii* venit nomine: quod manifeſtius fiet, ex ſpecialiore conſideratione variarum Summi Imperii partium, quas *ſeq. Cap.* recenſet Auctor.

(cum qui jubet finem, jubere etiam cenſeatur media ad finem neceſſaria) Deus quoque, mediante dictamine rationis, antecedenter præcepiſſe humano generi multiplicato intelligitur, ut civitates, quæ ſummo imperio velut animantur, conſtituerentur. Quarum ordinem quoque in divinis literis expreſsè adprobat, ejusque ſanctimoniam peculiaribus legibus ſancit, ſibique illud peculiariter curæ eſſe teſtatur.

Caput VII.

De Partibus Summi Imperii.

I. *Partes ſummi Imperii variæ:* II. *Poteſtas ſcilicet ferendi leges:* III. *Et interminandi atque infligendi pœnas:* IV. *Et lites civium decidendi.* V. *Etiam poteſtas belli & fœderum;* VI. *Nec non creandi magiſtratus:* VII. *Imperandi tributa & vectigalia:* VIII. *Diſponendi de publicis doctrinis.* IX. *Quæ imperii partes naturâ ſunt indiviſæ.*

QUÆ *Partes* ſint Summi Imperii, & quibus modis ejusdem ſeſe vis in civitatibus exſerat, ex natura & fine earundem liquidò poteſt colligi (1).

Aa 5 §. II.

§. I. (1) Cl. *Lockius*, *Tract. Poſt. de Imperio*, *Cap. XII.* omnes Summi Imperii partes haud inconcinnè reducit ad tres: *Legislativam* (ut vulgo, licèt impropriè, dicitur; vide ſuprà, *Obſerv. in Lib. I. Cap. II.* §. 16.) *Executivam*, & *Fœderativam.* Ad pote-

§. II. In civitate omnes ſuam voluntatem ſubmiſerunt voluntati imperantium circa negotia ad ſalutem civitatis facientia, quod velint

poteſtatem *Legislativam* pertinet, non modò præcipere, quid ſit faciendum, quid omittendum, &c. ſed & quæ pœna, illud omittenti, vel hoc facienti, ſit infligenda; ut hùc pertineant §§. 2. & 3. Poteſtas *Executiva*, quæque ejus exercitio ſubſervit, judiciaria, explicantur §. 4. *Fœderativa* denique §. 5. Sed & poteſtas Magiſtratus & Miniſtros conſtituendi, de qua Auctor §. 6. ſponte ſe refert, vel ad Executivam, vel ad Fœderativam, prout hujus, vel illius, ſubordinati actus Magiſtratibus aut Miniſtris iis demandantur. Porrò, quod ad ſumptus attinet, §. 7. eorum indictionem ad poteſtatem Legislativam, actualem vero exactionem ad Executivam, facilè retuleris. Circa doctrinas denique §. 8. utramque iſtam poteſtatem poſſe occupari, ſatis eſt manifeſtum.

Sed & haſce *omnes Summi Imperii partes à conſentiente Subditorum voluntate hauriri*, facilè oſtenditur. Poteſtas enim Civilis, quatenus præcipiendo aut prohibendo, mulctam pecuniariam indicendo, ſententiam judicialem ferendo, vel denique cum exteris paciſcendo, Cives *obligat*, ad iſta facienda, omittenda, vel patienda, quæ in ſtatu naturali, omittere, agere, vel prohibere, integrum iis fuiſſet, manifeſtè fundatur in conſenſu eorum *adverſus quos* exercetur: idem enim jus de actionibus ſuis, atque adeò de rebus quatenus ab actionibus pendent, diſponendi, quod, dum in naturali ſuo ſubjecto manet, vocatur *Libertas*; idem, inquam, Jus, cujusque conſenſu, quoad Civilis Societatis finis poſtulat, ad Summum Imperantem translatum, evadit *Imperium*. Poteſtas Civilis contrà, quatenus Civium *Jura exequitur*, adverſus ſeu Concives ſeu Exteros, oritur à conſenſu eorum *in quorum gratiam* exercetur: eſt enim reipſa illud Jus, quod ſingulis in ſtatu naturali, ad ea quæ ſua ſunt vel ſibi debita aſſerenda, competebat,

velint facere quidquid illi voluerint. Hoc ut fieri poſſit, neceſſum eſt, ut *Imperantes civibus ſignificent, quæ ipſorum circa talia ſit voluntas.* Iſtud igitur faciunt, non ſolùm *per mandata ad ſingulos* directa circa negotia particularia; ſed etiam *per generales regulas*, unde omnibus in perpetuum de agendis omittentisve conſtet. Per quas etiam definiri ſolet, quid cuique *ſuum*, quid *alienum* cenſeri debeat; quid in civitate pro *licito*, quid pro *illicito* (1), quid pro *honeſto* aut *inhoneſto*, habendum; quid cuique *ex libertate naturali ſuperſit*, aut quomodo quisque *uſum ſuorum jurium* ad tranquillitatem civitatis temperare debeat; *quid* denique, *quo modo*, quisque *ſuo jure ab altero exigere queat.* Hæc omnia enim liquidò definita eſſe, ad decus & tranquillitatem civitatis plurimum facit.

§. III. Is porrò potiſſimus civitatum finis eſt, ut homines mutuâ conſpiratione & ope tuti ſint, adverſus damna & injurias, quæ ab hominibus invicem inferri poſſunt & ſolent. Id ut obtineatur ab hominibus, quibuscum in eandem ſocietatem conjungimur, non ſufficit, ut mutuò inter ſe paciſcan-

bat, eidem Imperanti, civilis pacis causâ, delatum. Atque ad poſterius hoc genus pertinet facultas *corporaliter puniendi* nocentes; niſi quòd hæc, cum naturaliter conveniat omnibus (vide *Obſerv. in Lib. I. Cap. V.* §. 17.) non tam Summo Imperanti *delata* dici debeat, quàm eidem *reſtricta*, dum reliqui Cives ejus uſu ſibi interdicunt.

§. II. (1) Ex iis, nimirum, quæ Divinâ Lege, nec in univerſum ſunt præcepta, nec vetita.

ciſcantur de injuriis non inferendis: neque etiam ut nuda ſuperioris voluntas civibus innoteſcat: ſed opus eſt *metu pœnæ, & facultate eandem repræſentandi.* Quæ pœna, ut huic fini ſufficiat, ita eſt temperanda, ut apertè majus malum ſit Leges violâſſe, quàm obſervâſſe; utque adeò pœnæ acerbitas, voluptati aut lucro quod ex injuria capitur aut ſperatur, præponderet. Nam non poſſunt homines non ex duobus malis minus eligere. Licèt autem multi per imminentem pœnam ab injuriis non reprimantur; id tamen inter minùs frequentia habendum eſt; quæ planè evitare conditio humana non patitur.

§. IV. Quia etiam ſæpe controverſiæ ſuper recta legum adplicatione ad facta ſingularia oriri ſolent; ac multa accuratè expendenda occurrant, ſi quid contra leges factum eſſe dicatur: inde, ut inter cives tranquillitas conſtet, ſummi imperii eſt, *lites civium cognoſcere & decidere, ſingulorumque facta, quæ legibus contraria arguuntur, examinare, ac pœnam legibus convenientem dictitare & exſequi.*

§. V. Ut autem qui in civitatem coiverunt, adverſus extraneos tuti ſint; ſummi imperii eſt, *congregare, unire, & armare,* aut ejus loco conducere, quot, pro incerto numero & viribus hoſtium, ad communem defenſionem opus viſum fuerit; rurſusque, ubi expedierit, *pacem facere.* Cumque

que & belli & pacis temporibus inſerviant *Fœdera*, ut & commoda diverſarum civitatum meliùs communicari poſſint, & validior hoſtis junctis viribus repelli, aut in ordinem redigi, queat; penes ſummum quoque imperium erit, utrique tempori inſervientia fœdera inire, univerſosque ſubditos ad ea ſervanda obſtringere; ſimulque exinde redundantia commoda in civitatem derivare.

§. VI. Cum etiam civitatis amplæ negotia, tam belli quàm pacis tempore occurrentia, ab uno homine, ſine *Miniſtris* & *Magiſtratibus*, exſecutioni dari nequeant; opus erit ab ſummo imperio conſtitui homines, qui ipſius vice controverſias civium examinent, vicinorum conſilia explorent, milites gubernent, opes civitatis colligant, & diſpenſent, ac denique utilitati civitatis undique proſpiciant. Quos ipſos ſummus imperans ad officium faciendum compellere, geſtorumque rationes poſcere, poteſt ac debet.

§. VII. Quia porrò nec belli nec pacis tempore civitatis negotia ſine *Sumptibus* geri poſſunt, *ſummi imperii eſt, adigere cives ut eosdem ſuppeditent.* Id quod variis modis contingit; putà, ſi vel cives aliquam bonorum aut proventuum regionis abs ſe inſeſſæ partem ad hos uſus ſeponant, vel ſinguli cives de ſuis bonis conferant, ſimulque ubi opus ſit operas ſuas præbeant; vel ſi vectiga-

ctigalia imponantur mercibus, quæ importantur, (quorum illud tamen magis cives, hoc exteros onerat) aut ſi de pretio rerum, quæ conſumuntur, modica pars decidatur.

§. VIII. Denique, cum ſingulorum actiones à ſua cujusque opinione regantur; plerique autem de rebus ita ſoleant judicare, prout aſſueverunt, & prout communiter judicari vident; pauciſſimi proprio ingenio vera & honeſta diſpicere queant: inde civitati expedit, ut publicè ejusmodi *Doctrinis* perſonet, quæ cum recto fine & uſu civitatum congruunt, ſimulque animi civium à puero iſtis imbuantur. Ejusmodi igitur doctrinas qui publicè doceant, ſummi imperii eſt conſtituere (1).

§. IX.

§. VIII. (1) Huc pertinet poteſtas erigendi *Academias*, easque Legibus firmandi & Privilegiis ornandi, quam inter *Jura Majeſtatis minora* (majora enim, ſunt partes Summi Imperii eſſentiales, ab Auctore deſcriptæ) cenſere ſolent Scriptores Politici. Hoc interim, ut & alia pleraque Jura Majeſtatis quæ *minora* vulgò audiunt (qualia ſunt, *Dignitates conferendi*, *Monetam cudendi*, *Nundinas & Ferias concedendi*, *Liberos legitimandi*, *Famam reſtituendi*, *Veniam ætatis largiendi*, *Solennia Legum remittendi*, *Debitoribus inducias dandi*, *&c.*) ubi reperiuntur, ad Poteſtatem *Executivam* ſpontè ſe referunt: horum tamen jurium aliqua ſubordinatis Magiſtratibus quandoque permittuntur; aliqua, ſalvâ Civitatis & Imperii Civilis conſtitutione, poſſunt prorsùs deeſſe. Alia verò Jura, quæ ad hoc idem genus referuntur, ut *Mulctas Fiſco acquirendi*, *res nullius excluſis aliis occupandi*, &c. non tam ſunt partes Summi Imperii, quàm Jura utilia, variarum Civitatum Legibus Summo

§. IX. Sunt autem iſtæ partes ſummi imperii naturaliter ita *connexæ*, ut, ſiquidem regularis forma civitati conſtare debeat, omnes & ſingulæ penes unum radicaliter eſſe debeant. Nam ſi una vel altera planè abfuerit, mancum erit imperium, nec ad finem civitatis procurandum idoneum. Sin autem iſtæ dividantur (1), ita ut quædam radicaliter ſint penes unum, reliquæ penes alium, irregularem rempublicam & malè cohærentem emergere neceſſum eſt.

mo Imperanti, ad dignitatem ejus ſuſtinendam, conceſſa.

Quòd ſi verò, quæ ab Auctore hic præcipiuntur, ad Doctores Eccleſiaſticos intelligantur pertinere, ducunt ad quæſtionem vexatiſſimam, de *Jure Summorum Imperantium circa Sacra*: quæ quidem, ſive reſpiciat iſtum Sacrorum cultum cui Leges civitatis favent, moderandum; ſive diſſentientes ab eodem, ſupprimendos aut tolerandos: quæſtio eſt, utroque reſpectu, altioris & ſubtilioris indaginis, quàm ut eam hìc vel leviter attingere inſtituti noſtri ratio permittat.

§. IX. (1) Evitari ſanè vix poteſt, quin rationibus ab Auctore allatis, de *J. N. & G. h. t.* §. 10. & *ſeqq.* largiamur, incommodam & malè cohærentem fore Civitatis compagem, ubi variæ Summi Imperii partes ponuntur in ſubjectis adæquatè diverſis: In eo tamen nihil eſt incommodi, quod Princeps, aut Senatus, nonnullas quidem Summi Imperii partes poſſit ſolus exercere, ut Executivam & Fœderativam; aliam verò, nempe Legiſlativam, non niſi adhibito Ordinum conſenſu. Vide infrà, *Cap. IX.* §§. 5. & 6.

CA-

Caput VIII.

De Formis Rerumpublicarum.

I. *Formæ rerumpubl. variæ.* II. *Vel regulares, vel irregulares.* III. *Illæ, Monarchia, Ariſtocratia, Democratia.* IV. *Monarchiæ præ aliis commoditas.* V. *Vitia civitatis, aut hominum, aut ſtatûs.* VI. *Vitia hominum in Monarchia.* VII. *Vitia hominum in Ariſtocratia.* VIII. *Vitia hominum in Democratia.* IX. *Vitia hominum in quavis forma.* X. *Vitia ſtatûs nonnulla notata.* XI. *Tyrannis, Oligarchia, Ochlocratia, quæ?* XII. *Reipublicæ irregularis variæ ſpecies.* XIII. *Syſtema civitatum duplex:* XIV. *Aliud emergens ex communi rege;* XV. *Aliud ex plurium perpetuo fœdere.*

SUMMUM imperium, prout vel in *uno homine*, vel *in uno concilio*, *ex paucis*, *aut univerſis conſtante*, reperitur, diverſas FORMAS RERUMPUBLICARUM producere ſolet.

§. II. Sunt autem *Formæ Civitatis*, vel *Regulares*, vel *Irregulares.* Illæ ſunt, ubi imperium ſummum in uno ſubjecto (1) ita eſt unitum, ut illud indiviſum & inconvulſum, ab una voluntate, per omnes civitatis partes, atque negotia, ſeſe diſpenſet. Ubi hoc

§. II. (1) Hoc eſt, vel in uno Homine, vel in uno Concilio, nexu Imperii unito. Vide *præc.* §.

hoc non deprehenditur, *irregularis* forma civitatis erit.

§. III. Civitatis *regularis tres* ſunt *Formæ.* Prima, quando ſummum imperium eſt penes unum hominem; & dicitur MONARCHIA. Altera, quando ſummum imperium eſt penes concilium ex ſelectis duntaxat civibus conſtans; & vocatur ARISTOCRATIA (1). Tertia, quando ſummum imperium eſt penes concilium ex univerſis Patribus familias conſtans; & appellatur DEMOCRATIA (2). In prima is qui rerum potitur, dicitur *Monarcha*, in ſecunda *Optimates*, in tertia *Populus.*

§. IV. In omnibus hiſce formis poteſtas quidem eſt eadem. Sed in eo inſignem habet *commoditatem Monarchia* præ *reliquis formis*, quod in ea, ut deliberetur & decernatur, id eſt, ut imperium actu exerceatur, non opus ſit temporibus & locis condictis, ſed quovis loco & tempore deliberari & decerni

 poſſit;

§. III. (1) Hujus formæ nobiliſſimum apud Veteres exemplum præbuit *Lacedæmoniorum*, apud hodiernos *Venetorum*, Reſpublica: de ſimplicibus Rebuspublicis hic eſt Sermo.

(2) Hæc forma præcipuè fuit conſpicua in vetere *Athenienſium* Republica: de Romana vide *Obſ.* in §. 12. Ejus verò Exempla quæ hodie extant, ſunt ferè in auguſtioribus quibusdam Civitatibus, præſertim apud *Germanos*: in quibus etiam rariùs convocatur Populus, pleraque Senatui ac Magiſtratibus, licet dependenter exercenda, committuntur. Singularum apud *Batavos* Provinciarum non eſſe Democraticum Imperium, teſtantur ipſorum Juris Conſulti.

poſſit; ſic ut Monarcha ſemper in proxima ſit potentia ad actus imperii exercendos. Sed ut *Optimates* & *Populus*, qui non ſunt una perſona naturalis, decernant, neceſſum eſt, ut certo loco & tempore conveniant, ibique ſuper negotiis publicis deliberent & decernant: cum alio modo voluntas *Senatûs* ac *Populi*, quæ ex conſpirantibus majoris partis ſententiis reſultat, cognoſci nequeat.

§. V. Cæterum, uti circa alia jura, ita & circa ſummum imperium contingit, ut id alicubi benè, alicubi pravè & imprudenter, adminiſtretur. Unde fit, ut aliæ civitates *ſanæ*, aliæ *morbidæ* & *corruptæ*, dicantur: etſi, propter iſtiusmodi morbos, peculiares formas aut ſpecies rerumpublicarum comminiſci neceſſum non ſit.

Eorum autem morborum, quibus civitates infeſtantur, alii *in hominibus*, alii *in ipſo ſtatu* hærent. Inde alia *vitia hominum*, alia *vitia ſtatûs*, audiunt.

§. VI. *Vitia hominum in Monarchia* ſunt, ſi qui Solium obtinet, regnandi artibus deſtituitur, nullâque aut non ſufficiente reip. curâ tangitur, eamque pravorum miniſtrorum ambitioni aut avaritiæ lacerandam proſtituit; ſi ſævitiâ & iracundiâ idem eſt terribilis; ſi etiam citra neceſſitatem remp. in caſum dare gaudet; ſi quæ ad tolerandos ſumtus reip. conferuntur, luxu, aut per inconſultas largitiones, diſſipat; ſi pe-

cunias

cunias civibus extortas præter rationem accumulat; ſi contumelioſus, ſi injuſtus eſt; & ſi quæ ſunt alia, per quæ *mali* nomen *Principis* comparatur.

§. VII. *Vitia hominum in Ariſtocratia* ſunt, ſi per ambitum, pravasque artes, via in ſenatum patet viris improbis aut ineptis, excluſis melioribus; ſi Optimates factionibus diſtrahuntur; ſi plebe tanquam mancipiis abuti, & bona civitatis, augendo privato patrimonio, intervertere ſtudent,

§. VIII. *Vitia hominum in Democratia* ſunt, ſi inepti & turbulenti homines turbulenter & importunè ſententias ſuas tueri ſolent; ſi egregiæ & reip. non prægraves virtutes opprimuntur; ſi per levitatem leges temerè figuntur atque refiguntur, & quæ modò placuerunt, mox citra rationem diſplicent: ſi ſordidi & inepti homines rebus gerendis præficiuntur.

§. IX. *Vitia hominum* quæ *in quamvis civitatis ſpeciem* cadunt, ſunt; ſi quibus imperii adminiſtratio incumbit, officio ſuo negligenter aut pravè funguntur, & ſi cives, quibus ſola obſequii gloria relicta eſt, fræ-num mordeant.

§. X. Aſt *Vitia Statûs* ſunt, ubi leges aut inſtituta civitatis non ſunt attemperata ad genium populi, aut regionis; aut ubi eadem cives diſponunt ad turbas internas, aut ad juſta vicinorum odia incurrenda; aut ſi eosdem ineptos reddunt ad obeundas fun-

ctiones, quæ reip. ſervandæ ſunt neceſſariæ; putà, ſi per leges civitatis non poſſint non in imbellem ſegnitiem reſolvi, aut inidonei ad pacem ferendam reddi: aut ſi leges fundamentales ita ſint diſpoſitæ, ut per eas negotia publica non poſſint non tarde aut difficulter expediri.

§. XI. Morbidis ejusmodi rebuspubl. multi peculiaria quoque vocabula adplicant; ita ut *vitioſa Monarchia* vocetur *Tyrannis*; *vitioſus ſtatus paucorum*, *Oligarchia*; *vitioſus ſtatus popularis*, *Ochlocratia*. Etſi frequenter contingat, ut multi per iſthæc vocabula, *non tam morbum reipl. quàm ſuum affectum aut diſplicentiam* in præſentem ſtatum, imperantesve, exprimant. Sæpe enim, cui vel Rex vel Status Monarchicus diſplicet, *Tyrannum* aut *Dominum* ſolet vocare, etiam legitimum & bonum Principem; præſertim ubi is leges ſeverè exſequitur. Sic & cui dolet Senatu ſe excludi, cum tamen aliis ſenatoribus inferiorem ſeſe hautquidquam arbitretur, per contemtum & invidiam, ὀλίγυς illos vocat, q. d. paucos quosdam, qui, cum nulla re cæteros emineant, in pares tamen aut meliores non ſine faſtu imperium exerceant. Denique, ſuperbo homines ingenio, & quibus æqualitas popularis invifa eſt, ubi in Democratia pari omnes jure de republ. ſuffragia ferre vident, cum tamen in quavis civitate plebis maximus ſit numerus, *Ochlocratiam* id vocant, q. d. ſtatum ubi vilis

lis turba rerum potitur, nec egregiis viris, quales ipſi ſe ducunt, aliqua prærogativa relinquitur.

§. XII. *Reſpublica irregularis* eſt, in qua non ita perfectè unio illa, in qua eſſentia civitatis conſiſtit, deprehenditur: idque non per modum morbi, aut vitii in adminiſtratione reip. hærentis; ſed ut publicâ lege aut conſuetudine ea velut legitima ſit recepta. Cum autem aberrationum à rectitudine infiniti eſſe modi queant, non poſſunt etiam irregularium rerumpublicarum certæ & definitæ ſpecies conſtitui. Indoles tamen ejus ex uno aut altero exemplo planè poteſt intelligi. V. g. Si in aliqua republica ſenatus & populus, ſummo utrinque jure, negotia publica tractent, ita ut neuter alteri obnoxius ſit (1). Aut ſi in regno aliquo procerum potentia ita invaluerit, ut Regi deinceps non alio modo, quàm inæquales fœderati, ſubſint (2).

 §. XIII.

§. XII. (1) Hujus irregularitatis in exemplum, adduxit Auctor Rempublicam *Romanam*, in diſſertatione ſelecta, quæ inſcribitur. *De Forma Reipublicæ Romanæ.*

(2) Hujus generis irregularitatem in Imperio *Germanico* ſe prodere, jamdudum Auctor docuit, in Tractatu *de Statu Imperii Germanici*, in lucem miſſo ſub ſimulato nomine *Servini de Monzambano*; ibique traditam doctrinam defendit, in diſſertatione ſelecta, quæ inſcribitur, *de Republica irregulari. Titius* verò contendit, Imperium illud non eſſe ſimplicem Rempublicam, ſed *Syſtema* potiùs *irregulare*,

§. XIII. Systemata Civitatum (1) vocamus *ubi plures perfectæ civitates aliquo peculiari vinculo ita connectuntur, ut ipſarum vires ferè pro unius civitatis viribus haberi queant.* Exſurgunt autem Syſtemata *duplici* potiſſimùm *modo*: uno per *communem Regem*, altero per *Fœdus.*

§. XIV. *Mediante communi Rege* (1), *Syſtema* emergit, quando plura ſeparata regna, vel ex conventione, vel ex occaſione matrimonii, hæreditatis, aut victoriæ, unum & eundem habent Regem; ita tamen, ut ideo in unum regnum non coaleſcant, ſed ſingula juxta ſuas leges fundamentales à communi Rege adminiſtrentur.

§. XV. *Altera ſpecies ſyſtematum* provenit, quando plures civitates vicinæ *perpetuo Fœdere* (1) ita connectuntur, ut aliquas partes ſummi imperii, quæ præcipue defenſionem contra extraneos ſpectant, non niſi con-

§. XIII. (1) Vide Auctoris Diſſert. ſelect. *de Syſtematibus Civitatum.*

§. XIV. Hujus generis exemplum, Auctori, cum modò allegatam Diſſertationem ſcriberet, ſuppeditabant Regna *Britannica.* Sed ut ſyſtema fiat per communem Regem, neceſſe eſt hic liberum habeat exercitium poteſtatis *Belli* & *Pacis*, quo alterius Regni viribus, ad alterius jura defendenda & proſequenda, uti poſſit, At ſi Rex omnes Summi Imperii partes ſuo arbitrio poſſit exercere; facile eſt ut ejusmodi Syſtema in unum Regnum degeneret.

§. XV. (1) Hujus generis exempla obvia habemus, in Provinciis *Belgii* fœderatis, fœderatis *Helvetiorum* Pagis.

conſenſu omnium exercere velint, ſalvâ manente de cætero ſingularum civitatum libertate, & independentiâ.

CAPUT IX.

De Affectionibus Imperii Civilis.

I. *Imperium Civitatis ſummum eſt*; II. *Adeòque in terris independens:* III. *Legibusque civilibus ſuperius:* IV. *Sanctumque, cui reſiſtere nefas.* V. *Summum Imperium, alibi abſolutum;* VI. *Alibi certis limitibus circumſcriptum.* VII. *Regna habentur, in patrimonio, vel uſufructu.*

HABET hoc omne *Imperium*, quo univerſa aliqua civitas regitur, in qualibet reip. forma, ut ſit *ſummum*, i. e. in ſui exercitio à nullo homine tanquam ſuperiore dependens, ſed ex proprio judicio & arbitrio ſeſe exſerens, ſic ut ejusdem actus à nemine, tanquam ſuperiore (1), queant irriti reddi.

§. I. (1) Iſtas voces, *à Superiore*, non fruſtrà tam ſollicitè Auctor inſeruit. Quippe, Summum Imperium eſt quidem à Civium conſenſu oriundum; ſed ita, ut ſemel delatum, reddat eum cui delatum eſt, Civibus reliquis, non modò ſingulis, ſed & univerſis, verè ſuperiorem. Unde facilè ſequitur, Summi Imperantis actus à nemine, *tanquam ſuperiore*, *irritos* poſſe *reddi*: nec tamen hoc impedit, quo minùs rectè quandoque poſſint *haberi irriti*; ſi fortè Imperans Poteſtatis ſibi delatæ terminos, vel ipſa

§. II. Inde etiam eſt, quod idem imperium ſit ἀνύπευθυνον, ſeu *nemini mortalium obſtrictum ad reddendas rationes*, eo cum effectu, ut ſi eas alteri non adprobaverit, pœnis humanis, aut coercitioni, velut à ſuperiore (1) profectis, eo nomine ſit obnoxium.

§. III. Cui conjunctum eſt, ut idem ſummum imperium *legibus humanis & civilibus*, ut talibus, *ſit ſuperius*, iisdemque adeò directè non obſtringatur (1). Iſtæ enim leges à ſum-

ipſa Civilis Imperii indole, vel fundamentalibus Legibus, definitos, manifeſtè exceſſerit.

§. II. (1) Summus Imperans, pœnis humanis, aut coercitioni, velut à *Superiore* profectis, non eſt obnoxius: nec habet, cui, ut tali, rationes reddat: imo Imperii actus *immanentes*, h. e. qui intra ipſam Civitatem terminantur, præſumptio ferè juſtitiæ, ubi ea contrariis indiciis non manifeſtè eliditur, debet comitari: nulla certè *Poteſtas* in Republica, ſupremæ Poteſtati, citra repugnantiam dici poteſt præpollere, aut æquipollere. Nec tamen eò minùs tenetur Summus Imperans, ita Imperium adminiſtrare, ut nulla Subditis ratio ſuppetat exiſtimandi, vel à publica eum utilitate deviare, vel legitimæ Poteſtatis terminos excedere: unde, ſi ejusmodi deviationis, aut exceſſus, vel apparentiam aliquam publica neceſſitas aliquando extorſerit; erit iſtius apparentiæ, primo quoque tempore, exponenda ratio. Multò magis actuum Imperii *tranſeuntium*, quibus Civitas cum Vicinis Bello, ſaltem offenſivo, collidi-tur, idoneæ omnibus patefieri debent cauſæ juſtificæ; cum in his ea quam diximus præſumptio juſtitiæ ceſſet. De coercitione & pœnis, erit dicendi locus ad §. 4.

§. III. (1) Cum Summus Imperans in quaque Civitate, nec Superiorem habet, à quo obligatio ei impo-

ſummo imperio, tam in origine quàm in duratione, dependent. Inde fieri non po-
Bb 5 teſt,

imponatur, nec ſeipſum per modum *Legis*, id eſt, per modum *Superioris*, poſſit obligare; ſatis conſtat, ejus actiones directioni Legum Civilium, quà talium, ſubeſſe non poſſe. Hôc interim non obſtante, 1. Non eſt dubium, quin Summus Imperans obſtringatur *Legibus Divinis*, tum naturalibus, tum etiam poſitivis, modò hæ ſint ei promulgatæ; idque non tantùm, quatenus eſt *Homo*, ad officia ei cum aliis hominibus communia; ſed & quatenus eſt *Summus Imperans*, ad Imperium juxta illas Leges adminiſtrandum. Unde 2. Tenetur etiam *Pacto*, quo Imperium ei delatum eſt, & ab eo acceptum, id Imperium eo modo exercere, quo Populi ſalutem & incolumitatem tueri, ejusque utilitatem promovere poſſit efficaciſſimè: quòd ſi huic pacto ab initio inſerti fuerint, vel poſtea, Imperantis & Subditorum mutuo conſenſu, addantur, ſpeciales articuli, de certa ratione qua, & limitibus intra quos, Summum Imperium eſt exercendum, quales articuli *Leges fundamentales* vulgò audiunt; his etiam Summus Imperans tenetur, non ut *Legibus* à ſuperiore profectis (licèt publici ejusmodi Civitatis aut Summi Imperantis actus, quatenus agendorum normam figunt, *Legum* nomine crebrò venire ſoleant) ſed ut Pactis ab ipſo initis: quinimo, licèt nullam ab ipſo Imperante (quod tamen ſatis eſſet abſurdum) contractam obligationem, ſed Imperandi jus, quale offerrebatur, ſimpliciter acceptum, fingeremus; non tamen rectè Imperans, ultra Juris ſibi conceſſi limites Imperium ſuum extenderet. 3. His conſonum eſt, ut teneatur Summus Imperans, de *actibus Subditorum*, eorumque effectibus, definire, ſecundùm *Leges* tum temporis *in Civitate vigentes*: quod extendi debet, etiam ad eos Imperantes, qui liberum Poteſtatis Legislativæ habent exercitium; cum Leges novæ futuris, non præteritis caſibus, ſint applicandæ. 4. *Privatorum Actuum*, qui à Summo Imperante exercentur *tanquam quilibet*,

teſt, ut per iſtas idem obligetur; cum aliàs idem ſeipſo ſuperius foret. Etſi, ubi ſummus imperans quædam civibus lege injunxerit, quorum materia in ipſum quoque cadit, decorum ſit, & ad auctoritatem legi addendam proficuum, ut ad eadem iſte ultrò ſeſe componat.

§. IV. Habet denique & peculiarem *Sanctimoniam* ſummum imperium, ut non ſolùm ejus juſſis legitimis reſiſtere nefas ſit: ſed & ejusdem aſperitas, non ſecùs atque à probis liberis parentum moroſitas, a civibus ſit patienter ferenda. Quin & ubi atrociſſimas injurias intentaverit, ſinguli (1) potiùs

bet, efficacia æſtimanda eſt ſecundum Leges de talibus actibus in Civitate receptas; niſi ipſe declaraverit, vel circumſtantiæ oſtendant, Imperanti placuiſſe, ſuum actum ab illis Legibus immunem facere: ut rectè notavit *Grotius*, *Lib. II. Cap. XIV.* §§. 2. & 5. 5. In omnibus Legibus civilibus quæ ad bonos mores in Civitate fovendos pertinent, & quarum materia in ipſum quoque Imperantem cadit, locum habet utiliſſima cautela ab Auctore in fine hujus §. inculcata.

§. IV. (1) *Singulos* hìc diſtinguit Auctor ab *Univerſis*, aut majore Populi parte: ſed & de *ſingulis* hìc traditam doctrinam temperat, de *J. N. & G. Lib. VII. Cap. VIII.* §. 7. & *Grotius* ibi citatus, *Lib. I. Cap. IV.* §. 7. niſi quod hic Jus naturâ conceſſum Chriſtianâ morum diſciplinâ ablatum eſſe innuat: quod non immeritò diſplicet Cl. *Hubero, de Jure Civitatis Lib. I. Sect. IX. Cap. III.* §. 33, 43. *& ſeqq.* Add. Cl. & Rev.^mi Viri *B. Hoadleii*, poſtea *Bonienſis*, nunc *Herefordienſis* Epiſcopi, Tractatus Anglicè editus, cui titulus,

tiùs fugâ ſibi conſulent, aut quantamcunque

titulus, *The Meaſures of Submiſſion to the Civil Magiſtrate conſider'd.* De re ipſa hoc videtur certum, ut nullius Hominis, adverſus alium Hominem, Jus eſt infinitum, ita, *ubi Jus deſinit, ibi incipere Injuriam,* & cum ea *Jus reſiſtendi*, ſi ſolam juſtitiam *expletricem* reſpiciamus, & quidem illius intuitu qui injuriam intulit: Confer *Lockii* tractatum ſæpiùs laudatum, §. 202.

At non eſt in his caſibus unicè cogitandum, quid, illæſo jure ipſius Imperantis, poteſtatis ſibi delatæ terminos manifeſtè excedentis, poſſit fieri; ſed quid obligatio erga *Patriam*, & cura, ſi non ſuæ, ſaltem innumerorum innocentium Civium, ſaluti & incolumitati debita, fieri permittat. Unde improbum ſimul atque ſtolidum eſſet, ob injuriam, licèt atrociſſimam, ab uno vel paucis arcendam, Civitatem belli civilis calamitatibus velle involvere: eò certè tendentem *reſiſtentiam* non videtur quiſquam ſanæ mentis facilè moliturus, niſi qui majorem Civium vim ſuis partibus fauturam ſperaret; quod quidem ſperare vix poſſet, aut certè vanâ ſpe deluſum ſe inveniret, qui in tali caſu injurias cauſaretur, vel tolerabiles, vel quæ nondum, exemplo ſaltem, majorem Populi partem affeciſſent. Vide *Lock. d. tr.* §. 208.

Quòd ſi per injurias à Summo Imperante illatas, non tam *propria* ſingulorum *Jura* invadantur, quàm *publica*, ea ſc. quæ à ſingulis, civilem ſocietatem ineuntibus, ad Civitatem tranſlata intelliguntur; ut ſi Rex legibus circumſcriptus ſe gerat ut abſolutum; cum de his penes ipſam Civitatem ſit diſponere, non priùs eo nomine opponenda eſt violenta reſiſtentia, quàm manifeſta indicia ſuaſerint, id Populum, aut majorem ejus partem, velle: Ubi *Populi* nomine, *Cives* intelligo eminentiore ſenſu ita dictos, quales ferè Auctor deſcripſit ſuprà, *Cap. VI.* §. 13. eos ſc. quorum immediato conſenſu, & conventione cum ipſo Summo Imperante initâ, Imperium eſt primò conſtitu-

que calamitatem ſuſtinebunt, quàm fer-
rum

ſtitutum, aut qui in eorum jura, ad publicum ſtatum pertinentia, ſucceſſerunt. Hoc autem numero qui ſint cenſendi (nam non ſemper tales eſſe omnes patres familiarum, monuimus; *Obſ* 3. in *d.* §.) ex cujusque Civitatis Legibus fundamentalibus & Moribus eſt colligendum; ex quibus etiam definiri oportet, utrùm hi Cives viritim ſint numerandi, an verò ſecundùm certas diviſiones, ſub quibus, in Comitiis publicis, per Legatos ſuffragii ferendi jus habent. Nec tamen, ut horum, in tali caſu, reſiſtendi voluntas innoteſcat, neceſſe eſt ſemper, eos in Comitiis congregatos ita cenſuiſſe; quandoque enim accidit, ut citra violentam reſiſtentiam priùs oppoſitam, Comitia, in quibus genuina Civitatis voluntas regulari modo ſe prodat, non poſſint haberi; quo caſu neceſſitas efficit, ut ex aliis indiciis, quæ haud ægrè ſolent occurrere, publica illa voluntas ſit conjectanda: quemadmodum res ſe habuit in Regnis *Britannicis*, A. D. MDCLXXXVIII, cum felix, ſub propitio DEO, harum Inſularum Liberator tantùm non devoratam prædam Papalis Tyrannidis faucibus eriperet.

Quòd ſi, cum gravibus illis cauſis, quæ publicam reſiſtentiam juſtam ac neceſſariam reddunt, concurrat doloſa pertinacia, tendens manifeſtè ad ſimiles injurias, quoad res & occaſio permiſerit, in poſterum moliendas; non tenetur Populus Jurium ſuorum cuſtodiam illi ampliùs permittere, qui factis ſuis eorundem Jurium ſe hoſtem apertè declaravit: nihil enim eſt abſurdius, quàm Jus imperandi cum imperandi fine colliſum ire: imo quisquis munere in aliorum gratiam ſuſcepto, vel dictis vel factis declarat ſe nolle fungi, intra eum modum ſub quo, & in ordine ad finem cujus causâ, eſt delatum, reipsâ ei renunciare eſt cenſendus.

Nec tamen, etiam in hujusmodi caſibus, Imperium ſemel legitimè ſtabilitum, fas eſt à ſingulis, ante ſolenniter declaratam Civitatis voluntatem, excuti

peni-

rum in durum quidem, ſed tamen parentem patriæ, ſtringent.

§. V.

penitùs & ejerari: quamvis enim ſolutio obligationis erga Imperantem, non tam à Populi decreto ſit petenda (quaſi per hoc ſolum, ut Magiſtratui inferiori per decretum ſuperioris, ipſi Summo Imperanti poteſtas auferri poſſet) quàm ab ipſius rei evidentia, quòd ſc. Summus Imperans, poteſtatis ſibi delatæ terminos notoriè & pertinaciter egreſſus, eâ ad Civitatis perniciem ſit abuſus, & in poſterum abutendi animum ſatis declaraverit; tamen iſto abuſu, qui per ſe manifeſtus eſſe debet, ſuppoſito, penes Civitatem & judicium, quo potiſſimùm modo adverſus eum in poſterum caveri publicè expediat; utrùm ſc. Imperantis vires circumſcribendo, an verò ipſum Imperium alteri deferendo. Singulis itaque, etiam in extremis iſtis caſibus qui extraordinarium remedium maximè poſtulant, nihil aliud cenſeri debet permiſſum, quàm præſentem vim vi repellere, & efficere, ut Civitati adverſus commune periculum communi conſilio cavendi ſit copia.

Multò minùs ſingulis fas eſt, Summum Imperantem, utcunque delinquentem, punire, Quamdiu certè Imperium retinet, hoc non licere, eſt manifeſtum; imo, in plerisque Monarchiis, Lege aut More eſt receptum, ut *Perſona Regis* habeatur *Sacroſancta*: quòd ſi Imperio exciderit; hoc tum ad Civitatem devolvitur; penes quam ſolam idcirco, de re adeò gravi, ac eſt pœna ejus qui Summum nuper Imperium geſſit, ſtatuendi eſt facultas. Quin & de pœna ab ipſa Civitate, vel ab eo qui in Imperium ſuccedit, hoc in caſu infligenda, quæſtio eſt, ut agnoſcit Cl. *Huberus*, (vide *Lib. I. de Jure Civitatis*, *Sect. IX. Cap. IV.* §. 40. *& ſeqq.*) difficilis & periculoſa inprimis. Eum quippe, qui regnum ſemel legitimè quæſitum tenuit, ab iis qui ſibi ſubditi fuerant, in judicium adduci, ad cauſam cogi dicendam, condemnationem denique ac pœnam ſubeundam, in hypotheſi, ut idem monet, videtur abſurdum

§. V. Prætereà, ſummum imperium, in Monar-

dum; neque Hominum indignationem poteſt non movere; imo eſt ab omni ævo inauditum, præterquam in exemplo quod proximè elapſo ſeculo edidit in hac Inſula furioſa Factio, quæ ipſam priùs Civitatem armatâ violentiâ oppreſſerat. Sed & in ejusmodi caſu clam necare, vel nocendi viribus jam exutum populari impetu opprimere, non minùs immanem ſceleris habet ſpeciem. Unde meritò concludit modò laudatus Auctor, rectiùs eos conſulere, qui ulteriore pœnâ adverſus regno dejectum abſtinentes, exilio tantùm, vel perpetuâ cuſtodiâ, publicæ ſecuritati cautum volunt. Sed & damna, ab eo Civitati vel ſingulis injuriâ illata, ex ejusdem bonis rectè ſarciri, non eſt dubium.

Quod ad ſeptem Caſus attinet à *Grotio* recenſitos, *Lib. I. Cap. IV.* §§. 8-14. utrùm ſub iis, vel ullo eorum, prout ab ipſo egregio Viro intelliguntur, directè contineatur reſiſtentia ſuperiùs probata, & qualis in horum Regnorum felice Revolutione fuit adhibita, ambigi quidem poteſt: ex eorum tamen nonnullis, eam ipſam reſiſtentiam, ob parem manifeſtè rationem, poſſe defendi, nullus dubito. Neque enim is ſolus in *Populi exitium ferri, ejusque perdendi animum habere*, eſt cenſendus, (vide §. 11.) qui totius Populi hoſtem ſe apertè profitetur; ſed & is, cujus adminiſtratio notoriè & pertinaciter ad Populi perniciem tendit: confer *Lockii d. Tract.* §. 20. Quin & Imperium, planè ut Matrimonium, in *commiſſi* cauſam poteſt cadere, (v. §. 12.) ubi eſſentialia pacti quo fundatur capita ſunt violata, ejusque conſtituendi finis eſt fruſtratus; licet *Clauſula commiſſoria* expreſsè adjecta non fuerit. Sic & qui jus adverſus ſe, intra certum modum, & in ordine ad certum finem, alteri confert, non eget addere, *licitum ſibi fore reſiſtere* (v. §. 14.) ſi id fortè quod præſcriptum modum apertè excedit, vel à propoſito fine manifeſtè abit, alter exegerit. Unde in primis, ſi Regis Imperium hoc expreſſo limite ſit circumſcriptum, ut

nullas

Monarchiis potiſſimùm & Ariſtocratiis, alicubi *Abſolutum*, alicubi *Limitatum* (1), deprehenditur.

AB-

nullus ei Leges immutare, aut novas condere, liceat, niſi conſentiente Populo, per ſe, aut per delegatos ſuos in comitiis congregatos; cum hæc conſtitutio, ſive juxta mentem *Grotii* dicenda ſit *diviſio Summi Imperii inter Regem & Populum*, (v. §. 13.) ſive non, includat ſaltem jus Populo competens, ne ad Legum quibus non conſenſerat obſervantiam adigatur; includit etiam facultatem reſiſtendi violentiæ, quâ quis hoc Populi jus violare, id eſt, talium Legum obſervantiam exigere, easve in non obſervantes exequi, molitus fuerit: neque enim ullum aliud *Jus perfectum*, magis quàm *Imperium*, intelligi poteſt ſine *facultate illud* jus *tuendi*; neque hæc facultas, circa alia Jura, magis quàm circa Imperium, per Evangelium ſublata cenſeri debet. Non igitur ſine cauſa, doctrinam hujus §. 13. caſui de quo hìc eſt ſermo applicandam cenſuit Nobiliſſimus Vir, Paciſque juxta ac Belli artibus Clariſſimus, (cunctis *ille Bonis flebilis occidit*) *Stannopius*, in Judicio publico adverſus *Sacbaverellum*.

Sed ſentio longiùs progreſſam, quàm Inſtituti noſtri ratio ferebat, hanc diſquiſitionem; quam tamen haud vereor ne æqui arbitri inopportunam duxerint, ſub imperio OPTIMI REGIS, cui nulla à Subditis fuit unquam, aut eſt, metuenda reſiſtentia, niſi ab Aſſertoribus doctrinæ omnem indiſcriminatim reſiſtentiam damnantis; quorum conatus hactenus profligati ut tandem aliquando ceſſent, vel ſemper ſint irriti, faxit Gentium *Britannicarum* Religioni & Libertati Propitius DEUS.

§. V. (1) Sedulò hìc eſt cavendum, ne cum multis hac in parte hallucinantibus, ea confundamus invicem quæ ſunt diverſa. Quippe Imperium *limitatum*, ab una parte, non deſinit eſſe *Summum* nec *Monarchia* idcirco *limitata* confundenda eſt cum

mere

mero *Principatu:* illìc enim, Princeps reverà habet *Summum Imperium*, licèt id non niſi intra certos limites in delatione Imperii ſtabilitos, vel fortè unam aut alteram ejus partem non niſi conſentiente populo, poſſit exercere: hìc verò, Princeps eſt illuſtris tantùm *Magiſtratus*, cujus actus à Senatu vel Populo, vi ſuperioris Poteſtatis, poſſunt infirmari. Nec Imperium *Abſolutum*, ab altera parte, ubi *Civile* duntaxat intelligitur, confundi oportet cum *Deſpotico*, Omne enim *Civile* Imperium, eſt poteſtas tantùm alios regendi ad communem eorum qui reguntur ſalutem, & libertatis eorundemque atque rerum conſervationem: neque *Abſolutum* aliter differt à *Limitato*, quàm quòd Imperans, hìc intra certos præſcriptos limites, aut adhibito, ad media certi generis uſurpanda, aliorum conſenſu, illìc ex proprio judicio, per media quæ ipſi videntur optima, ad iſtos fines collineet. Imperium verò *Deſpoticum*, eſt poteſtas aliorum operis vel rebus utendi pro lubitu, ad utilitatem ipſius Imperantis: quale Imperium in univerſum aliquem Populum jure acquiri, & per ſuccedentia ſecula continuari, poſſe, non putaverim: ſuprà enim oſtendi, *Obſ.* 1. in *h. Lib. Cap. IV.* §. 4. cauſam ſervilis conditionis Hominibus invitis imponendæ, non niſi ad paucos, nunquam ad integrum Populum qui nunc eſt, atque adeò multò minùs ad futura ejus Individua, ſe extendere: & in eam certè conditionem qui ultrò conſentire velint, ſunt longè pauciores. Sed neque uſus Soli, cujus beneficio Imperium Civile in perpetuum ſtabiliri ſuprà diximus, *Obſ.* in *h. Lib. Cap. VI.* §. 9. cum ſubjectionis ſervilis obligatione poteſt connecti: nam Dominus quidem de re ſua jure poteſt diſponere pro lubitu; ſed ita, ut ea res inſerviat naturalibus uſibus, quorum cauſa eſt Hominibus à Deo conceſſa: unde non poteſt Dominus amplioris alicujus Soli, plurimis Hominibus, imo Familiis, ad habitationem ſufficientis, rectè exigere, ne quis in eo Solo degat, niſi qui Deſpotici ſui Imperii jugum velit

bere dicitur, qui illud adminiſtrare poteſt proprio ex judicio, non ad normam certorum ac perpetuorum ſtatutorum, ſed pro-

lit ſubire; neque talis conditionis imponendæ jus ad alium quempiam poteſt transferre: iniqua enim iſta, nec Hominibus toleranda, conditio, tenderet ad effectum Divinæ benignitatis, quâ Telluris ſuperficies Humano Generi ad habitationem eſt conceſſa, eatenus intervertendum.

Poteſt nihilominùs Imperium *Civile*, non *limitatum* modò, ſed & *abſolutum*, in integros Populos, imo & *deſpoticum* in certos quosdam Homines, jure ſtabiliri. Imperium verò aſſumptum ab eo cui jure non convenit, vel ab eo cui convenit intra certos limites, notoriè & pertinaciter extra eos limites exercitum, dici ſolet *Tyrannicum*: unde Imperium limitatum, ſi exerceatur ut abſolutum, abſolutum civile Imperium, ſi exerceatur ut deſpoticum, imo ipſum deſpoticum, ſi per intolerabilem & brutalem in ſervi corpus ſævitiam exerceatur, *Tyrannidis* ſtigmate eſt notandum. Patet quippe ex dictis, omne Humanum adverſus alios Homines Imperium ſuos habere fines atque limites; adeoque nullum eſſe, quod non admittat certos abuſus, quibus juſta reſiſtentia poſſit opponi. Quod ad jus attinet aliquem occidendi ex cauſa Delicti capitalis; hoc (quod in ſtatu naturali cuivis promiſcuè convenire ſuprà docuimus) non niſi impropriè admodum diceretur *Imperium*; & tamen illi ipſi quem quis occidendi jus haberet, poſſet intentare injurias, quibus is non modò licitè poſſet, ſed deberet, reſiſtere: ut ne hôc quidem caſu, homini adverſus hominem licentia competat in infinitum.

Divinare non poſſum, quo conſilio D. *Spavan* in Epitome *Anglicana* Operis *Puffendorfiani* de Jure Naturæ & Gentium, illuſtrata Notis, ut ipſe ait, è *Barbeyracii* penu petitis, ad hæc Auctoris verba allegandum cenſuit (cujus apud *Barbeyracium* nulla eſt mentio) paragraphum è *Mackenzii* noſtratis *Jure Regio* de-

ut præſens rerum conditio videtur exigere; quique adeò proprium ad arbitrium ſalutem reip. prout ejuſdem tempora poſtulaverint, procurat.

§. VI. Verùm quia unius hominis judicium ab erroribus non eſt immune, & voluntas in prava flexilis, in tanta cum primis liber-

ſcriptum, qui ab his verbis inchoatur, *Nequeo non valde laudare Majores noſtros, qui prudenter adeò Monarchiam abſolutam elegerint*, &c. quibus annon ſibi ipſe contradixerit *Mackenzius*, Monarchiam abſolutam hic à Populi electione repetens, quàm aliàs ab ipſo DEO & Natura conſtitutam ſolicitè inculcat, omitto quærere: quòd verò, nullâ additâ cautelâ, abſolutam prædicet Monarchiam *Scotorum*, apud quos neque Leges condere, neque tributa indicere, niſi conſentientibus Regni Ordinibus, penes Regem unquam fuit, non æquè poteſt ferri; cum ita conſtitutum Imperium Scriptoribus Politicis non abſolutam ſed limitatam dici Monarchiam, ſatis conſtet. Ad ratiunculas verò quod attinet, quibus idem loco citato & paſſim in eodem libro notiſſimam Patriæ ſuæ conſtitutionem conatur vellicare, hæ, cum ipſo fatente non plus ponderent, quàm Auctoritas decretorum, à Patronis ejus [*Oxonienſibus*] pauló ante editorum, digniſſimæ erant quæ iisdem flammis in fumum eveherentur. [Vide dicti Libri Epiſtolam Nuncupatoriam, & confer *Judicium adverſus Sachaverellum*, in fine.] Quod tamen ita acceptum nolim, quaſi non benè multas propoſitionum iſtis decretis damnatarum ipſe æquè deteſtarer; aut quaſi antiquiſſimæ & celeberrimæ Academiæ, juſtiſſimæ, quam apud omnes Literarum cultores obtinet, exiſtimationi, quidquam ego detractum irem: illa, ut omnigenæ eruditionis laude ſemper floruit; ita juſtæ libertatis cauſæ aſſerendæ aliquando non defuit, nec ei adverſantes ſententias in perpetuum, ut ſperamus, eſt futura.

libertate; quibuſdam populis conſultum viſum, ejus *Imperii exercitium* CERTIS LIMITIBUS CIRCUMSCRIBERE. Id quod factum, dum ad certas *leges* (1), circa admi-

 niſtra-

§. I. (1) Non eſſe has *Leges* propriè ſic dictas, ſeu præcepta quaſi à *Superiore* profecta, ſed *Pacta*, vel *Articulos* potiùs *Pacti fundamentalis* quo Imperium defertur, intelligi poteſt ex obſervatis ad ſuperiores hujus Capitis paragraphos: unde etiam facilè colliguntur ſequentia Conſectaria. 1. Imperium Civile, etiam ubi eſt ampliſſimum, dicitur *Abſolutum* non *ſimpliciter*, ſed *ſecundùm quid*, i. e. non quaſi excludens *omnes* limites, ſed limites tantùm *ſpecialiter expreſſos*, quique ex ipſo Civitatis conſtituendæ fine ſuâ naturâ non fluunt. 2. Non modò *generales*, ſed & *ſpeciales limites* Imperii, poſſent eſſe validi, etiamſi Imperans nullam in ſe *Obligationem* ſupponeretur ſuſcepiſſe: ut enim quis non ultra certos limites obſequium debeat, ſufficit quòd ipſe ſe ulterius non obligaverit. Et tamen à Civilis Imperii conſtituendi fine prorſus abhorret, ut vel univerſi, vel ſinguli, illud in ſe gerendum alicui credantur deferre, quem non intelligunt viciſſim ad illud gerendum obligari, idque ad fines quorum intuitu, & intra limites ſub quibus, eſt delatum: quæ certè obligatio, quatenus poſitivos actus reſpicit, non aliter quàm pacto poteſt conſtitui. 3. Neque *Pactum*, neque *ſpeciales* Imperii *Limites* pacto conſtituti, (ne quidem ſi iis caveatur, ut certos Imperii actus ſine Populi conſenſu Imperans exercere nequeat) *Populo*, ab Imperante contradiſtincto, ullum *Imperium*, nedum in ipſum Regem exercendum, tribuunt 4. Ut juſta dicatur, quæ Imperanti in extremis quibuſdam caſibus opponitur, *Reſiſtentia*; neque opus eſt ad *Pactum*, quo ipſe Imperans ſeſe obligavit confugere, neque *ſpeciales* Imperii *Limites* ſupponere, multò minùs Imperium ejuſve partem ipſi *Populo* aſſerere: ſufficit, manifeſtè excedi illos limites, qui ex ipſo Civitatis conſtituen-

dæ

niſtrationem partium imperii, in delatione regni Regem adſtrinxerunt; & ſi quando nego-

dæ ſine ſatis intelliguntur. Nec tamen inficior, multò faciliùs procedere hoc judicium, & longè promptiora ſuppetere tuendæ Libertatis media, ubi ſpeciales Imperii limites, poſitivâ aliquâ conſtitutione, vel uniformiter recepto more, ſunt ſtabiliti; ut non ſit dubium, quin publicæ Saluti multò meliùs cautum ſit, in Monarchia vel Ariſtocratia limitata, quàm in abſoluta. 5. Locum habet regulariter, quod monet Auctor, de *J. N. & G. Lib. VII. Cap. VI.* § 7. *in fine*, in omni Civitate propriè dicta, exiſtere *Imperium abſolutum*, ſaltem *habitualiter*, ſi non ſemper *exercitio*; cum id quod *Regi*, vel *Senatui*, in ulla Civitate ad abſolutum Imperium deeſt, intelligatur eſſe penes *Populum*, & ab eo ſuppleri poſſe: nec enim facilè uſu venit, ut *ſinguli*, dum civilem ſtatum ineunt, ſpeciales limitationes ſive exceptiones addant Pacto, quo voluntatem ſuam ſubjiciunt voluntati univerſorum: quas tamen ſi conſtaret fuiſſe additas, validas fore non eſt dubitandum. Hinc à ratione haudquaquam abhorret, ut duæ *integræ Civitates*, ſi in unam coire velint, certa *peculiaria Jura*, Imperii Civilis diſpoſitioni alioquin obnoxia, ſingulæ excipiant, ut quæ, nec Principis, nec univerſæ Civitatis ex duabus unitis conflandæ, arbitrio ſubjiciunt. Hujuſmodi *Reſervationes* abſurdè quis occineret eſſe leges tantùm priores, quibus per poſteriores poſſet derogari; cum manifeſtum ſit, per illas, alteri unitæ Civitatis parti acquiri, aut potiùs retineri, aliquod *Jus*, quod ei nolenti rectè eripi non poteſt; velle autem ea pars non cenſetur per voluntatem univerſorum, ſive majoris partis, in eo quod majoris partis arbitrio expreſsè exemptum voluit. Jura itaque in ipſa coalitione Civitatis iſthoc modo reſervata, æquè ſunt valida, & propter eandem rationem (internam ſc. qualitatem conſensûs quo Imperium defertur) alteri parti Civitatis adverſus totam; atque Jura in delatione Monarchiæ limitatæ reſervata, ipſi Populo valida

negotia ſummam rerum ſpectantia, quæque in anteceſſum definiri nequeunt, inciderent, voluerunt ea ſuſcipi, non niſi præſciente & conſentiente populo, aut ejusdem deputatis in comitia convocatis (2), ut eo minor occaſio regi præbeatur à ſalute regni aberrandi.

§. VII. Solet denique in regnis occurrere aliquod diſcrimen circa *modum habendi regnum* (1), qui non in omnibus æqualis deprehen-

valida ſunt adverſus Regem. Sed & in hoc caſu, aliqualiter ſuſtineri poteſt ſuprà recitata Auctoris noſtri doctrina: Si enim, quod Regi ad abſolutum Imperium deeſt, non ſit penes Populum per modum Univerſitatis, ut communi Populi decreto poſſit ſuppleri; ſaltem, quod Regi & univerſo Populo deeſt, eſt penes Populi partes ſeorſum ſumptas, ut à conſentiente ſingularum partium voluntate ſuppleri poſſet: Civitatem quippe ſupponimus perfectam, atque adeò à nulla externa voluntate pendentem. Non tamen in his, pro conſenſu alterutrius partis, haberi debet conſenſus Delegatorum ejus partis ad Concilium ex univerſis: Hi enim, in iis tantùm quæ illi Concilio definienda ſunt relicta, eorum à quibus delegantur voluntatem repræſentant.

(2) Quorum voluntas, in iis, de quibus ut deliberent ſunt jure convocati, quæque adeò in eorum mandato, ſeu ſpeciali, ſeu generali; continentur, pro voluntate Populi habetur.

§. VII. (1) Hujus diſcriminis ratio, quæ poſſet eſſe, & vulgò prætenditur, intelligi poteſt ex ſupra obſervatis in *Cap. VI.* §. 9. Ubi enim totius Regionis dominium ipſi Regi ſemel quæſitum intelligitur, atque ab hoc demum ad Subditos derivatum, quicquid illi juris habent in ſingulis ejus partibus; illìc erectum præſumitur Regnum *Patrimoniale*, idque *uno* ferè *Pacto*,

prehenditur. Quidam enim reges dicuntur

tur

ſto, quo ſinguli Cives, in iſta Regione ſedem figentes, ſe, ſuosque in ejusdem terræ dominio utili, vel uſu qualicunque, ſucceſſores, dicti Regis, juſtorumque ejus Succeſſorum, ſupremorum ejusdem terræ Dominorum, Civili Imperio ſubjiciunt; ejusdem Imperii protectionem, cum uſu juris in Solo ſibi quæſiti, viciſſim ſtipulantes. Illìc contrà, ubi Regionis, cujus ſingulæ partes ſunt in dominio ſingulorum, commune Imperium à Dominis ad Regem defertur; erectum cenſeri debet Regnum *non Patrimoniale*; quod plerumque fit per *ſecundum Pactum*, ab originariis putà Civibus, ſingulorum fundorum Dominis, *priore Pacto* jam ante in unum perpetuum cœtum conjunctis: qui, cum in Imperio huic deferendo ipſius perſonæ conſideratione permoti intelligantur, ne quidem ad poſteros ejus illud transmittendum concedere ſunt putandi, niſi id expreſsè dixerint; quo caſu eorundem eſt Succeſſionis ordinem definire. Atque hanc Civitatis & Imperii Civilis conſtituendi rationem, ejusdem naturæ atque fini maximè conſonam eſſe, res ipſa clamat. Quo jure, quâve injuriâ illud univerſale Regionis dominium, in quo Imperium Patrimoniale fundari ſupponitur, ab uno acquiri poſſit, paulò inferiùs inquiretur. Hìc interim notamus, etiam tali dominio ſuppoſito, non hominum Civile Imperium eſſe *in Patrimonio*, ſed Regionem, atque adeò Jus uberiora illa, quæ Dominium conſequuntur, emolumenta ex ea percipiendi: quod jus, utcunque cum Civili Imperio hìc conjunctum, cum eo tamen minimè eſt confundendum: illud enim propriam Imperantis, hoc omnium & ſingulorum, utilitatem reſpicit: ſingulorum quippe jura, licèt fortè hìc anguſtiora quàm ſub aliis quibusdam Imperii formis, non tamen minùs ſunt valida, aut Imperanti minùs religiosè tuenda: imo nemo Civilis Imperii idoneum eſt objectum, niſi quatenùs certa habet jura adverſus omnes mortales valida: adeò longè Imperium *Civile*, quantumvis abſolutum, diſtat à *Deſpotico*.

tur regnum ſuum habere *in* PATRIMONIO, ita ut illud pro lubitu dividere, alienare, transferre poſſint, in quemcunque voluerint. Quòd potiſſimùm contingit illis, qui armis regnum ſibi quæſivere (2), ac ſuum ſibi populum ipſi fecerunt. Reliqui autem reges, qui ultrò à populo ſunt adſciti, etſi ſummo jure imperium exerceant; regnum tamen pro lubitu dividere, alienare, aut transferre nequeunt; ſed in eo ad ſucceſſores demittendo, legem fundamentalem, aut conſuetudinem in populo receptam, ſequi tenentur; eoque à quibusdam certo reſpectu cum *Uſufructuariis* (3) comparantur.

(2) Vide ſequentis Cap. §. 2. cum Obſervatione.

(3) Reges de quibus hic eſt Sermo, ſi tantùm ad vitæ terminum regnum teneant, non ad ſuos transmittendum, eatenùs comparantur cum *Uſufructuariis*: ſi verò illud, juxta certum ordinem, poſſint ad ſuos transmittere; hæc habent communia cum *Feudatariis*, quòd nec ſuo arbitrio Regnum alienare, nec ſuccedendi ordinem mutare, nec denique Regni Succeſſorem, quà talem, privatis ſuis debitis onerare, valeant: quippe, ſicut illìc à *Superiore*, ita hìc à *Populo*, ſuccedendi ordo eſt ſtabilitus: non tamen ulteriùs extendi oportet hanc analogiam, quaſi Regii Imperii Summitati & Dignitati quidquam per hoc detraheretur, quòd non habeatur *in Patrimonio*.

Caput X.

De Modis acquirendi Imperium, inprimis Monarchicum.

I. *Imperii acquirendi duplex modus.* II. *Violentus, per occupationem, ejusque titulus.* III. *Conſenſu, per electionem à populo factam.* IV. *Interregnum, ejusque incommodum.* V. *Succeſſio conſtituta arbitrio Regis, vel Populi.* VI. *In priori diſponit Monarcha pro lubitu.* VII. *Si nihil diſpoſuerit, quid præſumendum?* VIII. *Populus quando, & qualem ſucceſſionem definiat?* IX. *In hoc Succeſſionis genere nonnulla notanda.* X. *Succeſſio linealis, in quo conſiſtat?* XI. *Species ejus duæ, Cognatica & Agnatica.* XII. *Lites ſuper Succeſſione, à quo dirimendæ?*

QUANQUAM ad quodvis Imperium legitimum conſtituendum *Conſenſus Subjectorum* requiratur; is tamen non ubique pari modo elicitur. Interdum enim *per violentiam bellicam* (1) aliqui adiguntur in victoris imperium conſentire; interdum

§. I. (1) Hæc diſtinctio (ut rectè monet Auctor, de *J. N. & G. h. t.* §§. 1. & 2.) non ad Imperia *Democratica*, quod ad primam eorum conſtitutionem, ſed ad *Ariſtocratica*, & præcipuè *Monarchica*, pertinet; licèt Democratiarum quoque incrementis eam applicari nihil vetet.

dum *ultrò* ad aliquem Principem conſtituendum Cives accedunt.

§. II. *Modus* adquirendi imperii *violentus* ſolet vocari Occupatio (1), quando ſc.

§. II. (1) De hac Imperii acquiſitione multa vulgò jactitantur, quæ penitiùs egent perpendi. Conſtat ex ſuprà dictis, quicquid victori, etiam juſto à victis debetur, ultra id quod bello cauſam dederat, deberi vel nomine *damni penſandi*, vel *cautionis* in poſterum præſtandæ vel *pœnæ*. Ut ab hac incipiamus, *Pœnæ* nomine ſoli tenentur *nocentes*: Civilem quippe conjunctionem, quæ eſt inter Summum Imperantem & Cives, non efficere, ut ob Imperantis delictum in foro humano puniri poſſint Cives innocentes, rectè notavit *Grotius*, *Lib. II. Cap. XXI.* §. 17. Confer etiam *Lib. III. Cap. XI.* §. 2. Ad injuſtum verò bellum, à qualibet Civitate, id eſt, à Summo Imperante & militibus ejus Imperium ſecutis, geſtum, plerumque Civium pars multò maxima nec ope nec conſilio quidquam contulerant: hi idcirco ejus belli, quantumlibet nefariè geſti, nomine, pœnæ haudquaquam ſunt obnoxii. Prima itaque ratio, quæ ab Auctore adfertur, violentæ acquiſitionis Imperii, quòd ſc. *Victor*, *ſi rigore Belli voluiſſet uti*, *vitam planè victis adimere potuiſſet*, ad exiguam duntaxat devictæ Civitatis partem pertinet; ſi modò per rigorem belli intelligatur, non id quod à victoribus immanibus & injuſtis fieri ſolet, ſed quod jure fieri poteſt: Hoſtibus quippe debellatis, non alio quàm *Pœnæ* nomine vita poteſt adimi; ſicut viciſſim, in Statu naturali non alia quàm corporalis pæna rectè infligitur. Omitto quærere, ecquam pœnæ in gregariis Militibus, etiam ex capite Juſtitiæ moderationem ſuadeant, tum auctoritas Summi Imperantis, à quo ad bellum impulſi, ſi non etiam vi coacti, fuerant; tum etiam ſpecioſæ cauſæ, quæ injuſtis bellis haud raro prætexuntur: nec non, utrùm dignè ſatis de civili Imperio ſentiant, qui ad illud pœnæ loco admittendum extrema ſupplicia meritos urgendos putant.

aliquis, juſtâ bellandi causâ ſubnixus, fa- vente vi armorum ac fortunâ, populum ali- quem

Quod ad *Damni penſationem* attinet, hæc nobis videntur certa 1. Rarò aut nunquam uſu venit, ut damnum, ab aliquo Populo terram ſatis cultam habitante, alteri Populo vel Principi injuriâ factum, æquet æſtimationem ullius notabilis partis R[illegible]ionis, à Populo damnum inferente poſſeſſæ; aut ſit ejusmodi, ut illud hic non & poſſit, &, ubi alterum duorum eſt eligendum, velit, aliter penſare, quàm ceſsâ ullâ ſuæ Regionis parte: quo in caſu, hujus ſub jugo retinendæ injuriam paſſo nullus eſt prætextus; & multò quidem minùs innocentium Civium libertatis opprimendæ. 2. Quicquid damni illati nomine Victori debeatur; non videntur innocentes Cives teneri ad illud ita luendum, ut priventur inſuper continuato uſu & beneficio iſtius *Imperii Civilis*, cujus causâ ſupponuntur obſtricti. Obligationis enim, quâ Cives ad reſtituendum tenentur ob delictum publicum, non alia videtur eſſe ratio, quàm quæ in jure privato ſubſternitur Actionibus *Noxalibus* & de *Pauperie;* quod ſc. æquum putetur, ut *qui certa ſuæ utilitatis aut voluptatis procurandæ media ſibi adſciverunt, ex quibus alii ſine ſua culpa damnum ſunt paſſi, vel damnum ſarciant, vel rem ſuam, quæ alteri evaſit damnoſa, læſo dedant:* juxta quam regulam, (quæ tamen quomodo ad ſtrictiorem æquitatem ſit temperanda, dixi ſuprà, *Obſ. in Lib. I. Cap. VI.* §§. 11. & 12.) Princeps, vel Populus, qui ab alterius Populi *Imperio Civili* damnum ſenſit, ſi aliam penſationem utcunque obtineat, non poteſt vendicare *Imperium;* ſi *Imperium* obtineat, non poteſt ab innocentibus Civibus aliam penſationem exigere. 3. His conſonum eſt, ut nihil amplius Victor, in bello quantumlibet juſto, à victi Populi Civibus innocentibus (ſi fortè, quod tamen vix unquam contingit, aliam damni penſationem obtinere nequeat) jure poſſit vendicare, quàm *Imperium Soli:* quod non impedit, quo minùs Cives innocentes, cæteroquin omnia ſua jura habeant

quem eò redigit, ut ipſius deinceps imperio ſeſe ſubjicere cogatur. Cujus imperi[illegible]

legibeant ſalva; ſive in Territorio manere, & Imperio illìc ſtabilito ſubjectos ſe ferre, malint, ſive cum rebus ſuis aliò abire.

Quòd ſi Victor, præter rem ab initio debitam, damni dati penſationem in rebus mobilibus ipſe ceperit; vel ſi ea in Pacis tractatu ei offeratur; patet ex dictis, ad ipſius *Soli*, vel ullius ejus partis, ſeu *Dominium*, ſeu *Imperium*, illi aſſerendum, non ſufficere ejus occupationem jam bello factam: quamvis enim ſuprà dictum ſit, ubi de violenta Juris proſecutione egimus, ad *Lib. I. Cap. V.* §. 17. quamlibet rem Hoſtis à nobis apprehenſam, in compenſationem debiti, noſtram poſſe fieri; id tamen *ſalvo Innocentium jure* intelligendum eſſe, ibidem expreſsè monuimus: unde, cum cujusque Civitatis, & ſingulorum Civium (quorum plurimos in tali caſu meritò ſupponimus innocentes) manifeſtè interſit, indivulſum conſervari *Imperium Soli;* penſatio damni, aut cujusvis ſimilis debiti ſolutio, in mobilibus eſt admittenda; ſaltem ubi Imperium non eſt Patrimoniale.

Quod denique ad *Cautionem* attinet, manifeſtum eſt, ut pro damno hactenus dato ſatisfieri, ita læſo ſatis in poſterum caveri, plerumque poſſe, etiamſi hic, nec in Populum à quo læſio provenerat, nec in Regionem quidem ab eo habitatam, Imperium permittatur aſſumere.

Neque his obſtat altera violentæ occupationis Imperii ratio, ab Auctore allata; quod ſc. *cum altero in bellum deſcendens, quem ipſe antea læſerat, & cui æquam ſatisfactionem præbere renuit, omnes ſuas fortunas aleæ Martis exponat*, &c. Quantumvis enim ſpecioſè hoc forte urgeri poſſit, adverſus eum qui nullo juris prætextu, ſed ſolâ armorum vi, fretus, debilioris cujusque jura invadere molitur, vel eludere; ægrè tamen videtur admittendum, adverſus eum qui profitetur, idque forſan ex vero, ſe juſtam putare ſuam cauſam, & bellum gerere, non fiduciâ virium

legitimus titulus non inde ſolùm deducitur, quod victor, ſi rigore belli voluiſſet uti, vitam

virium, ſed animo juris ſui tuendi aut proſequendi; præſertim, cum nemo velit in conditionem ab Auctore ſuppoſitam conſentire, niſi & Hoſtis in eandem conſentiat; in quam tamen, fatente ipſo Auctore, conſentire non præſumitur, qui juſtam & neceſſariam ob cauſam, fruſtrà tentatis mollioribus juris ſui tuendi vel obtinendi mediis, in bellum deſcendit. Confer *J. N. & G. Lib. VIII. Cap. VIII.* §. 1. ubi Auctor, in hoc caſu, ad oppoſitum vergit extremum; ut notabo infrà, ad *Cap. XVI.* §. 17.

Ex his conſtat, raró admodum contingere, ut Victor, in bello etiam juſtiſſimo, Regionis devicti Populi Imperium, nedum abſolutum Dominium, jure ſibi vendicet; nunquam verò, ut Civium Innocentium perſonalem libertatem rectè infringat; eosve, ſubactâ Patriâ, ſive illic manere ſive aliò migrare malint, res ſuas ſibi ſalvas habere prohibeat. Unde ſequitur, nec poſſe illum jure, intentatis extremis malis (ut vult Auctor, de *J. N. & G. h. t.* §. 3.) hos ut in Imperium ejus conſentiant adigere. Confer hic inprimis ſuprà laudatum Cap. XVI. *Lockii Tract. Poſt. de Imperio.*

Quòd ſi autem Victor, injuſtâ vi (quæ, etiam in bello juſtas ob cauſas inchoato, nimis ſæpe adhibetur) iſtiusmodi conſenſum extorſerit; non eſſe hunc planè irritum, ſuprà innuimus, *Obſ.* 2. in *Lib. I. Cap. IX.* §. 15. Imo poteſt quilibet Civis, manente cæteroquin prioris Imperantis, ut & reliquorum Civium, jure, promiſſo per extremam violentiam extorto Invaſori validè ſe obſtrinxiſſe, quo minùs illi in gratiam legitimi Imperantis vim opponat: at nullo in caſu illi adverſus hunc licitè poteſt parere; cum ne quidem legitimo Principi in cauſa injuſta ſit ſerviendum. Celebrata apud *Anglos* Lex *Henrici* VII. externam duntaxat impunitatem præſtat.

Quinimo, cum promiſſi in gratiam injuſti Invaſoris facti materia ſit odioſa; illud neque eſt extendendum,

tam planè victis adimere potuiſſet, atque ſic, dum minore iſtos incommodo defungi patitur,

dum, neque citra manifeſta indicia omninò intelligendum ſubeſſe: non itaque pro Conſensûs obligatorii indicio habenda eſt mera intermiſſio reſiſtentiæ, in Civibus ad eam redactis conditionem, ut ne linguam quidem, ſine præſentiſſimo periculo, contrà movere queant: quæ tamen ipſa reſiſtentiæ intermiſſio hunc habet effectum; quòd arma haud temerè denuò aſſumi debeant, niſi cognità voluntate Populi, aut ejus qui imperandi jus habet; nec citra novam Hoſtilitatis indictionem. Hoſtilitatis autem exercitio ceſſante, licet ſalvum maneat prioris Imperantis, imo & ipſius Populi jus, adverſus Invaſorem Imperii, tenentur tamen ſinguli Cives, publicæ utilitatis causâ, & ob præſumptam ipſius legitimi Imperantis & totius Civitatis voluntatem, Imperii poſſeſſori interim obtemperare, in iis quæ ad quotidianam pacem attinent, & controverſum imperandi jus non attingunt.

Sed & ab altera parte, non raró evenit, ut is qui injuſtâ vi Imperium invaſit, illud eâ deinceps æquitate adminiſtret, ut univerſi Cives eundem animitùs velint Imperantem, ſuumque genuinum in ejus Imperium conſenſum, repetitis ultroneis indiciis, identidem declarent: quo in caſu, acquiſitionis vitium purgatur; modò prioris Imperantis jus non impediat, utpote morte, aut derelictione expreſsâ vel tacitâ, ſublatum.

Cum interim, juxta Auctoris doctrinam, *præced. Cap.* §. *ult.* Regnum habere in Patrimonio *illis potiſſimùm contingat*, *qui armis regnum ſibi quæſivere*, *ac ſuum ſibi Populum ipſi fecerunt;* ex dictis inferre licet, *raró unquam Regna Patrimonialia juſtum habere initium;* præſertim, cum quæ bello occupata tenentur (ſi fortè juſta ſit, quod rariſſimè contingit, acquiſitionis causâ) Victoris *Populi* plerumque, magis quàm *Principis*, patrimonio, quæſita cenſeri debeant; non modò ob rationem quam rejicit *Grotius*, *Lib. I. Cap. III.* §. 12, *n.* 3. quod ſc. *Civium ſanguine & ſudore*

tur, clementiæ inſuper laudem nanciſcatur ſed & quod cum altero in bellum deſcendens, quem ipſe antea læſerat, & cui æquam ſatiſ-

dore ſint parta; ſed præcipuè, quòd *alicujus alterius juris, Populo magis quàm Principi competentis, explendi cauſâ, acquirantur.* Hæc, fateor, pariter atque altera, à *Grotio* rejecta, ratio, non ſemper obtinet: rarò tamen alterutra deficit, niſi aliud aliquod Regnum in Victoris Patrimonio jam ante habitum fuerit.

Inficiandum quidem non eſt, fieri poſſe: licèt hoc rariſſimè contingat, ut aliis quàm violentis mediis, & alio quàm alterius juris explendi prætextu, Regnum Patrimoniale ſtabiliatur; ſi nimirùm unus quiſpiam per ſervos, aliosve à ſe conductos, vacuum aliquod Solum, juſtæ Civitatis habitationi ſufficiens, occupet, in quo deinceps, impoſitâ, inter alias conditiones, *Civilis Subjectionis* lege, idoneum incolarum numerum recipiat; vel ſi alio quovis oblato commodo futuros Cives in Societatem à ſe pendentem invitet; vel denique, ſi Rex (quod ægriùs evenit) in ſingulorum Civium bona immobilia ſuccedat. Patet interim, ſi Regi in iſtiusmodi caſibus Regnum non *alienandi* modò, ſed & *dividendi*, facultas concedatur, eo ipſo deeſſe intelligi firmam illam Civium inter ſe *Conjunctionem*, ab actuali Imperio independentem, quam ad juſtam ſtabilemque Civitatem requiri, ſuprà monuimus, *Obſ.* in *Cap. VI.* §. 9. quamque ibidem notavimus, regulariter quidem prævio pacto conſtitui, ſed & poſſe per unicum pactum, cum ipſo Summo Imperante initum, ſtabiliri. Fatemur nihilominùs, ubi per unicum pactum, cum Rege initum, prima Civitatis fundamenta jaciuntur, Cives non tam per illud inter ſe unitos plerumque intelligi, quàm Summo Imperanti ita ſubjectos, ut ab hujus arbitrio, ſi nullum ulterius vinculum intervenerit, futura eorum unio pendeat: quâ ratione imperfecta tantùm Civitas conſtituitur; cujusmodi ferè ſunt quæ usquam occurrunt Regna Patrimonialia.

ſatisfactionem præbere renuit, omnes ſuas fortunas aleæ Martis exponat, ſic ut jam in anteceſſum tacitè conſenſerit in quamcunque conditionem, quam eventus belli ipſi eſt aſſignaturus.

§. III. *Ultroneo* autem *conſenſu* (1) populi paratur regnum, interveniente ELECTIONE, quâ populus conſtituendus, aut jam conſtitutus (2), ultrò certum hominem, ſuo judicio imperii capacem, deſignat; cui, quando decretum populi fuerit ſignificatum, idque ille acceptaverit, promiſſo populi obſequio, imperium confertur.

§. IV. Electionem in civitate jam conſtituta, ſiquidem illa ſuſcipiatur Rege priore defun-

§. III. (1) *Ultroneus Conſenſus* cum hic dicatur, qui adhibetur à *Populo conſtituendo*, *vel conſtituto;* opponitur, non tantùm conſenſui *vi extorto*; ſed & ei qui *elicitur à ſingulis*, intuitu Imperii in Solum, ubi ſedes illi vel fixas habent vel figere incipiunt, Regi priùs acquiſiti, atque adeò uſûs ejuſdem ſub iſta demum conditione ab eo Civibus permiſſi, vel cujuſcunque ſimilis utilitatis, quâ in Civilem Societatem ab eo pendentem invitentur, ab eodem ſingulis oblatæ.

(2) Populum *conſtitutum* intellige, qui erecto Civili Imperio in perfectam evaſit Civitatem; *conſtituendum* verò qui primo tantùm pacto in aliquod Civitatis rudimentum coaluit; in quem tamen ſtatum etiam Civitas Monarchica relabitur, (ut monet Auctor §. *ſeq.*) ubi, Rege priore defuncto, novæ electioni locus eſt. Aliter verò, à Populo *conſtituto* fieri dici poteſt electio, quæcunque fit à Civibus vel primo pacto jam ante conjunctis; à Populo autem *conſtituendo*, quæ in ipſo primo pacto includitur; quod poſſe contingere diximus ſuprà, ad *Cap. VI.* §. 9.

defuncto (1), antecedere ſolet INTERREGNUM. In quo licet ad imperfectam formam (2) recidat civitas, dum cives primo tantùm

§. IV. (1) Poteſt enim ſuſcipi, licèt hoc minùs arridere ſoleat, ſub completa Monarchia; ſive electivâ in ſpecie ſic dictâ, in eventum mortis præſentis Regis; ſive hæreditariâ, in eventum extinctæ familiæ regnatricis: poteſt etiam ſuſcipi, quamvis & hoc rarò contingat, in perfecta Civitate Ariſtocratica, vel Democratica, per electionem mutandâ in Monarchiam, absque ulla actualis Imperii intermiſſione; ut nihil dicam de electione eâ, quæ fit in civitate per primum pactum imperfectè conſtitutâ, in qua nondum actuale Imperium fuerat ſtabilitum.

(2) Quæ ſit forma Civitatis durante Interregno, & quibus ea vinculis contineatur, fusè exponit Auctor, in *Diſſertationum Selectarum* iſtâ quæ inſcribitur *de Interregnis.* Fruſtra hic diſſentit C. *Titius*, contendens, Unionem Civium in Interregno, ubi in anteceſſum conſtitutum non fuerat penes quos ſolio vacante interim Reipublicæ adminiſtratio eſſe debeat, non niti prævio pacto, ſed novo, quod expreſsè vel tacitè initur ipſo Interregni tempore: hoc enim ſi admittas, jam Civitas, contrà quàm vult Cl. Obſervator, ipſo morientis prioris Regis momento abit in multitudinem diſſolutam: neque obſtat cohabitatio continuata; quippe quæ ſola moralem conjunctionem haud infert, quantumvis ei inſtaurandæ occaſionem fortè præbere poſſit. Rectiùs itaque, cum Auctore, *Civilem Unionem* in Interregno dicemus conſervari vi *originarii Pacti*, quo illa ab initio ſtabilita fuerat; eamque non *ſimplicem* duntaxat inter Cives *Obligationem* includere, ut vult *Titius*, ſed & *nexum Imperii;* cum certum ſit, ubi eſt libera Poteſtas de Imperio diſponendi, illìc, pro eo tempore, eſſe *eminenter* ipſum *Imperium;* adeò rectè pronuntiavit Auctor, *J. N. & G. h. t.* §. 7. *Interregna indolem Democratiæ alicujus temporariæ præ ſe ferre;* quam Populus, pro ſuo arbitrio, vel in perpetuum poteſt ſtabilire, vel

tantùm pacto inter ſe connectuntur: multum tamen firmitatis ei adhuc addit nomen & affectus communis patriæ, civiumque plerorumque fortunæ iſti loco ferè affixæ; quæ bonos cives ſubigunt, ut ultrò tantiſper pacem inter ſe colant, & quantocyùs ad plenum imperium inſtaurandum incumbant. Etſi magnoperè ad incommoda, ex interregnis oriri apta, evitanda faciat, ſi in anteceſſum conſtituantur, penes quos ſolio vacante interim reip. adminiſtratio eſſe debeat.

§. V. Cæterùm, alicubi quidem ſingulis Monarchis defunctis nova inſtituitur *electio*. Alicubi autem regnum eâ lege in alterum confertur, ut, citra novam intervenientem electionem, in alios per ſucceſſionem tranſeat. Illud JUS SUCCESSIONIS conſtituitur, vel *arbitrio ipſius Regis*, vel *arbitrio Populi*.

§. VI. *Reges* qui regnum ſuum habent *in patrimonio*, pro lubitu *ſuper ſucceſſione* poſſunt *diſponere*: quorum diſpoſitio, æquè ac privatorum teſtamentum, obſervabitur; præſertim ubi abs aliquo regnum fuerit condi-

 tum,

vel in aliam quamlibet Imperii formam mutare. Nec refert, quòd de adminiſtratione Imperii poſt Regis obitum nihil fortè priùs definitum fuerit: quippe in hoc caſu, velle præſumitur Civitas, ut Magiſtratus qui tum præſunt, Pacis tantiſper conſervandæ causâ, muneribus ſuis fungi perſeverent; & qui inter eos maximè eminet, primo quoque tempore Cives convocet ad conſulendum Reipublicæ.

tum, ac partum (1). Ubi licebit ipſis, ſi placuerit, regnum inter plures liberos dividere, etiam filiabus non excluſis; imo & hæredem inſtituere filium adoptivum, naturalem, aut qui nullâ planè cognatione ipſi eſt junctus.

§. VII. Verùm, ubi ejusmodi Rex ſuper ſua ſucceſſione nihil peculiariter diſpoſuit; *præſumitur*, primò, eum nequaquam regnum ſuum ſecum exſpirare velle; ſed 2. ut omninò in liberos ſuos, propter communem mortalium affectum, id devolvatur. 3. Dein, ut poſt ipſum monarchica forma conſervetur, quippe quam ipſe ſuo exemplo comprobavit. Tum ut regnum maneat indiviſum; quippe cum diviſio cum regni juxta & familiæ Regiæ convulſione ſit conjuncta. 4. Præterea, ut inter pares gradu mas præferatur fœminæ, primogenitus deinceps genitis. 5. Denique, ut liberis deficientibus ad proximum quemque ſanguine regnum devolvatur.

§. VIII. In illis autem *regnis*, quæ ab initio *ultroneâ populi voluntate ſunt conſtituta*, *ordo ſucceſſionis originariè ab ejusdem populi voluntate* dependet. Qui ubi in Regem unà cum imperio jus quoque ſucceſſoris conſtituendi contulerit, ſuccedet quem hic voluerit. Ubi hoc non fuit factum, id jus populus ſibi reſervâſſe intelligitur. Cui ſi placuit in ele-

§. VI. (1) Atque adeò jus Succeſſionis non ſit ad Agnatos aliosve ab antiquiore aliquo Regni poſſeſſore derivatum.

electum Regem hæreditario jure regnum conferre, *ordinem ſuccedendi*, vel *ſimplicibus hæreditatibus conſimilem*, quantum ſalus Regni admittit, effecit, vel *peculiari* ipſum *ratione* temperavit.

§. IX. Ubi *ſimpliciter Populus Regem juſſerit hæreditario jure regnum obtinere*, nec quid peculiariter addiderit; voluit quidem, ut regnum eo ordine devolvatur, quo privatæ hæreditates, ſed non ſine aliquo temperamento. Nam in hiſce ferè, ut à privatis hæreditatibus diſcedat ſucceſſio in regnis, ſalus civitatum requirit. 1. Ut regnum ſit individuum. 2. Ut ſucceſſio ſtet intra eos, qui à primo rege deſcendunt. 3. Ne ſuccedant, niſi qui nati ſunt ſecundùm leges patriæ, non nothi tantùm, ſed & adoptivi. 4. Ut in pari gradu mares præferantur fœminis, etiam majoribus natu. 5. Ut ſucceſſor regnum agnoſcat tanquam beneficium populi, non tanquam beneficium anteceſſoris.

§. X. Verùm, quia facilè inextricabiles controverſiæ oriri poterant, uter ex familia regnatrice nuper defunctum proximâ cognatione contingeret, ubi ab autore ſtirpis longiùs diſceſſum fuerat: inde, multos apud populos *Succeſſio Linealis* introducta eſt (1). Quæ in hoc conſiſtit, ut pro-

§. X. (1) Hæc ſanè, in Regnis ultroneâ Populi voluntate conſtitutis, videtur maximè naturalis; atque hoc habet peculiare, quòd per eam, idem ſemper cuique noviſſimè defuncto Poſſeſſori, atque primo ſtirpi Auctori, ex ſuperſtitibus proximus ſit Succeſſor.

ut quisque ab autore ſtirpis regnatricis deſcendit, ita lineam velut perpendicularem conſtituat; & inde quilibet ad regnum vocetur, prout ipſius linea alias præcedit; nec de una linea in alteram fiat tranſitus, quoad ex priore aliquis adhuc ſuperſit; licèt fortè exiſtat, qui propiore gradu proximè defunctum regem attingat.

§. XI. *Succeſſionis* linealis uſitatiſſimæ ſunt ſpecies, *Cognatica*, & *Agnatica*. In illa fœminæ non excluduntur, ſed poſtponuntur maribus in eadem linea; ità ut etiam ad ipſas fiat regreſſus, ſi mares potiori aut pari gradu defecerint. Hæc autem fœminas, & ex hiſce natos etiam mares, in perpetuum excludit (1).

§. XII. Ubi ſuper ſucceſſione in regno patrimoniali controverſia oriatur, optimum fuerit ad arbitros ex familia regia iri. Si ſucceſſio fuerit voluntate populi conſtituta, declaratio populi dubium tollet. (1).

§. XI. (1) *Agnaticæ* Succeſſionis in Regno (in minoribus enim dignitatibus crebrò occurrit) ſingulare exemplum ſuppeditat *Gallia*: in reliquis ferè hæreditariis Regnis obtinet *Cognatica*; non quæ Juris Romani Interpretibus ita dicitur, quæ ſc. Fœminas, juxtà atque Mares, tum in deſcendendo admittit, tum in aſcendendo, ſed quæ, ut eſt individua deſcendendo, Fœminas poſt Mares in eadem linea admittit, &, ſi ad aliam lineam ſit tranſeundum, per eaſdem perſonas aſcendit, per quas deſcenderat.

§. XII. Certum eſt, non poſſe aſſumi hoc in caſu aptiorem Arbitrum quàm Populum; utpote qui, cum moraliter idem habeatur, qui alio quovis ſæculo fuerat, mentem ſuam, haud ſatis liquidò, ut ſupponi-

tur,

tur, priùs ſignificatam, optimè novit explicare: non tamen ejuſmodi declaratio magis naturam habet Sententiæ judiciariæ (ut rectè monet Auctor, de *J. N. & G. h. t.* §. *ult.*) quam ſi Donator obſcura aut ambigua ſua verba interpretatus fuerit.

Enimverò, licèt de naturali ordine Succeſſionis nulla moveatur controverſia, ſi tamen conſtet eum cui naſcendi ſors favet eâ mente eſſe præditum, à qua non poſſit non procedere ejuſmodi Imperii adminiſtratio, quæ publicam Salutem ſit peſſundatura; cum ob talem adminiſtrationem actu ſuſceptam & pertinaciter continuatam, Regem etiam jure potitum Imperio Populus ab eodem rectè poſſit deturbare (ut ſuprà oſtenſum) non quidem per modum Juris dicendi, ſed medii ad conſervationem ſuam neceſſarii adhibendi; poterit & eodem jure, ob ſimilem adminiſtrationem per manifeſta indicia à ſe prævìſam, naſcendi ſorte deſignatum hæredem à Succeſſione repellere: qualia inter indicia nullum eſt manifeſtius, quàm Profeſſio *Religionis*, ſi qua ſit, cujus inſtituta ad ſacra & civilia Civium jura evertenda, omnemque versùs eos Obligationis conſcientiam radicitùs evellendam, collineant.

Quem porrò manifeſtus Imperii abuſus, à Solio deturbandi, vel voluntarium, quale modò deſcripſimus, vitium, à Succeſſione excludendi, cauſam ſuppeditat, ejuſdem ſimul omnes poſteros, ſaltem poſt datam ejuſmodi cauſam naſcituros, à Succeſſione pariter excludit: habet enim utrumque eandem vim ac *Renunciatio*; cum nihil interſit, ſive quis omnino imperare nolit, ſive nolit ita imperare ut Imperii finis obtineatur. Atqui, licèt jus Succeſſoris, in Regno non Patrimoniali, haud ita à Deceſſoris arbitrio pendeat, ut hic quemquam poſſit hæredem inſtituere; vel etiam exhæredare, eo cum effectu, ut exhæredatus Populo invito à Succeſſione repellatur; tamen, cum ſuccedendi jus, quatenus adverſus ipſum Populum valet, ab eo cui primò Regnum delatum eſt, ad remotiores poſteros, non niſi per perſonas in rectâ linea intermedias transmittatur; poteſt quilibet, ſeu Regni Poſſeſſor, ſeu in certo caſu linealis Succeſſor,

Jus ſuum Populo id volenti remittere, eique in ejus gratiam renunciare, cum hoc effectu, ut Populus ab omnibus renunciantis Poſteris, poſt renunciationem ſaltem naſcituris, ſucceſſionem jure poſſit avertere (adſtipulante *Grotio*, *Lib. II. Cap. VII.* §. 26. *in fine*) ſed ita, ut *Hæredibus collateralibus nulla fiat noxa*; utpote ad quos, non per renunciantem, ſed per ſuos in recta linea Majores, ſuccedendi jus transmittitur: quod idem *Grotius* aliique cautum volunt in gratiam *Deſcendentium* ipſius renunciantis, jam *ante renunciationem* factam *Natorum*; utpote quibus, quamprimum exiſtere cœperunt, ſuo ordine ſuccedendi jus quæſitum ſupponitur: ſed, ut verum dicamus, nulla ratio ſuadet, per ipſam nativitatem, absque ullo ſubſequente actu, jus nato acquiri, adverſus conſentientem eorum voluntatem, qui conſenſu ſuo illud jus naſcituro potuiſſent præripere.

De ante natis interim quidcunque ſtatuatur; cum pateat ex dictis, *voluntariam*, qualem ſuprà deſcripſimus, *inhabilitatem*, *Juris* etiam *ad Poſteros transmiſſionem impedire*; ſequitur, in quocunque Regno *Religionis reformatæ* Profeſſio Legibus eſt firmata, ad quarum perpetuò futuram ſtabilitatem jus ſibi perfectum Populus quæſivit; illic *Pontificiæ Religionis* Profeſſionem efficere, ut non modò qui eam gerunt ſinguli, quocunque ordine naſcendi ſorte deſignati Regni Succeſſores, ſed & eorum Liberi, ſaltem poſt contractam iſtam inhabilitatem nati, eorumque deſcendentes in infinitum, à Populo, ſuæ Religionis ac Libertatis ut par eſt ſtudioſo, rectè poſſint Succeſſione prohiberi: quo in caſu, proximo in linea collaterali, cui nulla objicii poteſt inhabilitas, Imperium, ad Poſteros etiam transmittendum, rectè defertur.

Salutari itaque, nec minùs Juris univerſalis principiis conformi, conſilio, Gentes *Britannicæ*, excluſis quotquot Romano Pontificatui ſe mancipaverant, Imperii apud ſe Succeſſionem detulerunt Illuſtriſſimæ illi Familiæ, iis ab interitu vindicandis quaſi Cœli digito monſtratæ, quæ Sereniſſimum Regem *GEOR-*

GIUM,

GIUM, nobis hodiè feliciter imperantem, dedit, quæque piorum Regum Propaginem eſt datura, ſi *Britanniæ* vota valuerint, cum Sole & Luna duraturam.

Caput XI.

De Officio Summorum Imperantium.

I. *Officia Summi Imperantis.* II. *Ante omnia, quid ſui officii ſit, benè noviſſe.* III. *Salutem populi ſummam legem habere.* IV. *Diſciplinæ publicæ cives aſſuefacere.* V. *Leges claras, nec nimis multas, ferre.* VI. *Executionem, etiam per pœnas, procurare.* VII. *Pœnas ad uſum civitatis temperare.* VIII. *Civium inter ſe injurias prohibere.* IX. *Miniſtros aptos & prudentes adhibere.* X. *Tributa ad neceſſitatem imperare.* XI. *Rei familiari civium providere.* XII. *Omne factionum genus præcavere.* XIII. *Armis ſecuritati Civium proſpicere.*

QUIBUS præceptis Officium Summorum Imperantium conſtet, ex indole ac fine civitatum, nec non expenſis ſummi imperii partibus, perſpicuè colligitur.

§. II. Ubi ante omnia requiritur, ut Imperantes ipſi diligenter *diſcant*, *quæ ad plenam ejus officii cognitionem pertinent*; cum nemo laudabiliter exercere poſſit, quod non probè didicit. Unde Principi ſequeſtranda illa ſtudia, quæ ad huncce finem nihil faciunt. Circumcidendæ quoque voluptates, oble-

ctationes, vanæque occupationes, quatenus iſtum finem intercipiunt. Ideo & in familiaritatem admittendi viri cordati, rerumque humanarum periti: adulatores, nugatores, & qui præter inania nihil didicerunt, procul arcendi.

Enimverò, ut generalia prudentiæ rectricis præcepta ritè adplicare nôrit, quàm penitiſſimè ipſi conditio ſui ſtatûs, ſubjectique indoles populi, eſt cognoſcenda. Illisque præterea virtutibus (1) cum primis ſtudendum, quarum uſus in tanta molis adminiſtratione maximè conſpicitur, moresque ad tanti faſtigii dignitatem componendi.

§. III. Generalis lex Summorum Imperantium eſt hæc: *Salus populi ſuprema lex eſt.* Eâ enim intentione in iſtos imperium eſt collatum, ut per id procuraretur finis ob quem civitates ſunt inſtitutæ. Inde credere

§. II. Virtutes quæ hùc præcipuè pertinent, à Cl. *Barbeyracio*, in *J. N. & G. h. t.* recenſentur ſequentes. 1. *Pietas erga DEUM.* 2. *Juſtitiæ & æquitatis amor* 3. *Fortitudo prudentiâ temperata.* 4. *Taciturnitas.* 5. *Moderatio cupiditatum.* 6. *Bonitas & Clementia* 7. *Liberalitas.* Quas ſingulas, ut & complura monitorum quæ ab Auctore in hoc Capite inculcantur, illuſtrat eruditus Annotator aptiſſimis reflexionibus, tum ſuis, tum ex aliis ſolertiſſimi ingenii Scriptoribus mutuò ſumptis, inter quos eminent *Montanus*, *Charron*, *Bruyerus*, & præcipuè ſagaciſſimus Auctor nobilis Fabulæ *de Rebus geſtis Telemachi;* quæ ſanè tota, à capite ad calcem, elegantiſſima eſt & copioſiſſima in hoc caput commentatio. Vide etiam *Buddei* Philoſ. Pract. *Part. III. Cap. V. Sect. III. & ſeqq.*

dere iidem debent, nihil ſibi privatim expedire, quod non idem expedit civitati.

§. IV. Ad internam Civitatum tranquillitatem requiritur, ut voluntates civium ita temperentur, & dirigantur, prout ſaluti civitatis expedit. Inde ſummorum imperantium eſt, non ſolùm idoneas ei fini *Leges* præſcribere: ſed & *publicam diſciplinam* ita ſancire, ut non tam metu ſuppliciorum, quàm aſſuetudine, cives ad legum præſcripta ſeſe componant. Ad quem finem quoque facit curare, ut *Doctrina Chriſtiana*, pura illa & ſincera, in civitate vigeat; ac in *ſcholis publicis* talia dogmata tradantur, quæ cum fine civitatum conveniunt.

§. V. Ad eundem finem expedit, perſcriptas habere *leges perſpicuas & planas* (1), circa negotia quæ frequentiſſimè inter cives verſari ſolent. Non tamen plura legibus civilibus ſancienda ſunt, quàm ad bonum civitatis & civium conducunt. Nam cum de eo quod facere vel non facere debent, ſæpiùs per rationem naturalem, quàm per ſcientiam legum, homines deliberare ſoleant; ubi plures leges ſunt, quàm ut facilè memoriâ comprehendi queant, & per eas prohibeantur ea, quæ ratio per ſe non prohibet; neceſſe eſt, ut per ignorantiam, ſine ulla prava intentione, incidant in leges, tanquam in laqueos. Quo ipſo civi-

§. V. (1) Addit *Barbeyracius*, & accommodatas ſtatui Civitatis, & genio Populi, cui præſcribuntur.

bus per imperantes ſupervacuum incommodum conciliatur; quod eſt contra finem civitatum.

§. VI. Quia autem fruſtrà feruntur leges, ſi impunè eas violari tolerent Summi Imperantes: igitur horum eſt, *Executionem earundem procurare*, utque quivis ſuo jure potiatur, citra lentas moras, eluſiones, atque vexationes, efficere: *Pœnas* quoque ſumere pro cujusque facti conditione, transgreſſorisque intentione & malitiâ: nec ſine ſufficiente cauſa veniam indulgere; cum iniquum ſit, & ad irritandos civium animos efficaciſſimum, æqualiter meritos, cæteris paribus, non æqualiter tractare.

§. VII. Uti autem *nihil pœnis eſt ſanciendum, quod non ad uſum civitatis facit; ita pœnæ quoque ſunt temperandæ, ut ad finem iſtum proportionem habeant*, utque adeò cives non plus afflictionis, quàm reſp. utilitatis, inde ferat. De cætero, ſi ſcopum ſuum debent obtinere pœnæ, adparet eas eòusque eſſe intendendas, ut acerbitas earundem præponderet lucro & delectationi, quæ ex facto legibus vetito redundare poteſt.

§. VIII. Quia porrò hoc fine in civitatem coiverunt homines, ut ſecuritatem adverſus injurias aliorum obtinerent; Summorum Imperantium eſt, eo ſeveriùs *civium inter ſe injurias prohibere*, quo faciliorem perpetua cohabitatio occaſionem ad lædendum præbet. Nec diſcrimina ordinum ac dignitatum

tum eò valere debent, ut potentiores tenuioribus pro libidine inſultare poſſint. Sed & ſcopo ſummi imperii adverſatur, ut cives, quas ſibi factas arbitrantur injurias, privatâ violentiâ exſequantur.

§. IX. Præthereà, quanquam ad omnia civitatis amplioris negotia immediatè obeunda, unus Princeps non ſufficiat, ſic ut neceſſariò *Miniſtri* in partem curarum ſint vocandi: tamen, uti hi omnem à ſummo imperante poteſtatem mutuantur; ita & benè & malè ab ipſis geſtorum imputatio ultimò demum in iſtum redundat. Quam ob rationem, & quia prout miniſtri ſunt, ita rectè aut pravè negotia expediuntur, ſummi imperantes tenentur *ad munia civitatis adhibere viros probos & idoneos*, & in eorum acta ſubinde inquirere; eos denique, prout rem geſſiſſe deprehenduntur, præmiis vel pœnis mactare, quo cæteri intelligant, non minore fide ac diligentiâ publicam, quam propriam rem tractandam. Sic, & cum pravi mortalium ad ſcelera perpetranda ſpe impunitatis alliciantur, quæ ipſis præbetur facillima, ubi *Judices* corruptionibus patent; Summorum Imperantium eſt, in ejusmodi judices, tanquam fautores ſcelerum, queis ſecuritas civium abrumpitur, ſeverè animadvertere. Prætereà, licèt ordinaria negotiorum expeditio miniſtris credenda ſit; ſummi tamen imperantes querelis ac deſideriis civium patien-

tienter aurem præbere nunquam detrectabunt.

§. X. Cum ad *Tributa* & alia onera ferenda cives nullo alio nomine teneantur, quàm quatenus iſta neceſſaria ſunt ad ſumtus civitatis belli pacisque tempore tolerandos; igitur ſummorum heic imperantium officium erit, *non plus extorquere, quàm neceſſitates, aut inſignes reip. utilitates, requirant: &, quantum fieri poteſt, ita onera temperare, ut quàm minimè cives iisdem affligantur.* Deinde, ut *juſta in proportione deſcribantur;* nec aliquibus civibus immunitates concedantur in fraudem & oppreſſionem reliquorum. Tum, *quæ collecta fuerunt, in uſus reip. impendantur*: non per luxuriam, largitiones, ſuperfluam oſtentationem aut inania, diſſipentur. Denique, providendum, ut *erogationes reditibus reſpondeant*, & quà hi non pertingunt, à parſimonia & circumciſis ſumtibus non neceſſariis ſubſidium petendum.

§. XI. Quanquam autem ſummi imperantes ſubditos alere non teneantur, (niſi quòd eorum, qui per immeritam aliquam calamitatem ſeipſos ſuſtentare non poſſunt, peculiarem curam agere caritas jubeat;) tamen, quia non ſolùm ex bonis civium colligendi ſunt ſumtus, civitati conſervandæ neceſſarii; ſed etiam robur civitatis in virtute & opibus civium conſiſtit: igitur illis, quantum in ſe, providendum erit, ut *res familiaris civium gliſcat.* Ad hunc finem facit,

cives

cives diſponere, ut quantum fieri poteſt, uberem proventum ex terra & aquis capiant; ut quæ apud ipſos proveniunt materiis induſtriam adhibeant; aut quem ipſi commodè laborem obire poſſunt, ab aliis non redimant; quod fit, ſiquidem *artes mechanicæ foveantur*. Maximi quoque eſt momenti *mercaturam*, *& in regionibus maritimis navigationem*, *excolere*. Nec ignavia ſolùm proſcribenda, ſed & ad parſimoniam revocandi cives per *leges ſumtuarias*, queis ſuperflui ſumtus prohibeantur, inprimis illi, per quos opes civium ad exteros transferuntur. Etſi majorem heic, quàm quævis leges, efficaciam obtinent ſummorum imperantium exempla.

§. XII. Quia etiam ſanitas ac firmitas interna civitatum ex *unione civium* (1) provenit, quæ quò accuratior fuerit, eò majore cum efficacia vis imperii per univerſum ſeſe civitatis corpus diſpenſat: igitur ſummis imperantibus incumbit providere, *ne in civitate Factiones oriantur*; neve quidam cives inter ſe peculiaribus pactis (2) connectantur; neve omnes aut aliqui ab ullo alio, ſive intra ſive extra civitatem conſtituto, ſub quocunque obtentu, ſacro aut profano, magis dependeant, quàm à legitimo ſuo Prin-

§. XII. Sed ex ea demum, quæ ad eorum commune bonum collineat.

(2) Iis ſc. quæ ad publicam pacem perturbandam, aut ad quidquam juſtæ Imperantis poteſtati detrahendum, faciunt.

Principe, & in nemine plus ſibi præſidii; quàm in eodem, repoſitum arbitrentur.

§. XIII. Denique, cum ſtatus civitatum inter ſe ſit pax ſatis infida; ſummorum imperantium eſt curare, ut *virtus civium peritiaque armorum alatur, & omnia, quæ ad vim repellendam requiruntur, maturè parentur*, munita loca, arma, milites, & rerum gerendarum nervus, pecunia. Ultrò autem, etiam poſitâ juſtâ belli causâ, nemo laceſſendus, niſi tutiſſima arriſerit occaſio, & conditio civitatis commodè id ferat. Eundem quoque ob finem, conſilia & molitiones vicinorum accuratè exploranda & obſervanda ſunt; nec non amicitiæ & fœdera prudenter contrahenda.

CAPUT XII.

De Legibus Civilibus in Specie.

I. *Legum Civilium deſcriptio.* II. *Duplici reſpectu eæ dicuntur tales.* III. *Legi naturali addunt vim & efficaciam:* IV. *Per adjectam ſcil. ſanctionem pœnalem;* V. *Et accommodatam ad eam actionem in foro.* VI. *Legem naturæ applicant & explicant.* VII. *Negotiis per ſe liberis formam dant.* VIII. *Lex Civilis in conſcientia obligat.* IX. *Peculiari juſſui imperantis quousque obediendum?*

DISPICIENDUM quoque jam reſtat *de Partibus Summi Imperii* in ſpecie, & quæ circa eas peculiariter obſervanda occurrunt. Ubi primum locum occupant

cupant Leges Civiles, quæ ſunt, *Decreta ſummi Imperantis civilis, per quæ civibus injungitur, quid in vita civili facere, quidve omittere, debeant.*

§. II. Dicuntur autem Leges *Civiles* duplici potiſſimùm reſpectu; vel *reſpectu autoritatis, vel originis.* Priore ſenſu *leges Civiles* vocari poſſunt omnes leges, juxta quas in foro civili jus redditur, undecunque demum illæ originem ſuam trahant. Poſteriori ſenſu *leges civiles* dicuntur, quæ primò à voluntate ſummi imperii civilis profectæ ſunt, atque circa ea verſantur, quæ jure naturali ac divino definita non ſunt, ſed ad peculiarem utilitatem ſingularum civitatum faciunt.

§. III. Cæterùm, uti legibus civilibus nihil eſt ſanciendum, quod non *ad commodum reip.* referatur; ita, cum vitæ civilis decori & tranquillitati maximè expediat, legem naturalem à civibus probè obſervari, hinc ſummis imperantibus incumbit, iſti vim atque efficaciam legis civilis impertiri. Nam apud plurimos mortalium tanta deprehenditur malitia, ut neque manifeſta legis naturalis utilitas, neque metus divini Numinis, ei reprimendæ ſufficiat. Quo igitur utcunque vitæ civilis honeſtas ſervari queat, ſummum imperium efficere poteſt, legibus naturalibus vim legum civilium tribuendo.

§. IV. Conſiſtit autem *vis legum civilium*

in hôc, ut præceptis de faciendo vel omittendo addatur *Sanctio pœnalis* (1); ſive ut definiatur, quæ pœna in foro civitatis ſit manſura eum, qui facienda omiſerit; aut fecerit omittenda. Quâ ſanctione pœnali quæ deſtituuntur leges naturales, in foro humano impunè violantur, ſalvâ tamen vindictâ tribunalis divini.

§. V. Prætereà, quia vitæ civilis indoles non fert, ut quod quisque ſibi deberi arbitratur, propriam per violentiam exigat: inde, & in eo legi naturali ſubveniunt leges civiles, quòd ad ea quæ ex illa debentur, hæ *Actionem* (1) accommodant, cujus vi iſta in foro civili per ſubſidium magiſtra-

tus

§. IV. (1) Legum *Civilium* (quod idem de *Naturalibus* dici poteſt, quatenus ad certas propoſitiones verbis enunciatas reducuntur) duo ferè ſunt genera: aliæ ſcil. expreſsè *præſcribunt* quid ſit *faciendum*, vel *omittendum*, additâ ſæpe diſertè *Sanctione pœnali;* quæ tamen haud raro tacitè intelligenda relinquitur (vide *Obſ. in Lib. I. Cap. II.* §. 7.): aliæ ſimpliciter *definiunt*, quid cujusque *ſuum* ſit, quid *alienum;* quo pacto quodque *jus conſtituatur*, *transferatur*, *aut aboleatur*, *&c.* quales Leges nihilominùs, cum omni *juri* aliqua ex adverſo reſpondeat *obligatio*, per conſequentiam aliquid præcipiunt aut vetant (vide *Obſ. in Lib. I. Cap. II.* §. 2) licèt expreſſum *præceptum* non contineant; multò minùs *ſanctionem pœnalem;* cujus loco ferè in his eſt conceſſio *Actionis* & *Executionis* civilis, quibus cuique jus ſuum proſequendum eſt & conſequendum. De civili Legum Naturalium corroboratione, in *priore* genere, agit Auctor h. §. in *poſteriore*, §. *ſeq.* Et à *priore* quidem genere Judicia *Criminalia*, à *poſteriore Civilia*, deſcendunt.

§. V. (1) Vid. *Obſerv. in præced.* §.

tus exigi poſſunt. Quam vim quæ per leges civiles non acceperunt, ab invitis extorqueri non poſſunt, ſed ſolo debentium pudore & conſcientiâ ſtant.

Solent autem leges civiles illis potiſſimùm obligationibus actionem accommodare, quæ per expreſſa pacta (2) inter homines contractæ ſunt. Cæteris, quæ ex indefinito aliquo officio legis naturalis debentur, ferè actionem denegârunt; ut eſſet materia, quâ virtutem ſuam exercerent probiores mortalium; inſignemque pararent laudem, ſi citra coactionem rectè feciſſe viderentur. Sæpe etiam tanti non fuit viſum negotium, ut ideo prætor fatigaretur.

§. VI. Cum etiam multa lege naturali indefinitè præcipiantur, adplicatione in cujusvis arbitrio relicta: inde, lex civilis, ad decus & tranquillitatem civitatis, ejusmodi actionibus *tempus*, *modum*, *locum*, *&* *perſonas* aſſignare, aliasque circumſtantias determinare, quandoque & præmiis homines ad eas ſuſcipiendas allicere, ſolet. Si quid etiam in lege naturali obſcuri ſit, legis civilis eſt *explicare*. Quam explicationem in agendo ſequi cives tenentur (1); utut for-

Ee taſſe

(2) Nec tamen eò minùs, in omnibus ferè Civitatibus, accommodantur actiones illis obligationibus, quæ ex *Quaſi Contractibus*, aut *Delictis*, naſcuntur.

§. VI. (1) Quatenus ſc. continetur in iſta facultate, quam ii quorum intereſt Summo Imperanti conceſſerant adverſus ſe. Confer *Obj. in Lib. I. Cap. II.* §. 9. *in fine.*

taſſe privata ipſorum opinio in diverſum abeat.

§. VII. Cum etiam plurimæ actiones per legem naturalem cujusque judicio & arbitrio ſint relictæ, quas tamen in civitate uniformi modo temperari tranquillitatis & decoris publici intereſt: inde leges civiles ejusmodi actionibus & negotiis *certam Formam* ſolent aſſignare (1); uti contingit in ultimis

§. VII. (1) Videtur Auctor hìc & in *præc.* §. eadem duo Legum genera præ oculis habere, quæ diſcrevimus modò, *Obſ.* in §§. 4. & 5. Sicut enim in i lis oſtendit, quomodo in utroque genere Legibus Naturalibus civile robur addatur; ita in his docet, quomodo Leges Naturales per Civiles ſpecialiùs determinentur; in priore genere, §. 6. in poſteriore, h. §.

Pertinet ad hunc locum celebris Quæſtio, nec ſanè levis momenti, utrùm Leges Civiles, quæ juris & injuriæ limites alios conſtituunt, quàm qui ipſis Legibus Naturalibus conſtituti fuerant, ejus cui favent *Conſcientiæ* immunitatem præſtent, in eo exigendo quod Jure Naturali non debetur, vel non præſtando quod eodem jure eſt debitum? Ubi, ut alios ſileam, partem *negantem* propugnat *Ameſius*, de *Conſcientia*, *Lib. V. Cap. XLI.* §. 10. &c. *affirmantem Huberus*, de *Jure Civitatis*, *Lib. III. Sect I. Cap. III.* Nobis ſi liceat, inter eximium Theologum & eruditum Juriſconſultum, mediam hic viam capeſſere; agnoſco, per illum actum quo quis Civilem intrat Societatem, Concivibus eum jus facere, in rebus ad Patrimonium ſpectantibus, & intra probabilem modum, illud à ſe exigendi, quod Leges Civitatis fecerint debitum, ut & illud ſibi non præſtandi, quod eædem leges debitum non fecerint; hujusque juris beneficio poſſe quemque rectè uti, *ni ſpecialis cauſa obſtet*, qui idem cæteris conceſſit adverſus ſe:

con-

ultimis voluntatibus, in contractibus, & multis aliis. Ob eandem cauſam etiam leges civiles exercitium eorum jurium, quæ naturaliter competunt, circumſcribere ſueverunt.

§. VIII. Debent autem cives legibus civilibus, quatenus apertè juri divino non repugnant (1), *obtemperare*, non velut ex nu-

 do

contendo tamen, occurrere poſſe rationes, ab *Æquitate*, *Humanitate*, aut *bonâ Fide*, petitas, quæ, cum *Juſtitiæ expletricis* rigorem ipsâ lege naturali definitum quandoque temperandum ſuadeant, in Legum Civilium rigore mitigando non minùs debent valere: præſertim verò *fidei datæ*, licèt per actum qui civili obligationi producendæ non ſufficit, religioſè habenda eſt ratio; niſi aliqua obſtet exceptio, qualis etiam in ſtatu naturali, promiſſionis imperfectæ vim elideret. Atque ex his ritè applicatis, fieri poteſt judicium, de officio Hæredis ab inteſtato, circa teſtamentum Jure civili invalidum impugnandum, vel ſecùs; Filii familias, circa SCtum *Macedonianum*, & Mulieris, circa *Vellejanum*, opponendum; Minoris, circa petendam *Reſtitutionem*, &c. Confer hìc inprimis elegantes Cl. *Barbeyracii* Orationes *gallicè* editas, de *Permiſſione & Beneficiis Legum*.

§. VIII. (1) Imò, ſi reverà repugnent, licèt fortè non adeò in propatulo, & extra omnem dubitationis aleam, poſita ſit repugnantia, non debent Cives iis obtemperare: omnis quippe de Legis divinæ nobis promulgatæ ſententiâ dubitatio, eſt in foro DEI ad minimum culpabili cuidam imbecillitati tribuenda. Confer quæ notavimus ſuprà, ad *Lib. I. Cap. I.* §§. 5. & 6. Si verò quæſtio ſit, de eo quod, durante ejusmodi dubitatione, tutiùs poſſit fieri; non videtur ulla alia generalis regula hìc poſſe urgeri, quàm, amplectendam eſſe eam partem, pro qua graviores rationes militant, & in qua minus apparet peccandi peri-

do pœnæ metu, ſed ex intrinſeca obligatione, per ipſum jus naturale confirmata: quippe inter cujus præcepta quoque eſt, legitimis imperantibus eſſe parendum.

§. IX. Denique, non minùs *peculiaribus juſſis* ſummorum imperantium, quàm legibus communibus, cives obtemperare debent. Ubi tamen obſervandum eſt, utrùm Summus Imperans civem quid jubeat facere, tanquam *actionem civi propriam*; an verò mandet ſuſcipere nudam *exſecutionem actionis*, quæ propria imperantis eſſe debeat. Nam poſteriori caſu, neceſſitate ab imperante adhibitâ, citra proprium peccatum poteſt aliquid agere civis, quo patrato ipſe imperans peccat (1). Sed ut civis velut proprio nomine

periculum. Quòd ſi hæ rationes, etiam in computum adhibitâ Civilis Imperantis auctoritate, & rationibus quas illa ſecum ducit (quæ non ſemper in his caſibus præponderant) utrinque pares appareant; vide quid ipſe Auctor ſtatuerit, *d. Cap. I.* §. 6. Abſurdiſſimum verò eſt *Hobii* Commentum, *Leges Civiles, in iis ſaltem quæ Hominum jura reſpiciunt, Legi Naturali repugnare non poſſe*; quaſi Homines, dum jura ſua tuendi causâ Civili Imperio ſe ſubjiciunt, omnia illa jura, non adventitia modò ſed & naturalia, & poſſent & vellent Imperantis lubitu diſponenda relinquere.

§. IX. (1) Quin multa poſſint rectè fieri ab Inferioribus, quæ à Superioribus perperam, utpote adverſus prudentiæ vel humanitatis legem, imperantur, nullus dubito: præſertim, cum judicium de his ferendum ſæpe pendeat à ſingularibus factis, quæ Superiores perſpecta præſumuntur habere, Inferiores verò invinci-

mine peccatum legi naturali & divinæ repugnans perpetret, fieri rectè non poteſt. Inde eſt, quod ſi in bello, etiam injuſto, civis juſſu ſummi imperantis arma gerat, non peccet. Sed ſi ejusdem juſſu aliquis innocentem damnet, falſum teſtimonium dicat, calumniam alicui intentet, utique peccat. Nam civis militat nomine publico; ſed proprio nomine judicat, teſtatur, accuſat.

vincibiliter ignorant. Contendo nihilominùs, ut actio, quocunque nomine ab inferiore patrata, ſi modò hic in ea patranda ſuæ voluntatis Imperium interponat, eidem imputabilis eſſe non deſinit; ita nullum Superioris præceptum efficere, ut licitè ab inferiore ſuſcipi poſſit ulla iſtarum actionum, quas dixi *Obſ. ad Lib. I. Cap. I.* §. 24. ſecundo coactionis genere excuſari non poſſe. Confer *Obſ.* 1. in ejusdem *Cap. I.* §. *ult.* Unde etiam conſtat, quid ſit ſentiendum de exemplo ab Auctore adhibito, Civis in bello injuſto arma gerentis; de quo & *Grotium* vide, Auctore noſtro multò religioſiùs philoſophantem, *Lib. II. Cap. ult.* Imperitè occinitur, hac de re judicium fieri non poſſe, niſi ab iis qui arcanis Principis conſiliis interſunt: Belli enim *Juſtitia* æſtimanda eſt, non ex cauſis *ſuaſoriis*, quæ quidem arcanæ eſſe poſſunt; ſed ex cauſis *juſtificis*, iis putà, quæ ad ſuſcepti Belli juſtitiam aſſerendam univerſo mundo declarantur.

CAPUT XIII.

De Jure Vitæ ac Necis.

I. *Jus imperantis in vitam civium:* II. *Indirectum, periculo eam exponendi:* III. *Directum, adimendi per modum*

modum pœnæ. IV. *Pœnæ rationem quænam habere poſſint.* V. *Imperanti competit Jus puniendi.* VI. *In pœnis humanis reſpicienda utilitas;* VII. *Aut peccantis, aut læſi, aut omnium.* VIII. *Quomodo utilitas peccantis?* IX. *Quomodo utilitas læſi?* X. *Quomodo utilitas omnium?* XI. *Pœnis humanis exempti actus interni:* XII. *Et lapſus minutiſſimi:* XIII. *Et quæ ferre jubet civitatis tranquillitas;* XIV. *Aut communis hominum corruptio.* XV. *Venia quibus caſibus rectè fiat?* XVI. *Delicti gravitas unde ſit æſtimanda?* XVII. *Unde definiendum pœnæ genus & quantitas?* XVIII. *In hoc attendenda perſona peccantis.* XIX. *Ob delictum alienum nemo puniendus:* XX. *Etſi id occaſionem incommodi præbere poſſit.*

SUMMO imperio civili in *vitam civium duplici modo jus* competit; *indirectè*, vel *directè:* illud quidem *ad defenſionem civitatis*, hoc autem *ad compeſcenda delicta.*

§. II. Cum enim ſæpè vis exterorum per vim ſit repellenda; aut jus noſtrum violenter ab ipſis vindicandum; licet utique ſummo imperio cives ad hoc negotii compellere; ubi de induſtria non id agitur, ut cives vitam amittant, ſed duntaxat periculo mortis eorum vita exponitur. Qualibus in periculis ut ſtrenuè & dextrè ſeſe cives gerere poſſint, ſummum imperium exercere eos & præparare debet. Nulli autem civi ejus periculi metu ad munia militaria ſeſe inutilem reddere licet. Et qui militiæ eſt adſcriptus, haudquaquam aſſignatam ſtationem ex formidine deſeret, ſed ad extremum potiùs ſpiritum pugnabit; niſi intelligat imperantis voluntatem eſſe, ut potiùs vitam, quàm

quàm locum conſervet; aut locus iſte tanti non ſit civitati, quàm vita iſtorum civium (1).

§. III. Directè autem vitam civibus adimere poteſt ſummum imperium ob atrocia delicta, & per modum *Pœnæ;* quæ tamen & in alia hominis bona cadit. Quo loco de natura *Pœnæ* quædam in univerſum erunt exponenda.

§. IV. Eſt igitur POENA, *Malum paſſionis, quod infligitur ob malum actionis* (1); ſeu

 malum

§. II. (1) Hôc loco quæri ſolet, de poteſtate Civem *Hoſti dedendi*, aut tanquam *Obſidem tradendi.* Nocentem quidem dedendi facultas ſub jure puniendi continetur; innocentem verò dedere, hoc eſt, invitum hoſti, à quo ad necem vel ſimilem injuriam poſcitur, in manum tradere, nullo in caſu fas eſſe putaverim: poteſt tamen extrema neceſſitas efficere, ut miſerum Civem, ab hoſte potentiore ad exitium poſtulatum, Civitas rectè non ampliùs protegat, ſed ſuæ ſaluti jubeat aliàs conſulere. *Obſidum* ſortem, quo prætextu Cives, quibus ab Imperante ea eſt neceſſariò impoſita, declinare poſſint, non video; modò non ſit cauſa metuendi, vel hoſtem acceptis obſidibus abuſurum, ad novas injurias Civitati intentandas; vel ipſam Civitatem, fide ſuâ violatâ, Obſides irati Hoſtis ſævitiæ eſſe objecturam: quod tamen ſi fiat, non rectè occiduntur, aliove quoquam irreparabili malo afficiuntur, Obſides innocentes.

§. IV. (1) Utraque hìc adhibita definitio peccat, in eo quod omittat illum *finem* pœnarum ab Hominibus infligendarum (de iſtis enim ſolis hic eſt ſermo) quo *Pœna* propriè ſic dicta diſtinguitur, à *caſtigatione parentali*, *reparatione damni injuriâ dati*, *privatâ cautione in futu um*, & *malis bellicis;* nam & hæc poſtrema directè inferri non debent niſi *delinquentibus*, i. e.

malum aliquod moleſtum, quod per modum coactionis & pro imperio (2), *intuitu antegreſſi delicti alicui imponitur.*

Licèt enim, 1. ſæpe alicui pœnæ loco imperentur quædam *actiones*; in iis tamen ſpectatur id, quòd laborioſæ, & facienti moleſtæ ſint, quodque agenti *paſſio* quædam per eas inferatur.

2. *Invitis* autem pœna eſt infligenda, quia aliàs illa non obtineret finem ſuum, qui eſt, acerbitate ſuâ homines à peccatis deterrere. Quem effectum non habent, quæ quis lubens admittit.

3. Denique, pœnæ rationem non habent mala quæ in bello pugnave inter repugnandum inferuntur; quia non *pro imperio* (3).

4. Ne-

i. e Jus noſtrum invadentibus, aut noſtræ ejus conſecutioni ſe opponentibus. *Pœnam* itaque *humanam* rectiùs fortè definiveris, *Malum quod delinquenti ob delictum perpetratum jure infligitur, ad ſecuritatem Humanæ Societati præſtandam, adverſus ſimilia delicta, ab eodem, vel ab aliis ejus exemplo, deinceps perpetranda.* Cum porrò, in eo qui pœnas exigit, eſſe debeat *Jus* eas exigendi; certum eſt, hoc ipſo poni, in eo à quo exiguntur, *Obligationem*, ſi non aliquid eo pertinens agendi, ſaltem pœnæ jure intentatæ non reſiſtendi. Neque obſtat, quod pœna invitis ſit imponenda: poteſt enim ipſam pœnam, ut ſibi gravem & doloríficam, averſari, etiam is, qui ex conſcientia moralis obligationis eidem ſe ſubjicit.

(2) Non ubique requiri ad pœnam, ut pro imperio exigatur, intelligi poteſt ex obſervatis ad *Lib. I. Cap. V.* §. 17. & locis *Grotii* & *Lockii* ibi allegatis.

(3) Mala quæ in bello pugnave inter repugnandum inferuntur, *Pœnæ* rationem non habent, non quia non

4. Neque quæ per injuriam quis patitur; quia non *intuitu antegreſſi delicti* inferuntur,

§. V. Sicuti autem libertas naturalis hoc habet, ut qui in ea conſtitutus, præter DEUM, neminem habet ſuperiorem, divinis tantùm pœnis ſit obnoxius; ita, cum, introducto inter homines imperio (1), hoc

Ee 5 quoque

non inferuntur *pro Imperio* (vide *Obſ. præced.*); ſed quia non directè infliguntur *ad Securitatem in poſterum Humanæ Societati præſtandam;* ſed ut neceſſaria media juris ipſius læſi, adverſus invadentes vel ejus expletioni ſe opponentes, defendendi aut proſequendi.

§. V. (1) De jure pœnarum in ſtatu naturali exigendarum, vide *Obſ.* 2. in §. *præced.* De origine porrò Poteſtatis, in Civitate Imperanti Civili competentis, circa pœnas corporales à ſontibus exigendas, diximus ſuprà, ad hujus Libri *Cap. VII.* §. 1, Rectè quidem Auctor, de *J. N. & G. Lib. VIII. Cap. III.* §. 1. hanc Imperii partem, quatenus adverſus quemque delinquentem exercetur, deducit à conſenſu, non tam ipſius delinquentis, quàm reliquorum Civium: Hujus tamen conſenſûs indoles, atque effectus, non ſatis explicatur, dum dicitur ibidem eſſe actus, *quo ſinguli ſeſe obligant, quod non ſolùm non defendere velint, ſed &, ſi opus ſit, vires ſuas accommodare, contra eum quem Rector Civitatis ſupplicio eſt affecturus;* ſimulque ſingulis in ſtatu naturali puniendi jus negatur competere: per hæc enim ratio redditur, non ipſius *Juris puniendi*, quod Summo Imperanti, & ab eo delegatis, in Civitate conveniat; de quo tamen præcipuè hìc quæritur; ſed *Facultatis*, quæ iſto jure ſuppoſito competit, *aliorum viribus ad pœnam* exigendam *utendi.* Nec videò, quomodo hæc res aliter expediri queat, quàm dicendo, jus pœnæ atrocibus Legum naturalium violatoribus infligendæ, tanquam neceſſarii medii quo Humani Generis ſaluti

cavea-

quoque imperantibus ſalus ſocietatum attribuit, ut ipſi malo repræſentato malitiam ſubjectorum coercere queant, quo plures homines ſecuri invicem poſſint vivere.

§. VI. Etſi autem in eo nihil videatur iniqui, ut malum patiatur, qui malè egit: in pœnis tamen humanis, non ſimpliciter reſpiciendum eſt, quodnam malum ſit perpetratum; ſed & *quæ utilitas ex pœna poſſit provenire.* Sicuti & nequaquam eo fine pœnæ exercendæ, ut læſus animum paſcat, & voluptatem capiat ex dolore & ſupplicio lædentis; quippe cum hæc voluptas planè ſit inhumana, & ſocialitati repugnans.

§. VII.

caveatur, eſſe quidem in ſtatu naturali omnibus, ſaltem non pariter nocentibus, commune; ſed ab illis qui Civili Imperio ſe ſubjiciunt, ad Summum Imperantem, pro iis exercendum, devolvi. Fruſtrà dixeris, cum *Titio*, quòd quis puniri poſſit, id eſſe *à Delicto;* ſi nemo ſit, ante ipſius delinquentis *Pactum*, qui pœnam delicto convenientem poſſit infligere: Hoc verò ſi in ſtatu naturali ſinguli poſſint; jam non magis in jure puniendi, quàm in aliis juribus, nocere poteſt pactum ejus adverſus quem illud jus eſt validum, iis quibus naturaliter competit, quique nullo ſuo pacto jurium ſuorum exercitium eidem Civili Imperio ſubmiſerunt. Non igitur ab ipſius delinquentis, ut vult Cl. Obſervator, ſed à reliquorum Civium, conſenſu eſt petendum, quòd delinquens à ſolo Magiſtratu puniri debeat: Hoc unum adverſus exteros præſtat *Imperium Soli*, quod ab iis qui intra ejus fines verſantur, nec pœnam, nec aliud quodquam debitum, vel *Extranei* rectè poſſint vi exigere, niſi imploratâ priùs *Civilis* in iſto Solo *Imperantis* cognitione; nec ſc. non neceſſariâ violentiâ publicâ pax turbetur.

§. VII. *Genuinus pœnarum humanarum finis* eſt, *præcautio læſionum & injuriarum*; quæ provenit, ſi vel in melius emendetur qui peccavit, aut alii ejus exemplò, ne deinceps velint peccare, vel ſi ita coerceatur, qui peccavit, ut non poſſit deinceps nocere. Id quod etiam ita poteſt exprimi; quòd in pœnis reſpiciatur, vel utilitas ejus qui peccavit; vel ejus cujus intererat non fuiſſe peccatum, quique adeò per peccatum læſus fuit; vel indiſtinctim quorumlibet (1).

§. VIII. Primùm igitur in ſumenda pœna reſpicitur *utilitas ejus qui peccavit*, dum dolore pœnæ ipſius animus emendatur, & peccandi libido per eundem extinguitur. Quale genus pœnæ, etiam in plerisque civitatibus, in ſuos domeſticos exercere patribus familias relictum. Eo ſolo tamen fine ad mortem procedi poſſe non videtur; cum qui mortuus eſt emendari nequeat.

§. IX. Deinde in pœna verſatur *utilitas ejus qui læſus fuit*, ne tale quid in poſterum ab eodem aut aliis patiatur. Quorum prius obtinetur, ſi vel tollatur qui peccavit, vel vires

§. VII. (1) Vide *Grotium*, *Lib. II. Cap. XX.* §. *6.* & *ſeqq.* ubi *triplex* hic pœnæ finis fusè explicatur. At ex ſuprà dictis, *Obſ.* 1. *in* §. 4. intelligi poteſt, ultimum ex tribus finibus hìc memoratis eſſe eum, qui pœnam propriè ſic dictam, de qua hic eſt ſermo, præcipuè diſtinguit ab iſtis malis, quæ, licet ex cauſa delicti infligantur, ob finem tamen quo proximè collineant anguſtiorem, *Pœnæ* accuratè ſic dictæ rationem non obtinent.

vires nocendi, ſalvâ vitâ, ipſi adimantur, vel ſi malo ſuo dedoceatur delinquere. Poſterius autem obtinetur pœnâ apertâ & conſpicuâ, cujusque adparatus ad terrorem aliis incutiendum aptus ſit.

§. X. Denique in pœna *utilitas* quoque *omnium* quæritur, dum nempe id agitur, ut ne, qui uni nocuit, aliis deinceps noceat, vel ut exemplo territi cæteri à ſimilibus patrandis abſtineant. Quod pari modo atque prius obtinetur.

XI. Quòd ſi porrò, tum fines pœnarum, tum conditionem generis humani, conſideremus, adparet, *non omnia peccata eſſe ejusmodi indolis, ut in foro humano ea puniri omnino conveniat.* Inde pœnis humanis eximuntur, 1. *Actus merè interni*, i. e. cogitatio delectabilis de peccato aliquo, cupiditas, deſiderium, deſtinatio citra effectum (1), etſi poſteà per ſubſequentem confeſſionem ad notitiam aliorum perveniant. Nam cum ejusmodi motu interno nemini noxa inferatur; nullius quoque hominis intereſt, ut ob eundem quispiam puniatur.

§. XII. 2. Durum quoque nimis foret pœnis humanis ſubjicere *minutiſſimos lapſus*, quos in iſthac naturæ conditione non datur

§. (1) Hoc eſt, quæ in nullum externum actum erupit: nemo enim ignorat, etiam conſilium atrocioris alicujus facinoris perpetrandi, cum aliis agitari cœptum, vel externo ad id exequendum apparatu proditum, licèt effectu caruerit, à legum animadverſione haudquaquam eſſe exemptum.

tur effugere, quantamcunque attentionem quis adhibere inſtituat (1).

§. XIII. 3. Præterea, multos actus diſſimulant leges humanæ *ob tranquillitatem civitatis, aut alias ob rationes;* putà, ſi ſplendidior futurus ſit actus, ubi ex intuitu pœnæ non videatur ſuſceptus, aut ubi operæ pretium non ſit judices inquietari, aut ſi obſcuriſſimæ res ſit diſceptationis, aut ſi inolitum planè malum citra convulſionem civitatis tolli nequeat.

§. XIV. 4. Denique, & à pœna humana eximi neceſſe eſt illa *vitia animi, ex corruptione mortalium communi reſultantia*, quæ ita frequentia reperiuntur, ut defuturi eſſent quibus imperaretur, ſi ſeveris iſta pœnis plectere velis, quouſque in enormes actus non eruperunt: uti eſt ambitio, avaritia, inhumanitas, ingratus animus, hypocriſis, invidia, ſuperbia, iracundia, ſimultas, & ſimilia.

§. XV. Neque tamen ſi quæ peccata ſint patrata pœnis humanis idonea, ſemper neceſſum eſt pœnam exigi. Quin aliquando contingit, ut delinquentibus rectè peccati *Venia* fieri poſſit. Id quod tamen citra graves cauſas fieri non debet. Inter quas ſunt (1), 1. ſi fines pœnarum in certo caſu non vide-

§. XII. (1) Vide quæ annotavimus ſuprà, ad *Lib. I. Cap. I.* §§. 4, 10, & 17.

§. XV. (1) Certum eſt, in rationibus hic memoratis plurimum eſſe momenti, ad delicti pœnam vel miti-

videantur neceſſarii; 2. aut ſi venia majorem quàm pœna producere utilitatem ſit idonea; 3. aut ſi fines pœnarum aliâ viâ commodiùs obtineri poſſint. 4. Item, ſi qui deliquit, alleget ſua aut ſibi conjunctorum eximia in rempubl. merita, peculiari præmio digna; 5. aut ſi ab alia quapiam inſigni re commendetur, putà à raro aliquo artificio; 6. aut ſi ſpes ſit fore, ut peccatum illud egregiis factis eluatur; præſertim, 7. ubi aliqua ignorantia, licèt non planè inculpabilis, intervenerit; 8. aut ſi particularis ratio legis in aliquo facto ceſſaverit. 9. Sæpe quoque ob multitudinem peccantium venia eſt danda, ne ſuppliciis civitas exhauriatur.

§. XVI. *Gravitas* autem *delictorum* æſtimantur, 1. ex *objecto* in quod peccatum fuit, prout illud nobile & pretioſum habetur; 2. item

mitigandam, vel quandoque planè tollendam: ſunt tamen quædam crimina, in quibus vix eſt ut ulla harum rationum impunitatem præſtare debeat. Cæterùm *Grotius*, *d. Cap.* §. 25. rectè diſtinguit cauſas liberandi aliquem à pœna legis, in *internas*, & *externas*. Ad *poſteriorem* claſſem ſpectant pleræque rationum *h.* §. memoratarum; ad *priorem* vero pertinent, *Ignorantia*, & *ceſſans legis ratio particularis*; præter alias cauſas, quæ ex antitheſi rationum delicti gravitatem intendentium, prout hæ *ſeq.* §. recenſentur, facilè poſſunt intelligi. Confer etiam *Suppl. I.* §. 14. & *ſeqq.* ubi quæ diximus, licèt forum divinum præcipuè reſpiciant, poſſunt tamen & ſolent, quatenus ad trutinam facilè exigi queant, in foro etiam humano ſpectari, quoties non de damno penſando agitur, ſed de delicto puniendo.

2. item ex *effectu*, prout multum aut parum damni in remp. inde redundat; & 3. denique ex *pravitate intentionis*, quæ ex variis indiciis colligitur; putà, ſi facilè potuit reſiſtere cauſis, quibus quis ad peccandum fuit impulſus; aut ſi præter communem rationem peculiaris quædam acceſſit, quæ à peccando debebat abſterrere; aut ubi circumſtantiæ ſingulares factum aggravant; aut ſi animum quis habuerit idoneum ad reſiſtendum peccatorum illecebris. Sed & conſiderari ſolet, primus quis, an aliorum exemplo ſeductus, ſemel, an ſæpiùs, & poſt conſumtas fruſtrà admonitiones, quis peccaverit.

§. XVII. Quod tamen *pœnæ genus*, & *quantum* præciſè ſingulis peccatis ſit infligendum, penes ſummum imperium civile eſt definire, quod heic unicè utilitatem reipubl. præ oculis habere debet. Unde fieri poteſt & ſolet, ut eadem pœna imponatur duobus delictis inæqualibus. Nam quæ æqualitas judicibus circa reos obſervanda præcipitur, illa intelligenda eſt de reis, qui idem ſpecie delictum commiſerunt, hactenus, ut quod in uno vindicatur delictum, alteri citra graviſſimam cauſam condonari non debeat. Etſi autem, quantum fieri poteſt, homo in hominem lenior eſſe debeat: interdum tamen pœnas exaſperari ſalus civitatis & ſecuritas civium jubet: putà, ſi contra gliſcentia vitia aſperiore medicinâ opus ſit, aut ubi

ubi delictum aliquod reip. ſit pernicioſiſſimum. Id autem omnino obſervandum circa magnitudinem pœnarum, ut illæ tantæ ſint, quantæ ſufficiant (1) ad reprimendam libidinem mortalium, quâ feruntur in peccatum in quod pœnæ conſtituuntur. Tum etiam, ne exigantur graviores pœnæ, quàm legibus definitæ ſunt; niſi atrociores circumſtantiæ factum aggravent.

§. XVIII. Quia tamen eadem pœna non omnes æquè afficit, adeòque apud omnes non parem effectum producit circa reprimendam peccandi libidinem; inde, tam in generali pœnarum deſignatione, quam earundem ad ſingulos adplicatione, reſpicienda eſt *perſona ipſius delinquentis*, & in eadem illæ qualitates (1), quæ ſenſum pœnæ augere vel minuere poſſunt; putà, ætas, ſexus, ſtatus, opes, vires, & ſimilia.

§. XIX. Porrò, uti ob alienum delictum, in foro humano, pœnâ propriè dictâ nemo poteſt affici: ita, ſi *ab Univerſitate aliqua*

§. XVII. (1) Hunc in finem, ubi atrox aliquod delictum eſt ejuſmodi, ut difficulter quis ejus convinci poſſit; ne ſpes impunitatis ad peccandum alliciat, evadendi facilitatem, pœnæ convicto infligendæ gravitate, æquum eſt penſare.

§. XVIII. (1) Pœna ſc. corporali imbecilliores magis afficiuntur quàm robuſtiores; mulctâ pecuniaria magis premuntur inopes quàm locupletiores; pœnâ denique quæ exiſtimationem tangit, magis uruntur Nobiles quàm Plebeii.

qua (1) *delictum ſit admiſſum*, eo non tenebi-
Ff tur,

§. XIX. (1) De pœnis Univerſitatum, difficilis & perplexa eſt tractatio. Quamvis enim ab una parte ſatis expeditum ſit, quod ait Auctor, ob delictum publicum non poſſe diſſentienti privatam pœnam imponi, atque adeò nec quidquam eripi, quod nomine & beneficio Univerſitatis non tenebat; haud tamen ab altera parte æquè conſtat, quo jure ipſa Civitas, quà talis, (nam & Civitates in hac doctrina ſub *Univerſitatum* nomine continentur) poſſit omnino pœnæ eſſe obnoxia. Quippe, cum *meritum*, aut *demeritum*, fatente *Grotio*, & poſt eum Auctore noſtro, ſit ex eorum genere, quæ de univerſitate dicuntur, non primò & per ſe, ſed per derivationem à ſingulis, planè quemadmodum *doctam* aut fortem dicimus univerſitatem, quæ plurimos habet tales; cumque, hanc ipſam ob cauſam, fatente etiam utroque, extinctis iis quibus conſentientibus & cooperantibus publicum delictum fuit patratum, ipſum quoque delictum, atque adeò pœnæ debitum, extinguatur; his conſonum videtur, ut pœnam propriè ſic dictam, non ab ipſa univerſitate, ſed à ſingulis delinquentibus, dicamus deberi. Accedit, quòd præcipuus pœnarum inter homines exigendarum finis, *Terror* ſc. *exempli*, hìc locum non habeat; cum malefici, metu malorum ſibi ipſis, non univerſitati cujus ſunt membra, infligendorum, à delictis deterreri ſoleant. Suffecerit igitur ut plurimùm, ubi publicum delictum eſt patratum, puniri ſingulos nocentes, ab ipſa verò Civitate damnum ſarciri, & læſo caveri in poſterum; Univerſitatis jure cæteroquin innocentibus integro relicto. Nec tamen diffiteor, ubi Civitas aliqua, non uni aut alteri, ſed omnibus promiſcuè nocendi, ſaltem quibus nullo peculiari fœdere conjuncta eſſet, voluntatem prodidit, quaſi ſceleris causâ fuiſſet conſociata; poſſe talem Civitatem, ſi nocentes ab innocentibus ſeparari nequeant, ob communem Humani Generis ſecuritatem, rectè diſſociari.

Quòd verò ſubordinatæ Univerſitates, ob delicta com-

tur, qui in id non conſenſerit. Atque inde iſti diſſentienti nihil poterit eripi, quod nomine & beneficio univerſitatis non obtinebat. Etſi ex occaſione punitæ univerſitatis, & innocentes incommodum ſentire ſoleant. Exſpirant quoque delicta univerſitatum, quando nemo ampliùs ſupereſt eorum, queis conſentientibus & cooperantibus illud delictum fuit patratum.

§. XX. Id tamen frequenter contingit, ut *alienum delictum occaſionem præbeat*, ex qua in alios incommodum proveniat, aut bonum antea ſperatum intercipiatur (1). Sicuti bonis parentum ob delictum confiſcatis, ad paupertatem rediguntur etiam innocentes liberi. Et reo aufugiente fidejuſſor exſolvere mulctam cogitur, non ex delicto, ſed quia in talem eventum ultrò ſeſe obligavit.

communi conſilio admiſſa, vel officia omiſſa, certis privilegiis, vel quandoque ipſo *Univerſitatis* jure, privari ſoleant; id indolem videtur habere *Pœnæ conventionalis*; cum ſub ea lege, expreſſa vel tacita, à ſummo Imperante conſtitutæ ſupponantur.

§. XX. (1) Sive, ad quod perfectum jus, aut nondum quæſitum, aut aliâ ratione amiſſum, fuerat; ſive in cujus jacturam eo caſu ſuſtinendam quis conſenſerat. At ex nulla harum cauſarum defendi poteſt crudelis Conſtitutio *Arcadii* & *Honorii*, *Cod. Lib. IX. Tit. VIII. l.* 5. §. 1. Cæterùm h. §. rectè jungit *Barbeyracius* cum priore parte præcedentis, in ultimum locum remiſſis, quæ illìc ſubjiciuntur, de delictis & pœnis Univerſitatum.

Ca-

Caput XIV.

De Exiſtimatione.

I. *Exiſtimatio in genere, quid?* II. *Quotuplex, in duplici ſtatu?* III. *Simplex in libertate naturali, in quo ſita?* IV. *Ea quamdiu maneat integra?* V. *Quibus factis diminuatur?* VI. *Quibus penitus extinguatur?* VII. *Simplex in civitate, quæ?* VIII. *Ea quomodo deficiat ex mero ſtatu?* IX. *Quomodo ex delicto per notam infamiæ?* X. *Naturalis honeſtas arbitrio Imperantis non ſubeſt.* XI. *Exiſtimatio intenſiva, itemque honor.* XII. *Varia ad ejus intelligentiam notanda.* XIII. *Fundamenta intenſivæ exiſtimationis, quæ?* XIV. *Jus ad honorem, imperfectum, perfectum.* XV. *Jus ad præcedentiam inter Principes, unde?* XVI. *Gradus dignitatis civilis, à quo deſignandi?*

EXISTIMATIO in genere, eſt *Valor perſonarum in vita communi, ſecundùm quem aptæ ſunt aliis perſonis exæquari aut comparari, eisque vel antehaberi, vel poſtponi.*

§. II. Dividitur illa in *ſimplicem*, & *intenſivam.* Utraque conſideratur, vel inter eos qui *in naturali libertate*, vel qui *in ſtatu civili*, invicem degunt.

§. III. Existimatio simplex *inter*

eos qui in naturali libertate vivunt (1), in hoc potiſſimùm conſiſtit, ut quis talem ſe ferat, & pro tali habeatur, quicum agi queat tanquam cum viro bono, & qui cum aliis ad præſcriptum legis naturalis vivere ſit paratus.

§. IV. Atque iſthæc *integra* tamdiu habetur, quoad quis nondum per malitioſum aut enorme facinus, ſciens volensque dolo malo legem naturæ adverſus alios violavit. Inde & naturaliter *quilibet pro bono viro habetur, donec contrarium probetur.*

§. V. Eadem Exiſtimatio *diminuitur* (1), per facinora enormia contra legem naturalem malitioſè patrata; quæ efficiunt, ut majore circumſpectione opus ſit, ſi quis cum tali agere velit. Ea tamen macula elui poteſt præſtitâ ultrò damni dati reparatione, & edito ſeriæ pœnitentiæ documento.

§. VI. *Conſumit* eandem penitus, vitæ genus & inſtitutum, directè ſpectans ad aliis promiſcuè nocendum, & rem ex manifeſtis aliorum injuriis faciendam. Cujus farinæ homines, quamdiu reſipiſcere nolunt, tanquam communes hoſtes poſſunt tractari ab omnibus, quos ipſorum malitia ullo modo poteſt tangere. Reparare tamen hi exiſtima-

§. III. (1) Confer *Obſ.* in *Lib. I. Cap. IX.* §. 1. ubi *Exiſtimationem ſimplicem*, quatenus ea in Statu Naturali ſe exerit, inter *Jura* cujusque Hominis *Naturalia* recenſuimus.

§. V. (1) Hujus exiſtimationis defectus, eſt *Infamia Naturalis*, ſive *Facti*, quæ vulgò dicitur.

ſtimationem poſſunt, ubi præſtitâ refuſione damni, aut obtentâ condonatione, honeſtum vitæ genus, vitioſo ejurato, ſubierunt.

§. VII. *Exiſtimatio ſimplex intra civitates degentium* eſt, quâ quis, juxta leges & mores civitatis, pro vitioſo ejusdem membro non fuit declaratus, & aliquo numero eſſe intelligitur.

§. VIII. Iſthæc in civitate *deficit*, vel *ex mero ſtatu*, vel *ex delicto.*

Prius contingit *duplici* modo; vel ut ſtatus ille in ſe *naturaliter nihil turpe habeat* (1); vel ut *cum vitio, aut ſaltem ejus opinione, ſit conjunctus.* Illud contingit in quibusdam civitatibus, ubi *ſervi* nullo numero ſunt. Hoc circa *lenones*, *meretrices*, & ſimiles, obtinet; qui, quamdiu publicè tolerantur in civitate, communi quidem defenſione fruuntur, honeſtorum tamen hominum conſortio excludendi. Quod idem contingit quibusdam, circa fœda aut vilia, licet naturaliter non vitioſa, occupatis.

§. IX. Ex delicto autem eadem planè deficit, quando quis, juxta leges civiles, ob certum delictum *Infamiâ* notatur (1); idque ut vel morte ſimul plectatur, & ſic memoria ejus notetur; vel ut civitate expellatur;

§. VIII. (1) Ut propter ſtatum qui nihil habet moralis turpitudinis, Exiſtimatio ſimplex in civitate cuiquam deficere cenſeatur, inhumanum eſt, & à ratione alienum.

§. IX. (1) Hæc dicitur *Infamia Juris.*

latur; vel ut in civitate retineatur tanquam infame & putridum membrum.

§. X. Id autem manifeſtum eſt, Exiſtimationem ſimplicem, ſeu *naturalem honeſtatem, non poſſe alicui eripi ex mero arbitrio* ſummorum imperantium. Cum id nullo modo ad utilitatem civitatis facere, adeòque in ipſos nullo modo collatum, intelligi poſſit. Sicuti nec vera infamia videtur contrahi poſſe, dum quis jus civitatis per modum nudi miniſtri exſequitur (1).

§. XI. Existimatio intensiva eſt, *ſecundùm quam perſonæ, aliàs quoad exiſtimationem ſimplicem æquales, ſibi invicem præferuntur, prout uni præ altero inſunt, queis aliorum animi ad exhibendum honorem permoveri ſolent* (1). Eſt

§. X. (1) Vide quæ notavimus ſuprà, ad *Cap. XII.* §. *ult.*

§. XI. Solicitè hìc inculcat *Titius*, duplicem diſtingui debere Exiſtimationem intenſivam; aliam ſc. eſſe *Abſolutam*, ſive *Ethicam*, quæ conſiſtit in vera præſtantia, legibus vel attemperata vel attemperanda, quæque ſincerum honoris affectum vendicat; aliam eſſe *Hypotheticam*, ſeu *Civilem*, quæ ex pacto vel lege orta, externos tantùm in vita civili effectus producit. Hæc quidem duo eſſe diverſa, nec pari ſemper paſſu procedere, nemo ignorat: nec tamen civilis exiſtimationis abuſus, eòusque cum originario ejus uſu & ſcopo eſt confundendus, ut eam cum vera præſtantia nihil commune habere quiſquam putare debeat. Nobis ita videtur habendum. Naturale eſt, ut præ cæteris pluris habeantur, & majoribus inſigniantur honoribus, qui ad humanæ Societatis commoda & ornamenta promovenda plus cenſentur

Eſt autem *Honor* propriè, ſignificatio judicii noſtri de alterius præſtantia.

§. XII. Hæc exiſtimatio intenſiva conſiderari poteſt, vel *inter eos qui in naturali vivunt libertate*, vel *inter cives ejusdem reipublicæ.* Deinde expendenda ſunt ejusdem *fundamenta*, & quidem prout producunt vel *aptitudinem* duntaxat ad honorem ab aliis expectandum, vel *jus ſtrictè dictum*, quo idem ab aliis tanquam debitus poſtulari queat.

§. XIII. *Fundamenta intenſivæ Exiſtimationis* in genere, cenſentur omnia illa, que inſignem perfectionem & præſtantiam habent, aut eandem judicantur arguere, & quidem talem, cujus effectus cum fine legis naturalis aut civitatum congruit. Uti ſunt, perſpica-

tur conferre: de hac verò prærogativa applicanda, & externis Honoris inſignibus juxta eam diſpenſandis, ſi ex ipſa re judicium eſſet ferendum, fieri vix poſſet, quin Homines inter ſe diſſentirent; atque ex iſto diſſenſu graviora mala, Hominumque Societatem magis perturbatura, pullularent, quàm ex omni ejusmodi prælatione prorſus neglecta: iſtis itaque vitandis, eſt moribus introductum, ſæpe etiam inter Concives legibus, inter extraneos pactis, firmatum, ut ea res, quatenus ad externos quosdam in vita humana effectus pertinet, per externa & in ſenſus incurrentia criteria definiatur: quâ ratione factam diſcretionem non ad amuſſim cum rei veritate congruere, nemo mirabitur, qui rerum humanarum indolem non penitus ignorat: quòd verò adeò in immenſum à vero abeat, inſigni mortalium pravitati & corruptelæ eſt tribuendum; cujus tamen hac in parte effectus oportet tolerari, quatenus citra graviora incommoda corrigi non poſſunt.

ſpicacia mentis (1), & capacitas varias ſcientias & artes addiſcendi, acre judicium in rebus gerendis, animus firmus & per externa inconcuſſus; illecebrisque ac terroribus ſuperior, eloquentia, forma & dexteritas corporis, bona fortunæ, & imprimis res egregiè geſtæ.

§. XIV. Hæc tamen omnia non producunt *niſi jus imperfectum*, ſeu aptitudinem, ad habendum ab aliis honorem & venerationem. Unde ſi quis eundem aliis etiam bene meritis denegaverit, non injuriam facit, ſed duntaxat ob inhumanitatem & velut incivilitatem malè audit. Sed *jus perfectum* ad

§. XIII. (1) Non eodem loco ſunt habendæ omnes quæ hic recenſentur qualitates: aliæ ſc. per ſe laudis materia; ut *Virtutes morales* earumque exercitium: aliæ Hominem commendant, quatenus, aut non citra laudabilem induſtriam acquiruntur, aut certè eum cui inſunt, ad benè agendum reddunt aptiorem; quo pertinent *Dotes intellectuales*: aliæ denique non aliam Homini dignationem tribuunt, quàm quòd Humanæ Societatis commoda efficaciùs promovendi media vel occaſiones ſuppeditent; quo in genere ponimus *Corporis & Fortunæ Bona.* Atque ex his patet, quæ qualitates ad ſincerum honoris affectum apud cordatos excitandum maximè valeant: in externis verò ejus indiciis diſpenſandis, eorum quæ in ſenſus incurrunt, & præcipuè bonorum fortunæ, major ferè ratio ſolet haberi; neque hoc vi pactorum duntaxat ac legum, ex quibus ad iſta indicia jus perfectum naſcitur, ut *ſeq.* § dicitur, ſed & prævalentium morum, quibus ſæpe fundatur jus qualecunque imperfectum, quod citra ruſticitatis notam negligi vix poteſt, ſive inter Concives, ſive inter eos qui in libertate invicem naturali degunt.

ad habendum ab altero honorem, aut ejus inſignia, provenit, vel ex imperio quod quis in iſtum obtinet; vel ex pacto cum eodem eâ ſuper re inito; vel ex lege per communem dominum lata aut approbata.

§. XV. *Inter Principes* autem & *integros Populos*, pro eminentiâ & *præcedentia* ſolet allegari potiſſimùm antiquitas regni & familiæ; amplitudo & opulentia ditionum, & potentia; qualitas poteſtatis, quâ quis imperium in ſuo regno obtinet, & ſplendor tituli. Quæ tamen omnia per ſe non pariunt jus perfectum ad præcedentiam adverſus alios reges populosve, niſi pacto aut conceſſione horum iſtud quæſitum fuerit.

§. XVI. *Inter Cives* autem *gradus Dignitatis deſignare Summi Imperantis* eſt; qui tamen heic rectè cujusque præſtantiam, & ad conferenda in rempublicam merita aptitudinem, reſpicit. Quem autem iſte civi dignitatis gradum aſſignaverit, eum rectè hic contra concives ſuos tuetur; nec minùs eodem ipſe adquieſcere debet.

CAPUT XV.

De Poteſtate Summi Imperii in Bona Civitate contenta.

I. *Jus Imperantis in bona civium, triplex:* II. *Leges ferendi circa eorum uſum.* III. *Decerpendi de eis vectigalia & tributa.* IV. *Caſu neceſſitatis ad uſus publi-*

publicos applicandi. V. *Jus Principis in fiſcum atque ærarium.* VI. *In rem totam, vel ex parte, alienandam.*

QUEMADMODUM ubi Bona abs ſummis imperantibus in cives profecta ſunt, in iſtorum arbitrio eſt (1), quid hi in ea juris obtineant: ita *in ea bona, quæ cives* propriâ ſibi induſtriâ, aut alio modo *plenè quæſiverunt*, *triplex* potiſſimùm *jus*, ex indole civitatum reſultans, & ad harum finem neceſſarium, ſummis imperantibus competit.

§. II. Primum jus in eo conſiſtit: ut civibus iſti poſſint *Leges præſcribere*, circa uſum eorundem ad utilitatem civitatis attemperandum (1); aut circa modum, qualitatemque

§. I. (1) In prima ſc. conceſſione: poſtquam enim conceſſerunt, non ideo precarium cenſeri debet jus Subditorum, quòd ab imperantibus initio ſit derivatum. Nec tamen ex eo, quòd in Solo ab univerſitate aliqua junctim occupato, prædia Summi Imperantis diplomate concedi ſoleant, ſtatim inferendum eſt, univerſam Regionem fuiſſe olim in dominio ipſius Principis: quippe naturale eſt, ut in tali caſu Princeps, potiùs tanquàm caput Civitatis de publicis rebus, quàm tanquam Dominus de ſuis, præſumatur ab initio diſpoſuiſſe.

§. II. (1) Hùc pertinent *Leges Sumptuariæ*; de quibus vide Auctoris *Diſſertationem* inter *ſelectas* eo titulo inſignitam; quæ elegans eſt commentatio in epiſtolam *Tiberii* ad Senatum, relatam à *Tacito*, *Annalium Lib. III. Cap. LIII, LIV.* Hùc etiam ſpectant Leges, quæ res corrumpi vetant; quæque artibus mechanicis, & Reipublicæ utilibus commerciis fovendis, & noxiis coercendis, conſulunt.

que poſſeſſionum; uti & rationem transferendorum in alios bonorum (2), & quæ ſunt ejus generis alia.

§. III. Alterum jus in hoc conſiſtit, ut poſſit particulam aliquam de ipſorum bonis *Tributi* aut *Vectigalis* nomine decerpere (1). Cum enim civium vita & fortunæ per civitatem ſint defendendæ, oportet ut hi conferant, undè ſumtus ad eum finem neceſſarii tolerentur. Sic ut valdè impudens ſit, qui defenſione quidem & commoditate civitatis frui vult, & tamen nihil operæ aut rei ad eandem ſervandam conferre. Etſi heic meritò prudentes ſeſe rectores ad querulum vulgi ingenium attemperent; & ut quàm minimo cum ſenſu iſta corrogari queant, laborent; inprimis æqualitatem obſervando; & modica potiùs, ac varia, quàm grandia ac uniformia exigendo.

§. IV. Tertium jus eſt *Dominium eminens*, quod in eo conſiſtit, ut urgente reip. neceſſitate, bona ſubditi cujuſpiam, quibus præſens tempus maximè opus habet, ad uſus publicos arripi & applicari queant; licet iſta longè ſuperent ratam partem, quam is ad ſumtus reip. conferre tenebatur. Ob quam tamen rationem iſti civi, quod excedit, de publico, aut ex collatione cœterorum

(2) Hujus generis ſunt Leges, quæ *Contractibus*, *Teſtamentis*, &c. moderantur.

§. III. (1) Hùc etiam non ab re *Titius* refert, Jus ob crimina *damnatorum bona confiſcandi*, *caduca percipiendi*, *&c.*

rorum civium, quantum ejus fieri poteſt, refundi debet (1).

§. V. Præter hæc tria jura, in multis civitatibus dantur peculiaria *Bona publica*, quæ patrimonium reip. aut regni ſolent appellari. Quod alicubi iterum diſtinguitur in *Patrimonium Principatûs*, & *Reipublicæ* (1), ſeu in *Fiſcum*, & *Ærarium*. Quorum prius deſtinatum eſt ad ſuſtentationem Regis, ejusque familiæ: poſterius ad publicas utilitates regni. Circa prius Rex habet uſumfructum, & de fructibus inde provenientibus pro ſuo arbitrio diſponere poteſt. Circa poſterius autem adminiſtratoris munus obit, idemque uſibus, quibus deſtinatum eſt, adplicare debet. Neutrum niſi conſenſu populi alienare poteſt.

§. VI. Multò minùs autem (1), qui regnum non habet in patrimonio, totum regnum, aut ejus partem, *alienare* poteſt, niſi acce-

§. IV. (1) Quin & eandem reſtitutionem deberi putaverim, ubi aliquis Civis, ob controverſiam publicam, inſigne aliquod damnum, citra ſuam culpam, ab hoſte eſt perpeſſus, non ex cauſa commercii aliâve ſimili: quæ enim ejusmodi damna mercatoribus contingunt, majore pretio, pro ſimilibus mercibus exigi ſolito, ut plurimum penſantur.

§. V. (1) Hæc diſtinctio rectè applicatur, non tantùm rebus corporalibus, quarum Dominium eſt publicum, ſed & juribus iſtis de quibus agebatur §. 3. & *Obſerv.* ibidem. Confer *Grotium*, *Lib. II. Cap. VI.* §. 11. *& ſeqq.*

§ VI. (1) Vide *Grotium*, *d. Cap.* § 3. *& ſeqq.* At rectè obſervat *Titius*, doctrinam hujus §. quamvis veram, præter ſcopum hic poni.

accedat conſenſus populi ; & poſteriore caſu , etiam peculiariter conſenſus partis alienandæ. Sicuti nec vice verſâ , membrum aliquod à civitate invita ſeſe abrumpere poteſt , niſi per vim externorum hoſtium in eam ſit redactum conditionem , ut aliter nullo modo ſalvum eſſe queat.

Caput XVI.

De Bello & Pace.

I. *Bellum & juſtum & prudens eſſe decet.* II. *Belli defenſivi & offenſivi juſtæ cauſæ.* III. *Priùs ſemper tendanda via amicitiæ.* IV. *Injuſtæ belli cauſæ , quæ, & quales?* V. *Dolus , abſque perfidia , in bello licitus.* VI. *Vis in bello adhibendæ moderamen.* VII. *Bellum ſolenne , minùs ſolenne.* VIII. *Jus bellum movendi penes Imperantem.* IX. *Quæ privata injuria fundet juſtum bellum ?* X. *Repreſſaliæ , præludia bellorum.* XI. *Pro altero bellum gerere qui poſſint ?* XII. *Licentia in bello , quouſque pateat ?* XIII. *Res bello captæ , quibus cedant ?* XIV. *Imperium eo quæſitum, qui fiat legitimum ?* XV. *Induciæ bellum ſuſpendunt.* XVI. *Variæ earum notatæ ſpecies.* XVII. *Pacis natura , conditiones , firmitas.*

QUANQUAM id legi naturali maximè ſit conveniens , ut homines pacem invicem agitent , ultrò ea præſtando quæ debebant , imo pax ipſa ſit ſtatus homini , quatenus à brutis diſtinguitur , peculiaris : aliquando tamen ipſi quoque homi-

homini bellum (1) ſit licitum, & quandoque neceſſarium, quando nempe, per alterius malitiam, noſtra ſervare, aut jure noſtro potiri, citra vim adhibitam nequimus.
In

§. I. (1) Non eſt hic locus, generalis de *Bello* doctrinæ proponendæ: ea petenda eſt ex *Lib. I. Cap. V.* Ubi licèt Auctor de ſola *Defenſione* egerit, nos tamen ad §. 17. nonnulla ſubjecimus de violenta ſui juris *Proſecutione*, quam ibidem monuimus ad eundem locum pertinere: quæque illìc de violenta ſeu defenſione, ſeu proſecutione, dicta ſunt, ex æquo locum habent, ſive inter ſingulos Homines, in ſtatu invicem naturali viventes, ſive inter Hominum multitudines, easque vel ſimplicis pacti obligatione, vel nexu Imperii. combinatas, certamen fiat: unde & ab omnibus iſtiusmodi differentiis abſtrahit genuina *Belli* notio, prout id in *Juris Naturalis* diſciplina conſideratur; quod idcirco *Grotio* definitur, *Lib.I. Cap.I.* §. 2. *Status per vim certantium, quà tales ſunt;* ſatis quidem aptè, ſi addidiſſet *Jurium causâ*, ut excludantur certamina exercitii vel quæſtûs causâ inſtituta. *Titio* quidem, licèt iſtam differentiam includenti, aliam tamen ob cauſam nimis latè bellum definitur *Status eorum, qui Jurium causâ, actu vel propoſito litigant;* quaſi non tantùm à litigantium numero, ſed & à *violento litigandi modo*, generalis Belli notio abſtraheret; atque adeò lites etiam forenſes, quin & verbales contentiones extrajudiciales, ſub Belli ambitu continerentur.

Cum interim Bellum naturâ ſuâ Civitatibus non ſit proprium; iſta ſola ad hoc caput propriè pertinent, quæ reſpiciunt aut Imperantis & Subditorum mutuas obligationes circa Bellum, aut obligationum eò pertinentium inter eos communicationem, aut denique privilegia Jure Gentium voluntariò iis indulta, qui adhibitis debitis ſolennitatibus bella gerunt auctoritate Summorum Imperantium, in Civitatibus, quæ apud vicinas Gentes pro talibus notæ ſunt atque agnitæ.

In quo ipſo tamen, prudentia & humanitas ſuadet, ut ne ad arma eamus, ubi ex injuriarum noſtrarum perſecutione, plus mali in nos noſtrosque (2), quàm boni ſit redundaturum.

§. II. *Juſtæ cauſæ*, ob quas bellum ſuſcipi poſſit, hùc redeunt, ut nos & noſtra ſervemus ac tueamur contra injuſtam aliorum invaſionem, aut quæ nobis debita ab aliis exhiberi renuuntur, aſſeramus, aut injuriæ jam illatæ reparationem & cautionem in poſterum obtineamus (1). Ob priorem cauſam quod geritur, *Bellum Defenſivum*: quod ob poſteriores, *Offenſivum* dicitur.

§. III. Neque tamen confeſtim (1), ubi quis ſeſe læſum arbitratur, ad arma eſt decurrendum, inprimis, ubi adhuc dubii aliquid (2) circa jus aut factum occurrit: ſed *tentandum, num amicâ viâ res poſſit componi*; putà, colloquio inter partes inſtituto, provocatione ad arbitros factâ, aut re ſorti com-

(2) Vel etiam in Humanam Societatem, quamvis nos noſtrosque peculiariter non tangat.

§. II. (1) Hæc continentur ſub præcedente clauſula, *quæ nobis debita ab aliis exhiberi renuuntur*, *aſſeramus*. Omne ſc. Bellum juſtum ſupponit *Injuriam*; quæ vel fit (ut notavimus ſuprà, *Obſ. in Lib. I. Cap. II.* §. 15.) per injuſtam actionem, quâ Jus aliquod naturale aut reale violatur; vel per actionis debitæ omiſſionem, quâ juris alicujus perſonalis expletio detrectatur. Confer *Grotium*, *Lib. II. Cap. I. ab init.*

§. III. (1) Vide *Grotium*, *Lib. II. Cap. XXIV.*
(2) Vide *Grotium*, *Lib. II. Cap. XXIII.*

commiſsâ. Præcipuè autem hæc via tentanda illi qui petit: quippe cum poſſeſſionem cum aliquo titulo favor utique comitetur.

§. IV. *Injuſtæ* porrò bellorum *cauſæ* (1), vel *apertè* tales ſunt, vel *colorem* aliquem licèt dilutum admittunt. Illæ ad duo potiſſimùm capita referuntur, avaritiam & ambitionem, ſeu habendi & dominandi libidinem. Hæ variæ ſunt; putà, metus ex opibus & potentia vicini, utilitas jure deſtituta, amor ſedes meliores parandi, denegatio eorum quæ ex ſimplici aliqua virtute debebantur, ſtoliditas poſſeſſoris, cupidò extinguendi jus alterius legitimè quæſitum, quod nobis paulò moleſtius videtur; & ſimilia.

§. V. Etſi autem modus agendi in bello maximè proprius ſit vis & terror: non minùs tamen adverſus hoſtem fraude ac dolo uti licet, modò fides data non lædatur. Inde hoſtem licet decipere ſermone aſſertivo, ſeu per fictas narrationes (1); nequaquam autem per promiſſa aut pacta.

§. VI. Circa vim quæ in bello adhibetur adverſus hoſtem, ejusque res (1), diſtinguendum eſt, inter id *quod hoſtis ſine injuria pati poteſt*, & *quod ipſi ſalvâ humanitate nos inferre*

§. IV. (1) Vide *Grotium*, *Lib. II. Cap. XXII.*

§. V. (1) Vide quæ contrà adnotavimus ſuprà, *Obſ. in Lib. I. Cap. X.* §. 9.

§. VI. (1) Vide *Grotium*, *Lib. III. Cap. I. ab init.*

ferre poſſumus. Qui enim hoſtem ſeſe mihi declaravit (2), cum in hoc ipſo ſit profeſſio extrema mala mihi intentandi, eo ipſo quoque, quantum in ſe, mihi indulget facultatem adverſus ſe in infinitum. Humanitas tamen jubet, ut quantum armorum impetus patitur non plus mali hoſti inferamus, quàm defenſio, aut juris noſtri vindicatio, & in poſterum ſecuritas, requirit.

§. VII. Solet *Bellum* dividi, in *ſolenne* & *minùs ſolenne.* Ad illud requiritur, tum ut geratur auctore utrinque eo qui ſummum habet imperium, tum ut præceſſerit indictio (1). Minùs ſolenne eſt, quod denun-

(2) Vide *Lockium*, *Tract. Poſt. de Imperio*, *Cap. III.* §. 7.

§. VII. (1) *Indictio* (ut rectè *Grotius* monet *Lib.III. Cap. III.* §. 7.) vel eſt *conditionata*, quæ cum rerum repetitione conjungitur, & bellum gerendum aliquo temporis intervallo præcedit; vel *pura*, quæ bellum jam nunc geri incipiens comitatur. Quo caſu alterutra jure naturali ſit neceſſaria, ex utriusque fine & ſcopo eſt colligendum. *Puræ Indictionis* finis eſt, ut declaretur, quodnam ſit illud jus, cujus tuendi vel exequendi causâ bellum geritur: *Conditionatæ* verò, ut inſuper innoteſcat, non poſſe citra bellicam vim, illud quod ut jure noſtrûm, vel nobis debitum, vendicamus, obtineri. Hinc ſequitur, 1. Ut rectè ſuſcipiatur defenſio adverſus injuſtam aggreſſionem, ſi vel nulla cauſæ declaratio præceſſerit, vel ea fuerit manifeſtè injuſta, vel tempus ad reſpondendum non ſit datum, nullam à parte defendentis declarationem naturaliter requiri. Ubi verò Belli inferendi declarata fuit ſpecioſa cauſa, utpote conſtans factis, quæ ſi vera eſſent, nec eorum conſequentia per alia facta poſſet

nunciatum non eſt, aut quod in privatos geritur. Quò etiam pertinent bella civilia.

§. VIII.

poſſet elidi, ad aggreſſionem juſtificandam ſufficerent; illìc teneri putaverim Defendentem, primo quoque tempore vel iſta facta negare, vel alia evincere, quibus (licèt iſta ſint vera) Aggreſſoris petitio elidatur. Quin & ſi nulla aggreſſionis cauſa declarata fuerit; tamen, ſi defenſio ſit exequenda per actus offenſivos, non modò adverſus ipſum aggreſſorem, ſed adverſus ejus ſubditos, vis illatæ non participes, nec fortè conſcios, (qui & ipſi quo nomine teneantur, dixi ſuprà ad *Cap. X.* §. 2.) in hujusmodi caſibus ſemper eſt tenendum, ſingulis quibus directè vis infertur ejus inferendæ cauſam debere innoteſcere, ut & tempus concedi ad illud præſtandum quod ab iis petitur; niſi ad pœnam vis inferatur, cui Cives innocentes ob delictum publicum non eſſe obnoxios ex dictis patet. Sequitur, 2. Ubi ipſis nocentibus, ad pœnam capitalem ab iis exigendam, bellum infertur, illìo non requiri Indictionem conditionatam; requiri tamen puram; nunquam enim cui quamvis inferenda eſt non ſignificatâ causâ, niſi ex ipſa re ea ſatis innoteſcat. Idem fortè eſt dicendum, de violenta occupatione ejus qui manifeſtis indiciis vim nobis inferendam meditari ſe oſtendit; hic ſc. requiri Indictionem puram, quæ violentam occupationem comitetur; non conditionatam, quæ eam præcedat, ſi hæc rebus noſtris noxia eſſet futura. 3. Denique ſequitur, ubi ob aliam quamcunque cauſam bellum infertur, requiri Indictionem præviam, ſive conditionatam; ſaltem, ut ante illatam vim alteri ſatis ſignificetur, quid ſit id quod petitur; atque ex omiſſa ejusdem præſtatione, innoteſcat, ad juris iſthac in parte proſecutionem neceſſariò vim adhiberi. Neque hic excipio caſum, quo quis rei ſuæ manum velit injicere; ſi fortè eam injicere non poſſit, citra noxam aliis, à quibus ſc. ea res cuſtoditur, illatam. Ubi verò expreſſa anteceſſit Indictio conditionata, illìc, omiſsâ præſtatione requiſitâ, ſequi Indictionem puram non

eſt

§. VIII. *Jus Bellum movendi* in civitate, uti eſt penes eum qui ſummum habet impe-
Gg 2 rium;

eſt neceſſe; quæ tamen omnino videtur adhibenda, ubi implicita tantùm præceſſit Indictio conditionata, in debiti ſc. exactione involuta.

Sed hæc quæ diximus, pertinent ad actuum bellicorum juſtitiam, quatenus ea *Jure Naturali* definitur. Alia eſt ratio *Indictionis*, quatenus ea ad Belli *Solennitatem*, atque ad Belli ſolennis effectus, *Jure Gentium* in ſpecie ſic dicto definitos, requiritur: unde & hic locus videtur exigere, ut de *Jure Gentium*, quatenus à *Jure Naturali*, rectè an ſecùs, diſtinguitur, nonnulla breviter notemus.

Juris *Naturalis* atque *Gentium* appellationes promiſcuè quandoque uſurpantur: ſæpiùs verò Jura, vel ex toto vel ex parte ſaltem, diverſa intelliguntur notare: ſed à variis variè explicatur iſta diſtinctio. Nonnulli, inter quos *Hobbius*, Jus *Gentium* volunt eſſe alterum membrum Juris *Naturalis;* hoc ſc. vel eſſe Naturale *Hominum*, vel Naturale *Civitatum:* quod poſterius appellari volunt (nec aliud ab hoc agnoſcunt) *Jus Gentium.* Pleriſque verò Jus *Gentium* latiùs patet quàm *Naturale.* Non moror eos, qui ad jus Gentium iſta omnia referunt, quæ ab omnium, vel plerarumque, vel certè moratiorum Gentium, Inſtitutis civilibus, ſeu introducta, ſeu approbata inveniunt; cum illud ſolum jus Gentium ſit hujus loci, quod ad *mutuam Gentium inter ſe Societatem* pertinet ut loquitur *Grotius*, *Lib. II. Cap. VIII.* § 1. Nec ab altera parte hùc ſpectat *Ulpiani* Philoſophia, illud ſolum pro Jure Naturali agnoſcentis, *quòd Natura docuit omnia Animalia*: Jus enim Naturale, non ex animalium brutorum inſtinctu, ſed e rationis dictamine, eſſe æſtimandum, omnes ferè hodie conſentiunt. Rectiùs non pauci, tum *Naturalis* tum *Civilis* Juris interpretes, Juris *Naturalis* Juriſque *Gentium* in ſpecie ſic dicti, diſtinctionem explicant, ſecundùm duas iſtas *Juris Gentium* definitiones, quas pro-

rium; ita iſtud uſurpare, citra delegatam ab illo facultatem, ſupra menſuram magiſtratûs

proponit Imperator, *Inſt. Lib. I. Tit. II.* §§. 1, & 2. Illud ſc. Jus Gentium quod definitur *d.* §. 1. *Quod naturalis ratio inter omnes Homines conſtituit*, quodque interpretibus dicitur Jus Gentium *Primarium*, eſt ipſiſſimum Jus *Naturale*; quod verò definitur §. 2. quod ſc. *uſu exigente, & humanis neceſſitatibus Gentes humanæ ſibi conſtituerunt*, quodque iisdem interpretibus dicitur *Secundarium*, eſt ipſum Jus *Gentium* ſpecialiùs ita dictum, *Grotio Voluntarium.*

Hac verò in partè erràſſe mihi videntur celeberrimi quidam Juriſconſulti, (vide *Vinnium* ad *dd.* §§. & *Huberum* de *J. C. Lib. I. Sect. I. Cap. V.*) quòd Jus Gentium *Primarium*, quod idem eſſe agnoſcunt cum *Naturali*, reſtringant ad ea quæ *immediatè* innoteſcunt, ſive intellectu, ut loquuntur, *noetico* cognoſcuntur; ad *Secundarium* referentes, quæcunque intellectu *dianoetico*, hoc eſt, non ſine Argumentationis beneficio, diſcernuntur; quaſi ex principiis neceſſariis, & immutabilem veritatem habentibus, quæ deducuntur concluſiones, Hominum arbitrio poſſent eſſe mutabiles. Imo contrà eſt dicendum, Principiorum moralium, atque Concluſionum ex iis fluentium, æquè neceſſariam, æquè immutabilem, eſſe veritatem: haud inficior, concluſiones iſtas ſæpe certa hominum facta ſuppònere; nec tamen eò minùs neceſſariò & immutabiliter verum eſt, illis factis ſuppoſitis, certa jura, & certas correſpondentes obligationes, locum habere: neque enim de iis tantùm agit Naturale Jus, quæ citra voluntatem humanam exiſtunt; ſed de multis etiam quæ voluntatis humanæ actum conſequuntur; ut rectè *Grotius* monuit, *Lib. I. Cap. I.* §. 10. qui idcirco, quicquid rectæ rationis dictamine, ſeu immediato, ſeu mediato, ex ipſa rerum natura cognoſcitur eſſe à DEO præceptum aut vetitum, meritò refert ad Jus *Naturale*; ad Jus autem *Gentium voluntarium*, ea ſola, quæ ex Gen-

ſtratûs eſt, etiam ubi hic conjicit, ſummæ
Gg 2 pote-

Gentium omnium, aut multarum, voluntate, vim obligandi acceperunt.

De hoc quidem *voluntario Gentium Jure* haud parum diſputatur; idque tum de ejus *appellatione*, tum de *vi obligandi.* Et de *appellatione* quidem ſatis manifeſtum eſt, *Jus Gentium voluntarium*, cum à *Superiore* non proficiſcatur, propriè accepto *Juris* nomine inſigniri non poſſe. De ejus *Obligatione* difficilior eſt quæſtio, an non ſc. ea, quæ omnium, aut certè plerarumque, aut moratiorum Gentium, invicem vicinarum, moribus ſunt introducta, vim ſaltem habeant *Pacti impliciti*, ſeu inter eos quorum intereſt tacitè initi, & à quo nefas ſit recedere. Nobis hìc *media* ſententia videtur tenenda, eatenùs ſc. ſingularum Civitatum Rectores ad iſtas conſuetudines obſervandas adſtringi, ut ab iis recedere non oporteat in fraudem aliarum Gentium, hoc eſt, aliis, quoad ipſorum intereſt, non tempeſtivè præmonitis: ulterius verò hanc obligationem non eſſe extendendam, ubi nulla ſpecialior, magisve expreſſa conventio interceſſit.

Quæ hocce voluntario Gentium jure, vel antiquitus fuerunt, vel hodie ſunt, recepta, non eſt hujus loci ſingula recenſere. Præcipua nonnulla, utpote ad *Belli Jus* pertinentia, inprimis verò ad effecta, quæ *Bello publico* & *ſolenni* plerisque Gentibus placuit tribuere, infrà erit occaſio obiter notandi. Ad hæc autem effecta requiritur, ut *h.* §. Auctor noſter monet, non tantùm ut Bellum geratur, *Auctore utrinque eo, qui Summum habet Imperium*, ſed ut *publicè indictum*, ſeu denunciatum fuerit, ab altera ſaltem parte. Cum verò hæc *Indictio*, quatenus jure Gentium ad dictos fines requiritur; non aliò collineet (ut vult *Grotius*, *Lib. III. Cap. III.* §. 11. ubi tamen vide quæ annotavit *Barbeyracius*) quàm *ut certò conſtet, non privato auſu, ſed voluntate utriusque Populi, aut Populi Capitum, geri Bellum*; huic conſonum eſt, non requiri (quod idem Vir ſummus monet § 13.
ibid.

poteſtati, ſi conſuleretur, placiturum (1) heic & nunc bellum geri. Etſi omnibus, qui alicui provinciæ, aut loco munito, cum copiis militaribus præficiuntur, ex fine muneris ſui id quoque injunctum intelligatur, ingruentem hoſtem quovis modo à locis ſibi commiſſis repellere: ut tamen non temerè bellum in ditionem hoſtilem transferant.

§. IX. Cæterùm, ut qui in naturali libertate vivit, ob injurias tantùm abs ſe patratas bello poteſt peti; ita in civitate ſæpe bello *invaditur Rector Civitatis, aut tota Civitas*, etſi iſte auctor injuriæ non fuerit. Sed ut rectè hoc fiat, neceſſum eſt, ut injuria iſta aliquo modo in illum tranſierit. Ac rectores quidem civitatum ex injuriis per antiquos cives, aut qui recens ad eos confugiunt, patratis participant, ſi *paſſi fuerint* eas patrari (1), aut ſi *receptum præſtent*. Ut *Pa-*

ibid.) ut Indictio Bellum ullo temporis intervallo antecedat: addo, nec fortè, ut ſpeciales Belli cauſas exponat; licèt cauſarum declaratio, in iſta Indictione, quæ ad Belli juſtitiam Jure Naturali definitam requiritur, præcipuè ſit ſpectanda.

§. VIII. (1) Vide *Grotium*, *Lib. I. Cap. III.* §. 5.

§. IX. (1) Quod ſuprà monuimus, ad omne Bellum offenſivum, dempto eo quod pœnæ capitalis infligendæ causâ infertur, præviam regulariter, ſeu conditionatam, Indictionem requiri, id præcipuè eſt tenendum, ubi Rector Civitatis, ob injurias à Civibus patratas, utcunque ipſi imputabiles, invaditur: præſertim, cum Belli, quod adverſus ipſum præteritæ

Patientia ſit culpabilis, requiritur, ut quis & *ſciat* delinqui, & *poſſit prohibere*. *Sciri* autem à rectore civitatis præſumuntur, quæ à civibus apertè & frequenter fiunt. *Facultas prohibendi* ſemper præſumitur, niſi ejus defectus manifeſtè probetur. Ut tamen, qui noxium ad ſe confugientem pœnæ duntaxat declinandæ causâ, *recipit* & *protegit*, bello peti poſſit, id magis ex peculiari pacto (2) inter vicinos & ſocios, quàm communi aliquâ obligatione, provenit; niſi iſte profugus apud nos hoſtilia in eam civitatem, quam deſeruit, machinetur.

§. X. Sed & illud inter gentes receptum, ut pro debito civitatis proprio, aut quod juſtitiam requiſitam non adminiſtrando in ſe derivavit, ſingulorum civium bona teneantur, hactenus, ut extranei, quibus debetur, iſtis apud ſe deprehenſis manus injicere queant (1): ita tamen ut civibus, qui-

 bus

ritæ injuriæ Auctorem, rei perſequendæ gratiâ, geritur, immediata cauſa, non tam ſit priùs illata injuria, quàm præſens voluntas in ea perſeverandi, hoc eſt, ejus penſationem non præſtandi; quæ voluntas, ex ſpreta demum Indictione conditionata colligitur.

(2) Imo, licèt nullum pactum interceſſerit, haud tamen fas eſſe putaverim, adverſus pœnam eum protegere, qui communia Juris Naturalis præcepta manifeſtè violaverit: de illis verò, qui ob ſimultates civiles, aut diverſum Sacrorum cultum, Patriâ ſunt profugi, Auctoris ſententia, prout ab ipſo limitatur, tutiùs videtur admittenda. Confer *Grotii Lib. II. Cap. XXI.* § 2-6.

§. X. (1) Quo fundamento hoc Jus nitatur, & quo-

bus hoc modo ſua eripiuntur, refuſio ſit procuranda ab illis qui debitum contraxerunt. Quales exſecutiones ſolent vocari *Repreſſaliæ*, quæ frequenter ſunt bellorum præludia.

§. XI. Bellum gerere poteſt, non ſolùm *quilibet pro ſe*, ſed & unus *pro altero*. Quod tamen ut rectè fiat, requiritur in eo pro quo bellum geritur, juſta cauſa; in auxiliatore autem probabilis ratio, cujus intuitu pro iſto in alium hoſtilia exercere queat.

Inter eos autem, pro quibus non ſolùm poſſumus, ſed & debemus, arma ſumere, *primo* loco ſunt *Subditi* noſtri, non univerſi ſolùm, ſed & ſinguli; modò ex hocce civitas non evidenter majoribus malis ſit involvenda. 2. Sequuntur *Socii*, in quorum fœdere id comprehenſum eſt. Qui tamen non modò civibus noſtris cedunt, ubi ipſi eodem tempore auxilio opus habent; ſed & apud eosdem juſta belli cauſa, & aliqua prudentia in bello ſuſcipiendo, præſupponitur. 3. Hos excipiunt *Amici*, etſi peculiariter id ipſis non ſit promiſſum. 4. Denique, ubi nulla alia ratio eſt, vel ſola communis cognatio ſufficere poteſt, ut injuſtè oppreſ-

quomodo ſit circumſcribendum, dixi ſuprà, ad *Cap. X.* §. 2. unde facilè colligitur, non rectè id ad ſervitutem, ſeu publicam, ſeu privatam, innoxiis Civibus imponendam, poſſe extendi. Confer *Grotii Lib. III. Cap. II.*

oppreſſum, noſtra auxilia implorantem (1), quantum commodè facere poſſumus, defenſum eamus.

§. XII. *Licentia in bello* eòusque ſe extendit, ut quamvis quis cædes patrando aut res vaſtando atque eripiendo, ultra quam humanitas admiſerit, ſit graſſatus: gentium tamen opinione (1) pro infami, & quem honeſti viri averſari debeant, non habeatur. Niſi quòd cultiores gentes modos quosdam nocendi hoſtibus viles habent; putà, veneno uti, aut alterius cives militesque in dominorum cædem corrumpere.

§. XIII. *Res mobiles* in bello tunc demum *captæ* intelliguntur (1), quando perſecutio-

 nem

§. XI. (1) Vel etiam oblata accipientem: Hoſtis certè non eſt inquirere, quibus quis rationibus permotus, alterum, injuſtè oppreſſum, defenſum aut vindicatum eat. Vide *Grotii Lib. II. Cap. XXV.*

§. XII. (1) Hunc *primum* Effectum, Bello publico & ſolenni Jure Gentium voluntario tributum, inculcat *Grotius*, *Lib. III. Cap. IV.* §§. 2. 3. *& ſeqq.* Iſtam verò licentiam, ſive *Impunitatem externam*, intereſſet humani generis ita reſtringi, ut ſi maximè abſque ullo cauſæ diſcriminè arma gerere, ſine fine modoque in ipſos hoſtes cædibus, in univerſum hoſtilem Populum rapinis, incendiis, direptionibus, graſſari, ſub Belli ſolennis umbone militantibus non noceret; *Infantium* ſaltem, aliorumque manifeſtè *Innocentium*, *voluntariæ cædes*, *violenta ſtupra & adulteria*, & ſi qua ſint ſimilia brutalis furoris & immanitatis prodigia, apud moratiores, præſertim Chriſtianas Gentes, non eſſent impunita. Confer *Grotii d. Cap. IV.* cum *Cap. XI.* item *Cap. V.* cum *Cap. XII.*

§. XIII. *Alter* effectus Belli ſollennis Jure Gentium pro-

proprius, qui à *Grotio* celebratur, *Lib. III. Cap. VI.* §. 2. *& ſeqq.*, eſt *Rerum bello captarum acquiſitio.* Quousque res, Jure Naturali, in Bello rectè capiantur, & quousque capiendo acquiri poſſint, dixi ſatis ad *Lib. I. Cap. V.* §. 17. neque aliis quàm naturalibus iſtis fundamentis, niti videtur jus, circa res bello capiendas, retinendas, aut recuperandas, quod ipſis inter ſe hoſtibus, nullâ ſpecialiore conventione obſtrictis, intercedit. Occupationi verò, quæ fit in bello publico & ſolenni, certi quaſi Juris effectus (*Dominium externum Grotio* dicitur) plerarumque Gentium placito alligantur; qui ferè introducti ſunt, in gratiam vel Civitatum neutram in Bello partem ſequentium, in quarum fines res publico Bello captæ delatæ fuerint; vel etiam privatorum, qui, cum ipſi non ſint Hoſtes, res alienas ejusmodi bello captas legitimo titulo ſibi comparârunt.

Quod ad prius attinet; cum facilè fiat, ut res mobiles bello captæ, ſive ab ipſis capientibus, ſive ab aliis, qui ab iis aliquo titulo eas acquiſiverunt, in Civitatis neutram partem ſequentis fines deferantur: quæ ſi ibi à prioribus Dominis repeterentur atque teneretur Rector iſtius Civitatis, res captas, ex Hypotheſi quòd injuſtè fuiſſent ereptæ, jubere reſtitui; fieri vix poſſet, quin quæque Civitas, etiam invita, finitimarum Civitatum litibus implicaretur: hoc ut caveatur, placuit, quodvis Bellum Summarum utrinque Poteſtatum auſpiciis geſtum, & ritè indictum, eatenus utrinque juſtum haberi, ut qui in ejusmodi bello res occupârint, quive ab iis ita occupatas legitimo titulo quæſiverint, apud Populum quemvis qui neutram in bello partem ſequitur, ſi fortè in ejus ditionem res delatæ fuerint, in earum poſſeſſione, tanquam jure quæſitarum, defendi debeant; nec eo nomine prioribus Dominis, eorumve Civitati, repetitio concedatur.

Sed & eundem, *poſterioris* cauſæ intuitu, capturæ bellicæ effectum, circa ejusmodi res, placuit tribuere, ſi fortè in vaſto Oceano, aliove loco Imperio vacuo, deprehendantur, apud eum, qui, cum ipſe non ſit hoſtis, res ab hoſte captas legitimo titulo

quæ-

nem hoſtilem effugerunt (2): *immobiles* autem, quando ita à nobis detinentur, ut hoſtem inde arcendi ſit facultas (3). Etſi ut prioris

quæſivit. Imo, nec Romanis, aliisque Gentibus, viſum eſt abſurdum, hoſtili occupationi, etiam intra pomœria Civitatis cui res ereptæ fuerant, aliquam juris ſpeciem circumponere: cujus tamen effectum, ut in captis Hominibus, & in rebus immobilibus, ita in quibusdam olim mobilibus, Poſtliminii jus evacuavit: in cæteris, & hodie paſſim in omnibus rebus mobilibus, ceſſante poſtliminii jure, bellicæ capturæ eòusque valet, ut ejusmodi rerum, publico bello captarum, vindicatio, prioribus dominis denegetur, adverſus quemvis non hoſtem, à quo in ejusdem, vel ſociæ Civitatis, fines reportatæ fuerint; ſeu in eodem bello hoſtibus denuò ereptæ, ſeu in alio ab aliquo tertio captæ, ſeu denique ex Commercii aliâve privatâ causâ quæſitæ. De hominibus captis vide §. *ſeq.* cum Obſervatione.

(2) Quod tum demum fieri cenſuerunt Romani, cum res capta intra hoſtium præſidia eſſet perducta. Iſtius verò perductionis loco, recentiore Gentium *Europæarum* jure, valet detentio per ſpatium XXIV. horarum, ut teſtatur *Grotius*, *d. Cap. VI.* §. 3. Hæc interim definitio, cum ejus uſus præcipuè pertineat ad caſum, quo res nobis ablata, à noſtris Civibus aut Sociis eſt ab hoſte recuperata (quo in caſu inter Concives, vel belli causâ fœderatos, quæſtio vertitur) Legibus civilibus, aut fœderis bellici tenore, variè poteſt mutari.

(3) Hujus definitionis, ad res immobiles pertinentis, quis ſit uſus, poteſt non immeritò dubitari. Inter ipſos quippe Hoſtes, nihil intereſſe, utrùm res ſit plenè capta, necne, omnes fatentur; cum manente bello, eodem jure recuperari poſſit, quo priùs defendebatur. Sed nec communi Gentium conſenſu conventum reperio, ut deterius ſit jus prioris Domini rei immobilis, adverſus tertium, qui ab hoſte eam quo-

prioris domini jus ad eas res recuperandas (4) planè extinguatur, neceſſum ſit, ut per ſubſequens pactum omni prætenſioni renunciaverit. Aliàs enim vi partum vi licebit iterum eripere (5).

Cæterùm, uti milites auctoritate civitatis belligerant; ita, quæ ipſi hoſtibus eripiunt, propriè civitati, non ſibi adquirunt. Etſi paſſim receptum, ut mobilia, præſertim quæ non ſunt magni pretii, militibus qui ceperunt relinquantur per conniventiam, aut præmii, vel quandoque ſtipendii

quocunque titulo acquiſivit, quàm adverſus ipſum hoſtem; modò prior ille dominus juri ſuo aſſerendo non defuerit, ita ſaltem, ut derelinquendi voluntatis nulla dederit indicia. Quòd ſi verò, ſub ejuſdem Imperii ditionem, res immobilis reſtituta fuerit; jam poſtliminio eam recipi à priore domino, eſt indubitati juris. Rerum itaque immobilium occupatio bellica, non alium videtur Juris effectum directè producere, quàm quòd ii quorum non intereſt, ſi forte prædio occupato realem aliquam ſervitutem debeant, eam novo poſſeſſori jure poſſint præſtare, nec idcirco à priore domino ſint reprehendendi. Huic ſimilem, ſed latiùs patentem, effectum occupationis Imperii, notabo ad §. *ſeq.*

(4) Mobiles ſc. ab ipſo Hoſte, atque adeò ab ejus Subditis aut Sociis, recuperandas; immobiles à quovis Poſſeſſore.

(5) Eodem jure procul dubio res denuò eripitur, manente bello, quo priùs defendebatur: quòd verò hìc, Jus denuò eripiendi cum jure capiendi coæquetur, intelligendum eſt de *Dominio externo*, ſuprà deſcripto, quod in re hoſti denuò ereptâ æquè recuperatur, ac in eadem capta fuerat amiſſum.

dii loco; aut ut alliciantur, qui citra neceſſitatem ſanguinem ſuum locare velint.

Quando autem res captæ iterum hoſti eripiuntur, immobiles quidem ad antiquos dominos redeunt; nec minùs mobiles debebant; etſi apud pleroſque populos, & hæ militibus in prædam concedantur (6).

§. XIV. Solet denique *bello adquiri* etiam *imperium* tam in ſingulos (1), quàm in integros populos (2) victos. Quod tamen ut fiat

(6) Vide Obſervationem primam in h. §. Cæterum, de materia hujus §. vide *Grotium*, *Lib. III. Cap. VI. & IX.* & confer *Cap. XIII. & XVI.* Conſulatur in primis ejuſdem Libri *Cap. X.*

§. XIV. (1) Quouſque capienti Jus in captos competat naturaliter, & quàm parum validè allegetur conſenſus Gentium, ſi vel maximè eum ex pravis moribus liceret æſtimare, ad licentiam, quæ naturalis juris limites hac in parte excedit, defendendam; notavi ſatis ad *Cap. IV.* §§. 4. & 4. Verùm eo minoris apud nos eſt momenti hæc Quæſtio, quòd antiquum iſtum morem, bello ſolenni captos in ſervitutem ducendi, reverentia Chriſtiani Nominis, inter Chriſtianos invicem belligerantes, jumdudum aboleverit. Quin & Chriſtianus bello captus ab Infidelibus, licèt apud eos cogatur ſervire, non tamen hodie in ſua Civitate ſtatum magis cenſetur mutâſſe, quàm à Latronibus eſſet captus. Add. *Titii Obſ. in Lauterb.* MCCCCXLIII. Vide etiam de integro hoc Themate, *Grotium*, *Lib. III. Cap. VII.* & confer *Cap. XIV.*

(2) Quid in hoc negotio videatur eſſe Juris Naturalis, dixi ſuprà, ad *Cap. X.* §. 2. Ad Jus Gentium quod attinet, hoc, ſi de Imperio in ipſos homines acquirendo ſit quæſtio, non magis contra univerſos valet, quam contra ſingulos: vide *Obſ. præced.* & confer *Obſ. in Cap. IV.* §. 5. *prope finem.* Si verò quæratur, de acquirendo *Imperio Soli*, ſive jure exigendi

fiat legitimum, & conſcientias ſubjectorum ſtringat, neceſſum eſt, ut victi victoribus fidem dederint, & hi hoſtilem ſtatum animumque adverſus illos exuerint.

§. XV.

di, ut ne quis, niſi ſub civilis ſubjectionis lege, in iſto Solo maneat; ne hic quidem multò ampliùs valere putaverim voluntarium illud Jus Gentium, quàm in acquiſitione quarumvis rerum immobilium illud valere dixi ſuprà, ad §. *præced.* Qualescunque etenim Gentium bellicoſarum mores fuerint, qualescunque Hominum ſuperiori vi adulantium, ſententiæ; non apparet, ullo communi conſenſu Gentibus inter ſe conveniſſe, quò minùs Principi vel Populo victo, qui in Victoris Imperium nullo modo conſenſerat (& quid non ſit pro ejus conſensûs indicio habendum; vide *dict. Obſerv. in Cap. X.* §. 2.) æquè validum Jus eſſet, adverſus hoſtem, aut alium quemvis ab eo titulum derivantem, ad Imperium recuperandum, ac priùs ad illud defendendum fuerat. Imo, nec Summis Poteſtatibus, quæ Imperium non habent in patrimonio, quidquam in contrarium validè convenire poſſe, putem; utpote quod non eſſet aliud, quàm ſub certo caſu Imperium transferre, & quidem in incertam Perſonam.

Hunc unum effectum, violentæ occupationi Imperii in Populum, vel Populi partem, Bello ſolenni factæ, quin & occupationi Imperii in integrum aliquem Populum, licèt factæ per inteſtinam Seditionem, Gentium conſenſus videtur indubiè tribuiſſe; ut Extranei, qui Populo, vel Univerſitati alicui, cujus Imperium eſt vi occupatum, quid debent, quod legitimus Imperans Jure potuit exigere, Invaſori exigenti id rectè ſolvant, & ſolvendo liberentur; ita ut Princeps imperio, vel Populus libertati ſuæ, reſtitutus, debitum ita ſolutum repetere non poſſit: quod ob ſuprà indicatam cauſam eſt introductum; ne ſc. illi qui neutram in bello partem ſequuntur, alienis litibus nolentes implicentur: quæ ratio cum in contractibus ultrò initis non obtineat, vix putem ad hos,

at

§. XV. Suſpenduntur actus bellici per INDUCIAS (1), quæ ſunt conventio, per quam ad tempus, manente belli ſtatu, ac lite ex qua bellum fuit ortum, bellicis actibus offenſivis eſt abſtinendum: quibus elapſis, ni interea pax coiverit, citra novam indictionem ad hoſtilitatem reditur.

§. XVI. Poſſunt autem *induciæ dividi*, in eas, quæ ineuntur ſubſiſtentibus in expeditione exercitibus, retentoque utrinque bellico adparatu; quæ ad modicum ferè tempus ſumuntur: & in eas, quibus adparatus bellicus utrinque diſſolvitur. Hæ in ſatis longum tempus iniri poſſunt & ſolent, & plenæ pacis faciem gerunt, ac aliquando etiam *pacis* vocabulo inſigniuntur cum adjectione certi temporis. Nam aliàs regulariter omnis pax æterna eſt, ſeu in perpetuum

at omnium minimè ad beneficos, eundem favorem eſſe extendendum: *Solutionis* igitur loco, haudquidquam hìc ſufficit *Acceptilatio.* De occupatione Imperii, vide *Grotium*, *Lib. III. Cap. VIII.* & confer *Cap. XV.* præcipuè verò *Lockii Tract. poſter. de Imperio Cap. XVI.*

§. XV. (1) De Induciis, aliiſque Pactis, quæ manente bello ineuntur, vide *Grotium*, *Lib. III. Cap. XXI.* & *ſeqq.* ſed lecto priùs ejusdem Libri *Capite XIX.* Rationes, quibus Auctor noſter, *J. N. & G.* L. VIII. C. VII. §. 2. omnium pactorum inter hoſtes, Belli ſtatum non tollentium, naturalem obligationem videtur impugnare, adeò leves ſunt, adeòque ſimul pernicioſæ conſequentiæ, utroque nomine tanto viro adeò indignæ, ut eas hìc referre pudeat, multò magis iis diſcutiendis immorari. Vide Cl. *Barbeyracii* Obſervationem ad *d. l.*

tuum extinguit controverſias, ob quas bellum conflatum erat. Quæ autem ſolent vocari *Induciæ tacitæ*, nullam continent obligationem; ſed partes ibi pro lubitu utrinque quieſcunt, & ad actus bellicos, quandocunque placitum fuerit, procurrere iterum poſſunt.

§. XVII. Penitùs autem tollitur bellum, ſancita per ſummos utrinque imperantes Pace (1): cujus leges & conditiones definire uti eſt penes paciſcentes; ita illæ fideliter & convento tempore exſecutioni dandæ & ſervandæ ſunt. In cujus rei firmitatem non modò jusjurandum ſolet interponi, & *obſides* dari; ſed & ſæpe alii, inprimis qui paci conciliandæ interveniunt, ejus obſervationem præſtandam recipiunt, auxilio promiſſo ei qui contra leges pacis ab altero læſus fuerit.

Ca-

§. XVII. (1) De pactis Pacem reducentibus, legatur diligenter *Grotius*, *Lib. III. Cap. XX.* Sed & de horum quoque validitate, ſi fortè injuſtâ vi fuerint extorta, nimis laxa eſt, & Humanæ Societatis paci haud ſatis amica, Philoſophia Auctoris noſtri, *J. N. & G. Lib. VIII. Cap. VIII.* §. 1. Confer quæ annotavimus ſuprà, ad *Lib. I. Cap. IX.* §. 15. Quinimo, ſicut præcedentes injuriæ, per pactum quo pax reducitur, ſepeliuntur; ita ſubſequentes, quæ in novo aliquo prætextu fundantur, licèt novam bello cauſam præbeant, non tamen pacem rumpunt, cum hoc effectu, ut veteres controverſiæ reviviſcant: quod rectè *Grotius* monet, *d. Cap.* §. 27. licèt ſecùs videatur *Titio*, ad *h. l.*

Caput XVII.

De Fœderibus.

I. *Fœdera amicitiæ, vel ſpecialis præſtationis.* II. *Iſtorum præcipua quædam capita.* III. *Hæc æqualia, aut inæqualia; & quæ illa?* IV. *Inæqualia quando, & à quibus, contrahantur?* V. *Summum Imperium aut minuunt, aut non.* VI. *Fœdera Politica, bellica, commerciorum.* VII. *Fœdera, quæ realia, quæ perſonalia?* VIII. *Sponſiones Fœderibus conjunctæ, quales?*

BELLI juxta ac pacis temporibus inſerviunt FOEDERA, ſeu *Pacta inter Summos utrinque Imperantes inita* (1). Iſthæc intuitu materiæ poſſunt dividi, in ea *quæ conſtituunt de aliquo officio invicem præſtando, quod jam antea lege naturali præcipiebatur;* & *quæ officiis legis naturalis aliquid ſuperaddunt*, aut ſaltem eadem, ubi indefinita videntur, ad certi quid determinant.

§. II. Ad priorem claſſem referuntur fœdera,

§. I. (1) Contendit *Titius*, *Fœdera* ab aliis pactis diſtingui, non tantùm qualitate Paciſcentium, qui hic ſunt *Summi Imperantes*, ſed & ſubjectæ materiæ, quam vult in fœderibus eſſe, *Utilitatem perpetuam, vel per longius tempus præſtandam.* De Fœderibus vide *Grotium*, *Lib. II. Cap. XV.*

dera, quibus de ſimplici duntaxat humanitate exercenda, aut noxa non inferenda, convenitur. Quo pertinent & ea, quibus ſimplex duntaxat amicitia, citra peculiarem præſtationem, ſancitur. Aut quibus jus hoſpitii, aut commerciorum, quatenus id naturali lege debetur, ſtabilitur.

§. III. Poſterioris claſſis fœdera ſunt, vel *æqualia*, vel *inæqualia.*

Illa ſunt, *quæ utrinque eodem ſe modo habent:* ſeu, quando non ſolùm æqualia utrinque promittuntur, ſimpliciter aut obſervatâ proportione virium, ſed & æquali modo, ita ut neutra pars præ altera ſit deterioris conditionis, aut alteri obnoxia.

§. IV. *Inæqualia* ſunt, *quando vel inæquales præſtationes invicem exhibentur, vel altera pars eſt deterioris conditionis. Promittuntur* autem *inæqualia*, vel fœderato digniore, vel à minùs digno. Prius fit, ſi potentior auxilia promittat alteri, nec reſtipuletur; aut ſi majori proportione quàm alter promittat. Poſterius contingit, ſi fœderatus inferior plura teneatur præſtare, quàm ab altero recipit.

§. V. Eorum quæ *à fœderato inferiore præſtantur*, quædam ſunt *conjuncta cum imminutione ſummi imperii*; puta, ſi conventum ſit, ne inferior ſocius partem aliquam ſummi imperii exerceat, niſi cum conſenſu ſuperioris. Quædam autem *ſummum imperium non diminuunt*, licèt adjunctum habeant aliquod onus tranſitorium, ſeu quo ſimul & ſemel

licet

licet defungi; putà, ſi ex fœdere pacis alter teneatur ſtipendium ſolvere alterius militibus, belli ſumtus reſtituere, certam ſummam pecuniæ ſolvere, mœnia diruere, obſides dare, naves, arma tradere, &c. Imo nec quævis perpetua onera ſummum imperium diminuunt. Qualia ſunt; eosdem cum altero amicos & hoſtes habere, ſed non reciprocè; ne liceat certis locis munitiones extruere, ne ad certa loca navigare, &c. Item, ſi unus ſociorum alterius ſocii majeſtatem comiter teneatur colere, ſeu reverentiam quandam ipſi exhibere, & ſeſe ad ejusdem placitum modeſtè attemperare.

§. VI. Cæterùm, fœdera tam æqualia, quàm inæqualia, varias ob cauſas ſolent contrahi: inter quas arctiſſimam fœderum ſpeciem producunt, quæ ad conjunctionem aliquam perpetuam plurium civitatum (1) ſpectant. Frequentiſſima autem ſunt, quæ ad auxilia in bello defenſivo aut offenſivo præſtanda, aut ad commercia regenda, pertinent.

§. VII. Celebris quoque eſt diviſio *fœderum*, in *Realia*, & *Perſonalia* (1). Quorum hæc ſunt, quæ cum Rege intuitu per-

Hh 2 ſonæ

§. VI. (1) Vide ſuprà, *Cap. VIII.* §. 15.

§. VII. (1) Hæc diſtinctio præcipuè in Monarchiis, & iis quidem non patrimonialibus, habet locum. Quæ autem Fœdera à Regibus inita, *realia*, quæ *perſonalia*, haberi debeant, vide Auctorem, *J. N. & G. h. t.* §. *6.* & *ſeqq.* nec non *Grotium*, *Lib. II. Cap. XVI.* §. *16.*

ſonæ ipſius ineuntur, eoque defuncto ſimul expirant. Illa verò ſunt, quæ non tam ipſius Regis, populive rectorum ut talium, quàm reipublicæ & regni, intuitu contrahuntur, ac perdurant, iſtis licèt mortuis qui eorundem auctores fuerant.

§. VIII. Conjunctæ fœderibus ſunt *Sponſiones* (1), quæ propriè vocantur iſta pacta, quæ à miniſtro ſummæ poteſtatis, circa negotia ad eandem ſpectantia, ſine ipſius mandato ineuntur. Quibus uti ſummus imperans non tenetur, niſi poſtquam eadem rata habuerit: ita, ſi miniſter eaſdem abſolutè contraxerit, & ratihabitio ſecuta non fuerit, ipſe viderit, quomodo ſatisfaciat illis, qui ejus fidem ſecuti inanibus pactis decepti ſunt (2).

§. VIII. (1) De his vide *Grotium*, *d. Cap. XV.* §§. 16. & 17. ubi duas præcipuas de Sponſionibus Quæſtiones conſiderat, & celebribus exemplis illuſtrat.

(2) Vide ſuprà, *Lib. I. Cap. IX.* §. 19. cum Obſervatione 1.

Ad hunc locum Auctoris, *de J. N. & G.* ſubjungit Cl. *Barbeyracius* diſſertationem, ex Cl. *Buddei Philoſ. Pract. Part. II. Cap. IV. Sect. V.* §. 19. & *ſeqq.* de Jure *Legationum:* qua de re nobis breviter ita videtur habendum. Obligatio admittendi Legatos, ubi graves cauſæ non obſtant, ſed imperfecta tantùm, eſt naturalis. Ubi ſunt admiſſi, eſt procul-dubio Naturalis Juris, ut nec ob controverſiam publicam qualemcunque, nec ob fidem & diligentiam quâ ſuæ Civitatis negotia adminiſtrant, Civitatis apud quam Legatione funguntur (modò à doloſis adverſus ipſam abſtineant machinationibus) animadverſioni

ſint

ſint obnoxii. Cætera Legatorum Privilegia malim cum *Grotio*, *Lib. II. Cap. XVIII.* Juri Gentium voluntario tribuere. Incolumitas verò Tubicinum, qui literas perferunt, ut & eorum quibus commeatus eſt conceſſus, in Bello etiam Civili, eſt Juris haud dubiè naturalis.

Quia hìc ſubjungit Auctor, in *J. N. & G.* aliud Caput *de Pactis Regum promiſcuis*, confer de iisdem *Grotium*, *Lib. II. Cap. XIV.*

Caput XVIII.

De Officiis Civium.

I. *Officium civis generale, ſpeciale.* II. *Generale, triplex.* III. *Erga rectores Civitatis, & Statum, quid?* IV. *Erga civitatem totam, quod?* V. *Erga concives, quod?* VI. *Specialium officiorum lex generalis.* VII. *Conſiliariorum Principis officia.* VIII. *Sacrorum miniſtrorum officia.* IX. *Profeſſorum artium officia.* X. *Judicum officia.* XI. *Præfectorum armorum officia.* XII. *Militum officia.* XIII. *Legatorum officia.* XIV. *Præfectorum Rei Nummariæ officia.* XV. *Officium civis quouſque duret?*

OFFICIUM Civium eſt, vel *Generale*, vel *Speciale*. Illud oritur ex communi obligatione, quâ iſti imperio civili ſunt ſubjecti. Hoc verò ex peculiari munere & functione, quæ per ſummum imperium ſingulis eſt injuncta (1).

§. I. (1) Vel etiam ab iis ſponte ſuſceptâ, quouſque Leges permittunt: neque enim neceſſum erat ea ſola hìc conſiderari Officia, quæ publicum Statum directè

§. II. *Officium generale* civium reſpicit, vel *Rectores civitatis*, vel *totam Civitatem*, vel *Concives*.

§. III. *Rectoribus civitatis civis debet* reverentiam, fidelitatem, & obſequium. Cui conjunctum eſt, ut idem præſenti ſtatu adquieſcat, neque ad res novandas animum adjiciat, neque alteri cuivis adhæreat magis, eundemve admiretur & veneretur; utque benè ac honorificè de iisdem, & eorum actionibus, ſentiat atque loquatur.

§. IV. *Erga totam Civitatem officium boni civis* eſt, ut ejus ſalute & incolumitate nihil habeat carius; ut vitam, opes, fortunasque ſuas, ad eandem ſervandam libenter offerat: ut ad eandem illuſtrandam, ejusque commoda promovenda, omnes ingenii & induſtriæ nervos intendat.

§. V. *Erga Concives civis officium* eſt, amicè & pacificè cum illis vivere, commodum ſeſe ac facilem præbere; nec moroſitate aut perficaciâ ſuâ turbas dare; cæterorum commodis non invidere, aut eadem intervertere.

§. VI. *Specialia officia*, vel per univerſam ſeſe remp. velut diffundunt, vel circa certam duntaxat partem occupantur. Circa quæ omnia hoc generale præceptum habetur;

directè reſpiciunt. Sed quæ hujus ſunt generis, ea ferè non tam egent multis verbis exponi, quàm pluribus vivis exemplis illuſtrari.

tur; *Ne quis ullum officium in rep. affectet aut ſuſcipiat, ad quod ſeſe ineptum deprehendit.*

§. VII. Qui *conſilio* ſuo *rectoribus civitatum adſiſtunt*, in omnes reip. partes aciem mentis convertant; quæ ex uſu reip. videbuntur eſſe, dextrè & fideliter, citra affectus ac pravos reſpectus, exponant; ſalutem reip. in omnibus conſiliis pro ſcopo habeant, non proprias opes, aut potentiam; pravis affectibus Principum adulando non velificentur; factionibus & coitionibus illicitis abſtineant: nihil quod dici oportet, diſſimulent; nihil quod taceri oportet, eliminent: exterorum corruptionibus impenetrabiles ſeſe præbeant; privatis ſuis negotiis aut voluptatibus publica negotia non poſthabeant.

§. VIII. *Qui publicè conſtituti* ſunt *ad Sacra obeunda*, in iiſdem gravitatem & attentionem adhibeant; vera de cultu Numinis dogmata proponant; eorum quæ ipſi docent populo ſeſe conſpicuum exemplar exhibeant; nec pravitate morum muneri ſuo dignationem, doctrinæ pondus, detrahant.

§. IX. *Queis publicè injunctum variarum ſcientiâ rerum animos civium imbuere*, nihil falſi aut pernicioſi doceant: vera autem ita tradant, ut auditores iis aſſentiantur, non tam adſuetudine audiendi, quàm quia ſolidas eorundem rationes perſpexerunt: omnia dogmata ad ſocietatem civilem turbandam directa fugiant; omnem ſcientiam huma-

nam inanem habeant, ex qua nulla in vitam humanam & civilem utilitas redundat.

§. X. *Qui Juri dicundo præficiuntur*, quibusvis facilem acceſſum præbeant; plebem ab oppreſſionibus potentiorum protegant; jus æquè pauperi & humili, quàm potenti & gratioſo, dicant; lites ultra neceſſitatem non extrahant; à corruptelis abſtineant; in cognoſcendis cauſis diligentiam adhibeant, omnesque affectus ſinceritatem judicii corrumpentes ſeponant; recte faciendo neminem timeant.

*[Qui cauſis orandis ſe addicunt, Juſtitiæ ſacerdotes, portum Eloquentiæ ſuæ ſalutarem non etiam Piratis patefaciant, ſed cauſæ maximè intuitu in Advocationem ducantur: cui ſuſceptæ fidelem navent operam; ſed ita, ut nunquam Cauſæ, magis quàm Veritati & Juſtitiæ, ſerviendum putènt; neque idcirco ſuſceptam cum melior videretur litem, cognitâ inter dicendum ejus iniquitate, dimittere dubitent, cum priùs litigatori dixerint verum: quo nec fallant vanâ ſpe litigantem, nec apud Judices injuſta ſcientes tueantur; ſeu factorum veri-

* Nemo, opinor, ægrè feret, quòd duos nobiles Literatorum Ordines, in quorum alterutrum Academicæ Juventutis bona pars ſperatur aliquando adſcribenda, noluerim in hoc Catalogo prorſus deeſſe; Quòd cauſarum patronos inprimis à Judicibus ſeparandos non cenſuerim; quorum & officium, ne quis rigidiùs id hìc definitum queratur, magni eorum Inſtitu-

veritatem pervertentes, ſeu de Jure id ſuſtinentes affirmare, quod ipſi è Tribunali judicantes, vel è Cathedra docentes, pronunciare erubeſcerent. Quâ demum Religione temperatum Advocati munus, Juſtitiæ adminiſtrandæ impedimento non erit, ſed adjumento.

Qui ægrotis ſanandis opem ſuam pollicentur, arti ſuæ cognoſcendæ, magisque ac magis excolendæ, tum etiam cujusque ægrotantis caſui inveſtigando, ſeriam ac ſedulam dent operam: Ex ſupervacua Curationis mora iniquam mercedem ne captent; ſed maximè idonea ſingulis remedia præſcribant; eadem ſc. omnia, quibus ipſi in ſimili caſu uterentur, quæve ſibi conjunctiſſimis propinarent.]

§. XI. *Quibus Armorum cura commiſſa*, militem diligenter & tempeſtivè exerceant, & ad tolerandos militiæ labores firment; diſcipli-

ſtitutoris *Quintiliani* (Libri XII. Cap. VII.) magis quàm meis verbis, deſcripſi. Quin & ejusdem officii agnitionem ipſi, qui tamen id non ſemper explevit, *Ciceroni*, Veritatis evidentia extorſit; cujus hæc apud *Ammianum* laudantur verba, *Lib. XXX. Cap. IV.* Quæ Fragmentorum Collectores ad IV. *Ciceronis* de Republica Librum referunt. *Cum nihil tam incorruptum eſſe debeat in Republica, quàm ſuffragium, quàm ſententia; non intelligo, cur qui ea pecuniâ corruperit, pœna dignus ſit; qui Eloquentiâ, laudem etiam ferat: mihi quidem hôc plus mali facere videtur, qui oratione, quàm qui pretio Judicem corrumpit, quòd pecuniâ corrumpere prudentem nemo poteſt, dicendo poteſt.*

ciplinam militarem ſartam tectamque habeant; milites hoſti jugulandos temerè non objiciant, annonam & ſtipendium, quantum in ſe, promtè procurent, nec de eo quidquam intervertant; milites ſemper, ut reip. faveant, curent, nec unquam eos ſibi adverſus rempublicam concilient.

§. XII. *Milites* contrà, ſtipendiis ſuis contenti ſint; ab expilandis & vexandis paganis abſtineant; labores pro tuenda rep. libenter & ſtrenuè obeant; pericula per temeritatem non arceſſant, per ignaviam non defugiant; fortitudinem in hoſtem, non in commilitones, oſtentent; ſtationem aſſignatam maſculè defendant; honeſtam mortem turpi fugæ & vitæ præferant.

§. XIII. *Quorum opera civitas apud exteros utitur*, cauti ſint & circumſpecti; inania à ſolidis, vera à fabuloſis, diſcernere callidi; ſecretorum tenaciſſimi; pro utilitate ſuæ civitatis adverſus quaslibet corruptiones obſtinati.

§. XIV. *Qui opibus civitatis colligendis, aut diſpenſandis præſunt*, caveant ab omni non neceſſaria acerbitate, nec ob proprium quæſtum, aut per petulantiam vel malignitatem animi, oneris quid adjiciant; publici nihil intervertant; quibus de publico quid ſolvendum, illis citra moras non neceſſarias ſatisfaciant.

§. XV. *Durat* autem civium ſpeciale officium, quamdiu in ea functione, ex qua

illud

illud profluit, conſtituti: quà ubi abeunt, & illud exſpirat. Generale itidem durat, quamdiu cives ſunt.

Cives autem *eſſe deſinunt*, vel ſi conſenſu expreſſo aut tacito civitatis diſcédant, & alibi ſedem fortunarum figant; vel ſi ob delictum in exilium ejiciantur, & jure civitatis priventur; vel ſi hoſticâ vi oppreſſi in victoris ditionem concedere adigantur (1).

§. Ult. (1) Hoc poteſt contingere, vel ſingulis, dum bello capti patriis ſedibus abducuntur; vel pluribus junctim, dum Regio, aut Urbs, in qua ſedem habent, bello occupatur. At priore modo, exploſâ inter Chriſtianos ſervitute bello captorum, Civitas hodie non amittitur: nec poſteriore modo, per meram occupationem bellicam, relatio partis avulſæ, ad Civitatem cujus pars fuit, ſtatim ſolvitur, ſed magis in Belli exitum ſuſpenditur. Atque omnibus modis h. §. recenſitis, deſinere quis poteſt eſſe Civis, ipsâ Civitate ſalvâ, licèt, in poſtremo caſu, anguſtioribus finibus incluſâ. Sed & deſinit unusquisque eſſe Civis, perditâ ipsâ Civitate: quod quibus modis fiat, vide apud Auctorem, *J. N. & G. Cap. ult.* §§. 8. & 9. & apud *Grotium*, *Lib. II. Cap. IX.* §§. 4. 5. & 6. Confer & *Lockium*, *Tract. poſter. de Imp.* §. 211. Cætéræ mutationes Civitatum, quæ à laudatis modò Auctoribus in iisdem Capp. deſcribuntur, civile vinculum non tollunt. Noto hìc obiter, exemplum SCOTORUM, quo utitur *Puffend. d.* §. 8. *in fin.* ſpeciei illìc propoſitæ non eſſe accommodatum: SCOTOS enim non fuiſſe à *Maximo* ita diſperſos, *ut coire ampliùs inter ſe nequiverint*, poſteà docuit eventus.

F I N I S.

SOLI DEO GLORIA.

APPENDIX,

Continens Theſes Ethicas contractas, quibus Moralis Diſciplinæ tradendæ ordo, ut nobis videtur, maximè naturalis ſuccinctè delineatur.

CUM in quavis ferè diſciplina, dogmatum tradendorum evidentia pendeat inprimis ab eorum nexu inter ſe, & cum certis quibus ſuperſtruuntur principiis, atque adeò ab ordine quo omnia invicem colligantur; priori noſtrarum in præcedentem Tractatum obſervationum editioni ſubjunxi Appendicem, in qua ordinem, quem in ſcientia morali tenendum Natura quaſi digito monſtrare nobis videtur, quouſque is à *Puffendorfiano* differt, rudi utcunque *Minerva* deſcripſi. Cum autem diſtinctior ejusdem idea ex aliqua, quantumlibet brevi, ipſius Diſciplinæ Synopſi, eodem ordine traditâ, colligi poſſe videatur; Synopſin ejusmodi qua-

qualemcunque ſequentibus Theſibus complecti ſum conatus; idque eò magis, quòd eædem alii ſimul uſui inſervire queant, utpote quæ, ad Textum *Puffendorfianum*, ut noſtris obſervationibus auctum vel emendatum, aut ad ipſa Supplementa noſtra, Lectorem referentes, paucis admodum verbis uberem ſatis materiam ordinariis Academicæ Juventutis Diſputationibus ſuppeditent.

Theſis I. Ut Homo ad felicitatem, ad quam juxta fundamentalem Naturæ ſuæ legem ſemper adſpirat, in ſingulis ſuis actionibus rectâ collineet viâ, neceſſe habet ad Amorem & Venerationem erga Summum Numen teſtandum eas componere; & quicquid in iis ejusdem neglectum vel odium prodere aptum ſit, religioſè fugere; *Suppl. I.* §§. 1-9. hoc eſt, Legi divinæ conformes, ſive moraliter bonas, eas præſtare. *Ibid.* §. 10.

II. Legis itaque directioni ſunt obnoxiæ, atque adeò moralis Bonitatis vel Malitiæ capaces, omnes & ſolæ actiones liberæ, earumve omiſſiones. *Suppl. I.* §§. 11. & 12. Confer Textûs *Puffendorfiani*, *Cap. I.* §§. 1-17. Quæ actiones vel omiſſiones, accidente demum Lege, fiunt actu *Morales*, atque adeò proximè imputabiles, *Suppl. I.* §. 13.

III. Quibus ex Capitibus æſtimanda ſit actionum noſtrarum Imputatio in foro DEI & Conſcientiæ, diximus, *Suppl. I.* §§. 14-18. Quæ verò actiones, & qui eventus, tanquam cum actionibus noſtris connexi, in foro humano imputentur, tradit *Puffend. Cap. I.* §. 18. *& ſeqq. ad finem.*

IV. Quamvis ſola Lex Divina per ſe obliget, ut

ut in eam omnis noſtrarum actionum moralitas ſit ultimò reſolvenda; haud tamen inutiliter conſiderari poſſunt, quæ de Lege in genere, atque inde deſumptis actionum qualitatibus, in *Cap. II.* tradit *Puffend.* eaque hìc loci ventilanda proponuntur.

V. Lex Divina; non ſolùm per ſigna poſitiva, ſed magna ex parte per ipſam rerum naturam, ſignificatur; quo pacto ſignificata, dicitur *Lex Naturalis;* eſtque hæc idcirco Lex verè divina, in cujus præceptis eruendis quum verſetur Ethica, eſt ea reipſa *Juris naturalis prudentia. Suppl. I.* §§. 19. 20. 21.

VI. Cum Homo debitum, vel indebitum, erga DEUM affectum actionibus ſuis teſtari poſſit, vel immediatè ac directè, vel mediatè ſeu indirectè; Officia Lege Naturali nobis præſcripta, alia ſunt immediata, alia mediata. *Suppl. II.* §. 1.

VII. Officia *immediata* omnia, quæ ſpecialiùs explicata vide apud *Puffend. Cap. IV.* ſummatim comprehenduntur in hoc uno, quod & *primum* ſtatuimus, Juris Naturalis præcepto, DEUM *eſſe colendum. Suppl. II.* §. 2.

VIII. Officiorum verò *mediatorum* ſumma in eo conſiſtit, ut *Quisque univerſi Humani Generis commune Bonum, & quoad hoc patitur, proprium ſingulorum, pro viribus procuret.* Quod vide oſtenſum, *Suppl. II.* §§. 3. 4. 5.

IX. Cum porrò ad humani generis commune Bonum ſpectent manifeſtè omnes iſtæ actiones, quibus quis ſibi, aut alii cuivis, ita benefacit, ut nullius alterius utilitatem lædat; hinc ſponte fluit *ſecundùm* Juris Naturalis præceptum, *Cuique Homini, cujusvis Hominis, & in ſpecie*

(cum

(cum quiſque ſibi plura, quâm alii cuivis, iſtiusmodi commoda comparare poſſit, cumque aliis debita officia ex præcepto *Socialitatis* deduci ſemper queant) *ſuam innoxiam utilitatem eſſe quærendam*, *Suppl. II.* §. 6. Confer *Puffend. Cap. V.* §. 1. 2. 3. & adde *Suppl. III.*

X. At quia diverſorum, atque adeò noſtra ac cæterorum, Hominum commoda non raró inter ſe colliduntur; ut, quid in hiſce caſibus humano generi in univerſum ſit utilius, dignoſcamus; advertendum eſt, ex indole & conditione Hominum in terris degentium (qualis ea deſcribitur ab Auctore, *Cap. 3.* §§. 1-7.) ſatis conſtare, Humano Generi, ut ſalvum ſit, neceſſum eſſe ut ſit *ſociabile;* unde ſponte fluit *tertium* Juris Naturalis præceptum, idemque omnium officiorum confligantes diverſorum Hominum utilitates reſpicientium commune Criterium, *Cuique Homini*, *quantum in ſe*, *colendam & ſervandam eſſe Socialitatem.* *Supp. II.* §§. 7-12. Confer ipſum Auctorem. *Cap. III.* §. 7. *& ſeqq.*

XI. Vitæ ſocialis cultura (ut conſtat ex rationibus allatis, *Suppl. II.* §§. 13. *& ſeqq.*) in eo conſiſtit, quòd quiſque Jus ſuum ita tueatur, ut cujusvis Juris, ſecundùm naturalis Æqualitatis Hypotheſin alii cuivis competentis, debitam rationem habeat. Unde colligimus, ad officii, cæterorum Hominum intuitu cuique incumbentis, limites definiendos, rectiore viâ nos incedere non poſſe, quam varia, quæ Hominibus, junctim aut ſeparatim, competunt, vel competere poſſunt, *Jura*, ex quibus ſuâ ſponte innoteſcunt correſpondentes *Obligationes*, ordine perpendendo.

XII.

XII. Jura, vel ſunt *Perfecta*, vel *Imperfecta*, *Cap. II.* §. 14. *Obſ.* 1. Utraque vel ſunt *ſingulorum Hominum* (aut Cœtuum, quæ tamen, cum ex communicatis ſingulorum Juribus reſultent, ſeparatim hic conſiderari non egent) vel *univerſi Humani Generis.*

XIII. Singulorum Hominum Jura perfecta, vel ſunt *Naturalia*, vel *Adventitia*. Jura *Naturalia* præcipua recenſuimus, *Obſ. in Cap. IX.* §. 1. iisque correſpondentem indefinitam obligationem Auctor inculcat, *Cap. VI.* §. 2.

XIV. Jura *Adventitia*, vel ſunt *Realia*, vel *Perſonalia*. Inter Jura Realia eminet (imo ubi eſt illibatum, quale ex originariis acquirendi modis reſultat, illa omnia complectitur) *Dominium:* de quo agit *Puffend. Cap. XII.* Juribus porrò realibus eandem quæ naturalibus indefinitam obligationem correſpondere, oſtendit *Cap. VI.* §. 3. & *Cap. XIII.* §. 1.

XV. Jura *Perſonalia* (quorum naturam & originem vide fusè expoſitam, *Obſ. in Cap. IX.* §. 1.) variis modis conſtituuntur; ſed præcipuè *Pacto*, ſive mutuo conſenſu, idoneis indiciis declarato, ejus adverſus quem, & ejus cui, acquiruntur. Qua de re agit Auctor, *Cap. IX.*

XVI. Ad Pactorum obligationem refertur, quæ & ipſa tacito ſaltem pacto fulcitur, obligatio non niſi vera narrandi: de qua *Cap. X.*

XVII. Tum Pactis, tum aſſertis, graviſſimum pondus accedit per *Jusjurandum*: de quo *Cap. XI.*

XVIII. Pacta, quæ circa res vel operas in commercium venientes, adeòque certo pretio æſti-

æſtimabiles (vide *Cap. XIV.*), verſantur, illa inprimis, quæ cum crebriùs occurrant, certis ſuis nominibus inſigniuntur, *Puffendorfio* appellantur *Contractus:* de quibus *Cap. XV.*

XIX. Sed & abſque Pactis (ſæpe ſolo facto ejus adverſus quem valent) Jura *Perſonalia* conſtituuntur variis modis; ut *Poſſeſſione rei alienæ*, *Cap. XIII.* §§. 2. *& ſeqq.*; item ex diverſis iſtis cauſis quæ *Quaſi Contractuum* veniunt nomine, *Suppl. IV.*

XX. Præcipuè verò ea naſcuntur ex delicto; eoque vel *præterito*, quatenus per illud damnum eſt datum, quod ejus reparandi (imo & ſi dolo datum ſit, non raró in poſterum cavendi) obligationem infert, *Cap. VI.* §. 4. *& ſeqq.*; vel *præſente*, quatenus per hoc, vel damnum intentatur, cujus avertendi, vel debitum denegatur, cujus extorquendi, cauſâ, violentia eſt neceſſariò adhibenda, *Cap. V.* §§. 5-17. Conſule in ſpecie *Obſerv.* in dict. §. 17. quæ, quod ad poſterius membrum, Supplementi vicem gerit.

XXI. Jura *Perſonalia* (præter ea quæ ad ultimam claſſem retulimus, quæ quouſque durent, vide dict. *Cap. V.* §§. 8. 9, 12.) ea præſertim quæ ex Pactis oriuntur, variis modis abolentur, *Cap XVI.* rec enſitis.

XXII. Sunt etiam quædam Jura, partim realia, partim perſonalia, ſed ſæpius & majori ex parte realia; quæ fundantur extra ordinem in ſingulari aliqua neceſſitate, *Cap. V.* §§. 18. *& ſeqq.*

XXIII. Sunt & Jura quædam perfecta, com-

munia (ut ſuprà dictum, Th. XII.) *Humani Generis* collectim ſumpti, ut perſonæ per ſucceſſiva ſæcula durantis; quæque ejus gratiâ & nomine, ſingulis Hominibus, in Statu Naturali, pleraque etiam in Civitate ubi res moram non fert, à DEO mandantur exequenda. Qualia ſunt, *Jus impediendi*, ne quis ſeipſum, vel alium, licèt volentem, ſine juſta cauſa occidat, mutiletve, *Cap. V.* §. 4. ne quis illicito aut vago utatur concubitu, *Lib. II. Cap. II.* ne quis res humanis uſibus à natura conceſſas, quæque aliis uſui, præſertim diuturniori, eſſe poſſunt, citra neceſſitatem diſperdat, aliove quocunque modo viventibus aut Poſteris manifeſtum damnum inferat: ne quis itém mortuis debitam reverentiam violet. Jus denique, contra Naturæ Legem atrociter delinquentes corporaliter *puniendi* (vid. *Obſerv. in Cap. V.* §. 17. & in *Lib. II. Cap. XIII.* §. 5.) quod tamen in Civitate à ſingulis ad Imperantem devolvi, diximus, ad *Lib. II. Cap. VII.* §. 1.

XXIV. Sunt & Jura *Imperfecta*, eaque tum *Indefinita, Cap. VIII.* §. 2. tum *Definita*, ejusdem Capitis, §. 4. *& ſeqq.*

XXV. Cum plurima Hominum Officia aut Legibus poſitivis aut Pactis circumſcribantur, atque adeò à recta verborum, quibus ea concipiuntur, interpretatione pendeant; *Regulæ interpretandi*, inprimis quatenus Leges & Pacta reſpiciunt, haud immeritò in Juris Naturalis Diſciplinâ locum vendicant: quas vide explicatas *Lib. I. Cap. ult.*

XXVI. At præter *generalem* iſtam Societatem, cujus vinculo omnes inter ſe Homines

Natura conjunxit; ſunt & *particulares* quædam eæque arctiores Societates, quibus certos Homines inter ſe eorum Neceſſitas vel Utilitas. interveniententibus ferè quibusdam ipſorum factis, devinxit; quarumque ineundarum finis poſtulat, ut alter alteri imperet, hic illi viciſſim obtemperet. Collineant autem hæ Societates, vel ad indigentias mutuò ſupplendas, vel ad præſidium adverſus injurias parandum: illi fini per minores ferè, & inprimis per *Domeſticas* Societates, conſulitur; huic per majores, quæ *Civitates* vulgò audiunt: utrobique Status *Adventitius Naturalis* ſuperinducitur. Libri Secundi *Cap. I.*

XXVII. Inter particulares Societates, primo loco venit *Conjugalis*, utpote quæ Generis Humani eſt Seminarium. Hujus Leges & fluentia inde officia deſcribuntur, *Cap. II.*

XXVIII. Ex conjugio provenit *Proles*; interque eam & Parentes mutuæ Obligationes; de quibus *Cap. III.*

XXIX. Effecerunt quoque diverſæ Hominum Conditiones, ut mutuis Pactis, quibus utriusque Partis utilitati conſuleretur, in familias adſciſcerentur *Servi;* dum alii etiam inviti in ſervilem Conditionem ſunt detruſi, *Cap. IV.* quorum tamen poſterius quàm rarò jure fiat, notavimus *ibid.* ad. §§. 4. 5. 6.

XXX. Quantumvis nihil ſit vel Utilitatis vel Suavitatis in humana vita expetibile, quod ex Officiorum generalium, & eorum quæ ex domeſtica Societate fluunt, alacri & univerſali præſtatione obtineri non poſſe videatur; effecit

Civium *Vitas* & *Corpora*, *Cap. XIII.* ad eorum *Exiſtimationem*, *Cap. XIV.* & Res, *Cap. XV.*

XXXVII. Sub Poteſtate Fœderativa, continetur facultas Bellum indicendi, Pacem componendi, *Cap. XVI.* & utrique inſervientia Fœdera contrahendi, *Cap. XVII.*

XXXVIII. *Officia* Summorum Imperantium deſcribuntur *Cap. XI.* ut & Civium, tum generalia, tum ſpecialia, *Cap. XVIII.*

F I N I S.

INDEX RERUM.

Prior Numerus eſt Libri, Secundus Capitis, ultimus Paragraphi.

A.

Acceptatio neceſſaria eſt in omni Pacto, I, 9, 16.

Acceſſiones. Acceſſorium quod ſit, & cui cedat? I, 12, 7.

Acquirendi modi originarii & derivativi, I, 12, 5.

Acquiſitio Imperiorum, II, 10, 1. *ſeqq.*

Actio humana, quid; I. 1, 2. Actionum Humanarum principia, I, 1, 3. Subordinatio, I, 1, 9. Conditio neceſſaria, ut Actionis quis verus Auctor dici poſſit, I, 1. 10. Diviſiones variæ, I, 1, 16. *ſeqq.* Actiones mixtæ, *ib.* Actiones quæ imputentur? I, 1, 18, *ſeqq. Suppl. I.* 14, 16. Actiones quæ extra commercium, I, 14, 3. Actionum moralium qualitas & differentia; I, 2, 11, *ſeqq. Suppl. I.* 10. Actiones quæ moralitatis capaces, *Suppl. I.* 11. & 12.

Actionem habent Leges Naturales à Jure Civili, II, 12, 4. *ſeq.*

Addictio in diem, I, 15, 9.

Aditio Hæreditatis, *Suppl. IV.* & 5.

Adpeditum Humanum ſtimulantia, *Suppl. III.* 5, 6, 7.

Adulatio, I, 1, 27.

Adulterio ſolvitur Matrimonium, II, 2, 6.

Advocatorum officia, *Sup. ad* II, 18.

Aggreſſor. Non ſemper ad extrema veniendum, contra injuſtum Aggreſſorem, I, 5, 7. Aggreſſor

greſſor quando acquirat jus tutelæ inculpatæ, I, 5, 17.
Æqualitas Hominum communis, I, 7, 1. In quibus conſiſtat, I, 7, 2. In ſtatu naturali viventium, II, 1, 8.
Æqualitas in contractibus onerosis ſervanda, I, 15, 3.
Æquitas, I, 2, 10. I, 17, 12.
Ærarium. II, 7, 7, & II. 15, 6.
Ætas paciſcentium, I, 9, 11.
Affectus quid poſſunt in moralibus, I, 1, 14. circa eos Hominis officium, *Suppl. III.* 8 - 12.
Aleam continentes contractus, I, 15, 13.
Aleæ an committendum, *Suppl. III.* 4.
Aliena in caſu extremæ neceſſitatis licet eripere, item perdere, I. 5, 23, 34.
Aliena quatenus imputentur, I, 1, 18, *ſeqq.* circa aliena obligatio quatenus procedat, I, 9, 19.
Alienatio Regni quatenus licita, II, 15, 6.
Aliorum utilitatem quomodo quis promoveat, I, 8, 1. *ſeqq.*
Alumni obligatio erga altorem, *Suppl. IV.* 7.
Amor, *Suppl. III.* 9.
Anima mundi Deus non rectè vocatus, I, 4, 3.
Animi cultura quid requirat, I, 5, 2. *Suppl. III.* 2. propter Socialitatem neceſſaria eſt, I, 8, 3.
Animoſitate decet nos obfirmare, I, 5, 8.
Antichreſis, I, 15, 15.
Appetitus quomodo coercendus. *Suppl. III.* 5. & *ſeqq.*
Arbitrium liberum voluntatis, I, 1, 9. *Suppl. III.* 3.
Arbitri in cauſis Gentium, II, 1, 10.
Ariſtocratia, II, 8, 3. ejus vitia, II, 8. 7.
Artes quatenus ad Officia Hominum ſpectent, *Sup. III.* 4.
Aſſecuratio, I, 15, 13.
Aſtrologia judiciaria veris principiis Religionis & Ethices repugnat, I, 4, 4. *in Obſerv.*
Atheiſmus, I, 4, 2. *ſeq.* Societati humanæ perniciosimus, I, 4, 9.
Auctio, I, 15, 9.
Averſio, emptio per Averſionem, I, 15, 9.

B.

Belli & Pacis Jus, ii, 7, 5, & II, 16, 1. Belli juſtæ cauſæ, II, 16, 2.
Bellum offenſivum & defenſivum, *ibid* Solenne & minùs ſolenne, II, 16, 7.

Bellica licentia, II, 16, 12.
Bellicæ acquiſitiones, I. 12, 14. & II, 16, 13. Regnorum, II, 10, 2. & II, 16, 14.
Beneficentia, & beneficia innoxiæ utilitatis, I, 8, 4.
Beſtiæ dominus tenetur damnum ab illa datum reſarcire, I, 6, 12. Fundamentum Juris quod Homo habet in beſtias. I. 12, 1.
Bona Civitatum publica, II, 15, 5.
Bona, an cum internecione Invaſoris poſſint defendi, I, 5, 16.
Bona in Civium quale Jus ſummo Imperanti competat, II, 15, 2, 3, 4.
Bona quæ manſerint communia, I, 12, 4.
Bonis aliorum abſtinendum, I, 13, 1. quando liceat ea perdere, I, 5, 24. an liceat de illis contrahere, I, 9, 19. Eorum bonæ fidei poſſeſſor ad quid obligetur, I, 13, 2, *ſeq.*
Bonitas Actionis in quo conſiſtat, I, 2, 11.
Bonitas à Juſtitia quomodo differat, I, 2, 13.
Bonorum differentia, I, 1, 11.

C.

CAſus rariores quis in locatione conductione præſtet, I, 15, 10.
Caſuum ancipitium exempla, I, 5, 20.
Caſuum fortuitorum præſtatio, I, 6, 10.
Cauſarum concurſus, I, 6, 7.
Cautionis obligationes, I, 15, 14.
Charitas, *vid.* Humanitas.
Cives qui propriè, II, 6, 13. Civis bonus quis, II, 5, 5. Civium officia, II, 18, 1, *ſeq.*
Civitatis definitio, II, 6, 10. ejus voluntas quomodo ſe exerat, II, 6, 11. Quomodo deſinat quis eſſe Civis, II, 18, 15.
Civitatum conſtituendarum cauſæ, II, 5, 7. Structura interna, II, 6, 1, *ſeqq.* finis II, 7, 3.
Coactio duplex, I, 1, 16.
Coactum ſynonomum inviti, *ibid.*
Coactus quæ quis agit, non imputantur, I, 1, 24.
Cœlibatus, II, 2. 3.
Cognitio ſui ipſius; *Suppl. III.* 4.
Colliſio Legum Divinarum & Humanarum, item, contrariarum in genere, I, 17, 13. I, 5. 18.
Commercio res quædam exemptæ, I, 14, 3.
Commerciorum Leges generales, I, 14, 6.
Commodatum, I, 15, 6.

Com-

Communio primæva, I, 12, 2. quomodo ab ea diſceſſum, *ibid.*
Communio rerum quas pareat obligationes, *Suppl. IV.* 9.
Communione in primæva an quædam permanſerint, I, 12, 4.
Communis res, I, 12, 3. quomodo habenda, & à Communione diſcedendum I, 7, 4.
Compenſatio, I, 16, 2.
Conditio promiſſorum & pactorum, I, 9, 20. Tacita ineſt Juramentis I, 11, 8.
Conditiones obligationum quotuplices, I, 9, 20.
Condonatio debiti, I, 16, 3.
Conjecturæ in Interpretatione ſenſûs ambigui, unde petantur; I, 17, 4.
Conjugalis Societas, II, 2, 1. & *ſeqq.*
Conjugum officia, II, 2, 10
Conſcientia quid, & quotuplex, I, 1, 5. *ſeqq.*
Conſenſus in pactis neceſſarius, I, 9, 8. Signis exprimitur, I, 9, 9, & *ſeq.* debet eſſe mutuus, I, 9, 16.
Conſenſus Parentum in nuptiis Liberorum, cur requiratur, II, 3, 10.
Conſiliariorum officia, II, 18, 7.
Conſilium datum ad delictum, quando obliget, I, 1, 27.
Conſuetudinis efficacia in moralibus, I, 1, 13.
Contemptus aliorum vitandus, I, 7, 6.
Contractus, quid? I, 15, 1.
Contractuum alii benefici, alii oneroſi, I, 15, 2.
Contradictiones apparentes quomodo conciliandæ, I, 17, 4.
Conventio, quid? I, 9, 1. & vide *Obſerv.* quid requiratur; ut ſi valida, I, 9, 8.
Conventiones tacitæ, I, 9, 9.
Corporis cultura, quid exigat, I, 5, 3, *ſeq.* propter Socialitatem neceſſaria eſt, I, 8, 2.
Correalis obligatio, I, 6, 7, *ſeq.*
Crimen alterius an alterum ſubdat pœnæ, II, 13, 19.
Criminis qualitas ut diſcernatur, II, 13, 16.
Culpa, I, 2, 15. quomodo præſtetur, I, 6, 9.

D.

Damna data reſarcienda ſunt, I, 6, 4. Damni variæ Acceptationes, I, 6, 5. quot modis Damnum detur &

& reparetur, I, 6, 7, *ſeqq.*
Defenſio inculpata, I, 5, 5, *ſeqq.*
Delegatio, I, 16, 9.
Delicta pœnis humanis exempta, II, 13, 15.
Delictorum gravitas unde æſtimetur, II, 13, 16.
Dementia, an contractus reddat nullos? I, 9, 10.
Democratiæ indoles, II, 8, 3. Vitia, II, 8, 8.
Depoſitum, I, 15, 7.
Deſertæ Terræ quomodo occupandæ, I, 12, 6.
Deſertio malitioſa rumpit Matrimonium, II, 2, 6.
DEUS Legis Naturalis Auctor, I, 3, 11. *Suppl. I.* 20. *Suppl.* 10. erga eum Hominis officia, I, 4, 1, *ſeq.* quales Ideas de eo habere debeamus, I, 4, 2, *ſeq.* in quo conſiſtat cultus ipſi debitus, I, 4, 6, *ſeq* Providentiâ ejus mundus regitur, I, 4, 4. Divinorum Attributorum expreſſio, I, 4, 5.
Diſpenſatio, I, 2, 9.
Diſſimulatio, an licita? 10, 4.
Diviſio rerum, quomodo cœperit, I, 12, 2.
Diviſionis rerum communium regulæ, I, 7, 4.
Divitiæ ut quærendæ, *Suppl. III.* 6.
Divortii cauſæ, II, 2, 6.
Doctorum publicorum officia, II, 18, 8, 9.
Doctrinæ publicæ ad Civitatis bonum comparatæ eſſe debent, II, 7, 8. & II, 11, 4.
Dogmata religioni & morum probitati adverſa, *Obſ.* in I, 4, 4, 5.
Dolus in conventionibus interveniens, I, 9, 13.
Domeſtici, II. 4, 2, *ſeq.*
Dominiorum introductio, indoles, I, 12, 2, & 3.
Dominium eminens, II, 15, 4.
Dominium. Ex Dominio reſultantia officia, I, 13, 1, *ſeq.*
Dominorum officia, II, 4, 1, *ſeqq.*
Donationes, I, 12, 13.
Donatio reciproca, I, 15, 8.
Dorophagia in Judicibus & miniſtris non toleranda, II, 11, 9.
Duellum non habet favorem legitimæ defenſionis, I, 5, 13.

E.

Ebrietas animi morbus, I, 1, 15. Ebrietas conſenſum in promiſſis impedit, I, 9, 10.
Electitia Regna, II, 10, 3.
Emtio venditio, I, 15, 9.
Error, quid & quotuplex? I, 1, 7. Conſenſum impedit,

pedit, I, 9, 12. Regulæ circa Errorem in Conventionibus occurrentem, *ibid.*
Eventus rerum dubii; *Suppl. III.* 4. quando nos obligent, I, 1, 18. adverſus eos ſolatium, *Suppl. III.* 4.
Exequi an licet mandata Principis injuſta? II, 12, 8.
Exiſtimatio ſimplex & intenſiva, *Suppl. III.* 5. II, 14, 1, *ſeqq.* Illius integritas Homini maximè curanda, I, 7, 6. & *Sup. III.* 5.
Expromiſſor, I, 15, 14.
Extra nos poſita quomodo conſideranda & tractanda, *Suppl. III.* 4.

F.

Fati Stoici dogma Religioni an adverſum, I, 4, 4. in *Obſerv.*
Favorabile, quid? I, 17, 9.
Felicitas civilis, II, 1, 9.
Felicitas quibus actionibus proſequenda, *Sup. I.* §§. 1-9. Summa in quo conſiſtat, *Suppl. I.* 5.
Fictiones quædam an permiſſæ? I, 10, 6.
Fictus ſermo omnis an ſit mendacium? I, 10, 9.
Fidejuſſio, I, 15, 14.
Fœdera æqualia & inæqualia, realia, perſonalia, II, 17, 1, *ſeqq.*
Fœderum Jus, II, 7, 5.
Fœdus inter Deum & Hominem, *Præf.* §. 5.
Fœminæ an ſubſint viris, II, 2, 4.
Fortunam fabricare pro lubitu non poſſumus, *Suppl. III.* 4.
Fructus: In fructibus etiam damnum datur I, 6, 6.
Fructuum æſtimatio, *ibid.* circa Fructus quousque teneatur bonæ fidei poſſeſſor, I, 13, 4.
Fugam quandoque intermittere licet, I, 5, 13.
Fungibilia quæ, I, 15, 11.
Furioſi promiſſio, I, 9, 10.
Furioſus Aggreſſor, I, 5, 10.
Furtum in caſu neceſſitatis non eſt, I, 5, 23.

G.

Generoſitas, I, 7, 5.
Gloria, *Suppl. III.* 17.
Gradus in matrimonio prohibiti, II, 2, 8.
Gratia quando delinquenti poſſit concedi, II, 13, 15.
Gratitudo, I. 8, 6. erga viros egregios, I, 8, 3.

H.

Habitus I, 1, 13.
Homicidium licitum, I, 5, 7, *ſeqq.*
Homo naturâ animal miſerri-

ferrimum & nocivum, I, 3, 3, 4, *ſeqq.* II, 1, 9, 11. & ferox, II, 5, 6, ſed & ſociabile, I, 3, 3, *ſeqq.*
Hominem eſſe quanta dignatio, I, 7, 1.
Hominis Jus in creaturas, I, 12, 1.
Hominum diverſus appetitus, I, 1, 11. I, 3, 6.
Honor quid, I, 4, 6. quomodo circa eum ſe homo gerere debeat, *Sup. III* 5, *II.* 14, 11.
Humanitas à Juſtitia quomodo differat, I, 2, 14, I, 9, 5.
Humanitatis officia promiſcuè præſtanda, I, 8, 1, *ſeqq.*
Humilitas Generoſitatis comes, I, 7, 5.
Hypotheca, I, 15, 15.

I.

IGnorantia quid & quotuplex, I, 1, 8. Invincibilis in præceptis Juris naturalis obtendi nequit, I, 1, 4, quatenus imputetur, I, 1, 20. *ſeqq.*
Illicitorum nulla eſt obligatio, I, 9, 18.
Imperantium Summorum officia II, 11, 1, *ſeqq.*
Imperii Summi ſanctimonia, II, 9, 4.
Impoſſibilia non imputantur, I, 1, 23, & eorum nulla obligatio, I, 2, 8, I, 9, 17, I, 11, 6.
Impoſſibilis conditio quid operetur, I, 9, 20.
Imputationis Regulæ, I, 1, 18. *ſeqq.*
Imputativitas Actionum humanarum, I, 1, 17.
Inclinatio naturalis, I, 1, 12.
Indictio ad Bellum ſolenne requiſita, II, 16, 7.
Induciæ, II, 16, 15.
Infamis vita quæ, II, 14, 8, *ſeqq.*
Infantes. Cur verberentur, I, 1, 25, An promiſſis validè obligari poſſint, I, 9, 10, *ſeq.*
Ingenii humani diverſitas, I, 1, 11. I, 3, 6. unde ſit in diſtinctis nationibus, I, 1, 12.
Ingratitudo. Ingrati actio non datur, I, 8, 7. *ſeq.*
Injuria, I, 2, 15. *Vide* Contemptus.
Inquietudo animo ejicienda, *Suppl. III.* 4.
Integritatis ſtatus an reſpiciendus in Jure naturæ, *Præfat.* §. 8. *ſeq.* I, 3, 11.
Intellectûs humani in principiis moralibus cognoſcendis rectitudo, I, 1, 4. Ad quid in moralibus conducat, *Suppl. III.* 1, 2.
Intemperantia, I, 5, 3.
Interpretatio quid & quo-

quotuplex ; ejus Regulæ, I, 17, 1, ſeqq.
Interpretatio Juramentorum, I, 11, 8.
Interregnum, II, 10, 4.
Inventio rerum amiſſarum, I, 13, 5. I, 12, 6,
Invidia, Suppl. III. 10.
Invita Actio, I, 1. 16.
Ira, Suppl. III. 10.
Judices dorophagos Principes ferre non debet, II, 11, 9.
Judiciaria poteſtas, II, 7, 4.
Judicum officia, II, 18, 10.
Jura naturalia adventitia, realia, perſonalia, Obſ. in I, 9, 1.
Juris naturalis limites deſignati, Præfat. §. 1. & ſeqq.
Juramentum quid & quæ jurantium obligatio, I, 11, 1, ſeqq. Accommodandum ad jurantis religionem, I, 11, 4. Non producit novam obligationem, I, 11, 6. Dolo metuque exactum, ibid. Ex mente deferentis interpretationem accipit, I, 11, 8.
Jus Gentium à Jure Naturæ an differat & quomodo, Obſ. in II, 16, 7.
Jus Hominum in res & animalia, I, 12, 1.
Jus Naturale quatenus Leges civiles afficiant, II, 12, 7.
Jus perfectum & imperfectum, I, 2, 14. I, 6, 5, I, 9, 4. Ad Honorem II, 14, 14, ſeq.
Jus vitæ & necis, II, 13, 1, ſeqq.
Juſtitia attributum perſonæ vel actionum, I, 2, 12.
Juſtitiæ & Bonitatis diſcrimen, I, 2, 13.
Juſtitia vel eſt univerſalis, vel particularis, I, 2, 14.

L.

Læſio omnis injuſta prohibita, I, 6, 2.
Lætitiæ affectus, Suppl. III. 11.
Legatorum officia, II, 18, 13.
Leges Civiles, II, 12, 1, ſeqq. Sanctio earum pœnalis, II, 12, 4. accommodant actionem Legibus naturalibus, II, 12. 5. & negotiis humanis certam formam adſignant, II, 12, 7.
Leges circa Bona Civium, II, 15, 2, ſeqq.
Legis neceſſitas, definitio, partes, diviſio, I, 2, 1, ſeqq.
Legis naturalis fundamentalis propoſitio, I, 3, 9. Suppl. II. 1. & ſeqq. quomodo ea dicatur Natu-

Naturâ nota, I, 3, 12. & Cordibus Hominum inſcripta, *ibid.* non ſufficit coercendæ Hominum malitiæ, II, 5, 8. II, 12, 3.
Legiſlator unde cognoſcatur, I, 2, 6.
Legiſlatoria poteſtas, II, 7, 2.
Legum naturalium Obligationes, cur non omnes actionem producant, II, 12, 5.
Legum naturalium ſanctio, *Suppl. I.* 9. *Suppl. II*, 1, 1.
Lex Commiſſoria, I, 15, 9, & 15.
Lex Divina quid, *Suppl. I.* 10.
Lex poſitiva naturalis, I, 2, 16. *Suppl. I.* 19.
Liberi, an matrimonium abſque Parentum conſenſu contrahere poſſint, II, 3, 10.
Liberi qui vocentur, I, 11, 12.
Liberos an vendere oppignorareque Pater poſſit, II, 3, 9.
Libertas voluntatis I, 1, 9. Homini quo ſenſu aſſerenda, Obſ. in dict. §. Ejus rectus uſus verum Homini dat pretium, I, 7, 5.
Licitum quid ſit, I, 2, 11.
Lites quomodo in ſtatu naturali tollantur, II, 1, 10.
Lites ſuper ſucceſſionibus Regnorum quis componere debeat, II, 10, 12.
Locatio conductio, I, 15, 10.
Lotaria, I, 15, 13.
Ludi quibus pretio certatur, *ibid.*

M.

Magiſtratus creandi poteſtas, II, 7, 6. circa eos Principis officium, II, 11, 9.
Majeſtas quomodo à Deo ſit, II, 6, 14.
Majeſtatis jura & partes, II, 7, 1, *ſeqq.* Affectiones, II, 9, 1, *ſeqq.*
Majora vota, II, 6, 12.
Mandatariorum interventu contracta obligatio, I, 9, 21.
Mandatum, I, 15, 5.
Marito uxor debet fidem & ſubſidium, non imperium, II, 2, 4.
Mater an poteſtatem in prolem habet, II, 3, 3.
Matrimonium, II, 2, 1, *ſeqq.* an ad id obligemur, II, 2, 3. Liberorum

rum an egent conſenſu Parentum, II, 3, 10.
Media circa, quomodo homini procedendum, I, 1, 9.
Medicorum officia. *Suppl.* ad II, 18.
Membrorum defenſio, I, 5, 14.
Membrum abſcindere aliquando licet, I, 5, 19.
Mercatura, I, 15, 18, 9.
Mercenarii, II, 4, 2, *ſeq.*
Mendacium, I, 10, 8.
Meritorum vera indoles, *Suppl. III.* 3.
Metalla receperunt pretium eminens, I, 14, 8.
Metus *Suppl. III.* 10. circa pacta obveniens I, 9, 14, *ſeqq.* Juramenta metu exacta, I, 11, 6.
Militis officia, II, 13, 2. II, 18, 11, *ſeq.*
Miniſtrorum qui ſacris operantur officiis, II, 18, 8.
Miniſtrorum Principum officia, II, 7, 6. circa eos Principis officium, II, 18, 7. II, 11, 9.
Minorum obligationes, I, 9, 11.
Mixtæ actiones, I, 1, 16.
Monarchia, II, 6, 11. ejus vitia, II, 8, 3.
Moneta, I, 14, 7, *ſeq.*
Moralis ſcientiæ principiorum evidentia, I, 1, 4, & 7.
Moralitas actionum, I, 2, 11. in quo ſita, *Suppl. I.* 13. Ex quibus capitibus eſt æſtimanda, *ibid.* §§. 14-18.
Morbi, I, 1, 15.
Morbi Rerumpublicarum, II, 8, 5.
Mundus cur non æternus, I, 4, 3.
Mutuum, I, 15, 11.

N.

Nationes diſcrepant moribus, I, 1, 12.
Natura non eſt ipſe Deus, I, 4, 3.
Naufragis quid in neceſſitate liceat; I, 5, 20. *ſeq.*
Nauticæ Leges, I, 5, 24.
Neceſſitatis Jus, I, 5, 18.
Negligentia obligat ad damni reparationem, I, 6, 9.
Negotiorum geſtio quas pariat utrinque obligationes, *Suppl. IV.* 6.
Noxæ deditio, I, 6, 11.
Nummus ſuſtinet rerum pretia, I, 14, 2. Ejusque valorem definiunt Summi Imperantes, I, 14, 9.
Nuptiarum impedimenta & ſolennia, II, 2, 8, 9.

O.

O.

OBbligatio quid, & quæ ejus indoles, I, 2, 3, ſeqq. Perfecta & Imperfecta, I, 2, 14, & ſeq. I, 6, 5, I, 9, 4 quomodo tollatur, I, 16, 1, ſeqq.
Occaſionis requiſita, I, 1, 22.
Occupatio, I, 12, 6. Bellica regni, II, 16, 14.
Oceanus vaſtus eſt in Communione primæva, I, 12, 14. & extra Commercium, I, 14, 3.
Ochlocratia, II, 8, 11.
Odioſum quid? I, 17, 9.
Odium, *Suppl. III.* 11.
Officia ex tribus fontibus haurienda, *Præf.* §. 1.
Officia Hominis erga Deum I, 4, 1. ſeqq. *Suppl. II.* 2. Erga ſeipſum, *Suppl. III.* 1. & ſeqq. Erga Socios, I, 6, 1. *Sup. II.* 7. & ſeqq. Appendix, Theſ. 1. & ſeqq. Humanitatis promiſcua, I, 8, 1, ſeqq.
Officia Hominum quot Scientiæ doceant, *Præf.* §. 1.
Officia Lege Naturæ præſcripta generalia, I, 3, 13.
Officium quid, I, 1, 1. Diviſio Officiorum juxta Jus Naturæ, I, 3, 13.
Oligarchia, II, 8, 11.
Olla Fortunæ, I, 15, 13.
Omiſſio an imputetur, I, 1, 22, *Suppl. I.* 15, 16.
Opes circa, quid Hominis ſit Officium, *Suppl. III.* 6.
Opiniones an Principi ſubjectæ, II, 7, 8.
Otioſi reprehenduntur, I, 8, 2.

P.

PActa Civitatem conſtituentia, II, 6, 7, 8.
Pacta Contractibus adjecta, I, 15, 9.
Pacta tacita, I, 9, 9.
Pactorum & Contractuum differentia, I, 15, 1.
Pactorum materia, I, 9, 17, 18, 19.
Pactorum neceſſitas, I, 9, 2. Fides neceſſaria, I, 9, 3. requiſita, I, 9, 8.
Pactum quid, I, 9, 1, ſeqq. & illic in Obſerv. I, 15, 1.
Parentum Jus & Officia, II, 3, 9, ſeqq.
Paſſiones, I, 1, 14. *Suppl. III.* 8. ſeqq.
Patria Poteſtas, II, 3, 1. ſeqq. quousque ſe extendat, II, 3, 4.
Patrimonium Principatûs & Reipublicæ, II, 15, 5.
Pax, II, 16, 17.
Peccata jocularia nulla haben-

habenda, *Obſ.* in I, 4, 5.
Peccata non punibilia in foro humano, II, 13, 11.
Periculis quando fas ſit ſe exponere, I, 5, 4.
Permiſſio quid, I, 2, 11.
Permutatio, I, 14, 1. & 7. & 9. I, 15, 8.
Perturbatio animi aliquando excuſat, I, 5, 13.
Phantaſia, I, 1, 6.
Philautia humana, I, 3, 2. I, 5, 1. Colliſa cum ſalute Socii, I, 5, 5, 18. I, 6, 2. I, 7, 6. II, 1, 8.
Pignus, I, 15, 15.
Piſcatio, I, 12, 6.
Pœnæ, II, 7. 3. II, 11, 7, *ſeq.* II, 13, 3, *ſeqq.* earum finis, II, 13, 7.
Pœnæ quando exaſperandæ, II, 13, 17.
Polygamia, II, 2, 5.
Poſſeſſionis favor; II, 16, 3.
Poſſeſſor bonæ fidei ad quod obligetur, I, 13, 2, *ſeqq.*
Poſſibile in moralibus temperamentum habet, I, 1, 18.
Poteſtas in Prolem an etiam matri competat, II, 3, 3.
Poteſtas Legiſlatoria; Coactiva, Judiciaria, Belli & Pacis. Fœderum pangendorum, &c. II, 7, 2, *ſeqq.* Abſoluta, II, 9, 5. Limitata, II, 9, 6.
Præcedentia Principum & Populorum, II, 14, 15.
Præſcriptio, I, 12, 15.
Pretia quis definiat, I, 14, 5.
Pretii pars dies, I, 14, 6.
Pretium Affectionis, I, 14, 4.
Pretium quid? ejus diviſio, I, 14, 1, 2. ejus intenſio & remiſſio, I, 14, 4.
Pretium eminens in metallis, II, 14, 8.
Principia Actionis humanæ, I, 1, 3.
Principum ſtudia, II, 11, 2.
Prior tempore, potior jure, I, 9, 19.
Procuratoris Contractus, I, 9, 21.
Profeſſionem vitæ aliquam amplecti par eſt, *Suppl. III.* 14. I, 8, 2.
Profeſſores, II, 18, 9.
Promiſſi gratuiti & Pacti differentia, I, 9, 5.
Promiſſio perfecta & imperfecta, I, 9, 6.
Promulgatio Legum ad obligationem producendam neceſſaria, I, 2, 6. in quibus conſiſtat, *ibid.*
Propagatio Generis Humani, an, & quomodo inſtituenda, II, 2, 3.
Proprietas rerum quomodo

do introducta, I, 12, 2.
Proſecutio ſui juris violenta, *Obſ.* in I, 5, 17.
Protimiſeos Jus, I, 15, 9.
Providentia Dei, I, 4, 4.
Prudentiæ civilis œconomia, *Suppl. III.* 4.
Publicè utilibus gratia habenda, I, 8, 3.
Pudicitiæ defenſio, I, 5, 15.
Pupilli obligatio erga Tutorem, *Suppl. IV.* 6.

Q.

Qualitates naturales, an imputentur? I, 1, 19.
Quantitates, I, 15, 11.
Quaſi Contractus, *Suppl. IV.* 1. *ſeqq.*

R.

Ratio inveſtigat Legem Naturæ, I, 3, 12.
Rationis imbecillitas in Pueris, an Terminum habeat Jure Nat. I, 9, 11.
Rationis uſu carentes, an obligentur, I, 1, 25. I, 9, 10.
Regiminis variæ formæ, II, 8; 1, *ſeqq.*
Regio deſerta quomodo occupanda, I, 12, 6.
Regna patrimonialia, II, 10, 6. II, 9, 7.
Regnum an alienable, II, 15, 6.
Religio naturalis eſt fundamentum Juris Nat. ultimum & remotum, I, 3, 9. I, 4, 9. *Suppl. III.* 1. Intra hanc vitam an terminetur, I, 3, 13. I, 4, 8. Quæ ejus capita, I, 4, 1. *ſeqq.* abſolvitur cultu externo & interno, I, 4, 6. Non tamen ſola ſufficit reprimendæ Hominum Malitiæ, II, 5, 8.
Religionis falſæ ideæ, Obſ. in I, 4, 4, 5.
Repreſſaliæ, II, 16, 10.
Rerum defenſio, I, 5, 16.
Rerumpubl. morbi & vitia, II, 8, 5, *ſeqq.*
Reſervationes mentales, I, 10, 10. I, 11, 5.
Reſiſtere Imperanti quo caſu liceat Obſ. in II, 9. 4.
Reſpublica quomodo conſtituatur, II, 6, 9, & quæ ejus formæ, II, 6, 13. II, 8, 1. Regulares & irregulares, II, 8, 2, *ſeqq.*
Retractus, I, 14, 9.
Retrovenditionis pactum I, 15, 9.

S.

SAnctimonia ſummi Imperii, II, 9, 4.
Sermo. Sermocinantium Officia, I, 10, I, ſeqq.
Servi damna data quomodo reſarciant, & an Dominus ſarcire teneatur, I, 6, 11.
Servilis proles ad quem ſpectet, II, 4, 6.
Servitutes prædiorum, I, 12, 8.
Servitutis origo, diſcrimen, II, 4, 2. ſeqq.
Servorum officia, II, 4, 2. ſeqq.
Sexuum inter ſe ardens proclivitas, II, 2, 2.
Silentium aliquando conſensûs ſignum, I, 9, 9.
Silentium innocens, I, 10, 4.
Simonia, I, 14, 3.
Simulatio licita, I, 10, 4.
Socialis vita in quo conſiſtat. Suppl. II. 17.
Socialitas Homini neceſſaria, I, 3, 7, ſeqq. Suppl. II, 7. ſeqq. quousque Fundamentum Juris Nat. ibid. non infert adpetitum Societatis civilis, II, 5, 2.
Societas civilis, II, 5, I, ſeqq. II, 6, 1, ſeqq.
Societatis Contractus, I, 15, 12.
Sodomia II, 2, 2.
Solitarius Hominis ſtatus, II, 1, 4.
Solutiones obligationum, I, 16, 1, ſeqq.
Somniantium facinora an imputentur, I, 1, 26.
Sors, I, 7, 4. & I, 15, 13. I, 5, 20.
Species. Res in Specie, I, 15, 11.
Spei emptio, I, 15, 9.
Spes, Suppl. III. 11.
Spolia ad quem pertineant I, 16, 13.
Sponſiones I, 15, 13. II, 17, 8.
Spontaneitas, I, 1, 9. Homini in Naturalibus aſſerenda, I, 1, 10.
Statûs quid & quotuplex, II, 1, 1, ſeqq. Integritatis, Præfat. §. 8.
Statûs civilis indoles, II, 5, 3.
Statûs civilis & naturalis comparatio, II, 1. 9.
Status Hominum naturalis, I, 3, 3. II, I, 3. ejus incommoda, II, 1, 9, ſeq. Quis in eo Judex, II, 1, 10.
Statûs vitia, II, 8, 10.
Stratagemata Bellica, II, 16, 5.
Studia Literarum ad officia Hominum quatenus ſpectent, Suppl. III. 14.
Subditi Subjectio, I, 2, 4. II, 6, 13. II, 18, 1, ſeq.
Succeſſio ab inteſtato, & ejus

ejus ordines, I, 12, 10, & 11.
Succeſſio linealis, II, 10, 10.
Succeſſio Regni naſcendi, ſorte deſignatus quo caſu poſſit excludi, Obſ. in II, 2, 10, 12.
Succeſſionis modi in Civitatibus II, 10, 5, *ſeqq.*
Summitas Imperii vel abſoluta vel reſtricta, II, 9, 5.
Superbia, I, 7, 5.
Superſtitio Obſ. in I, 4, 4. & *ſeqq.*
Super Succeſſione ortæ lites per quos tranſigendæ, II, 10, 12.
Syſtemata Civitatum, II, 8, 13.

T.

TEmperamentum Hominis quid poſſet in moralibus, I, 1, 12.
Teſtamentorum Jus, I, 12, 12.
Teſtes, II, 1, 10.
Theologia moralis quomodo differat à Juris Naturalis prudentia, Præf. §. 1. & *ſeqq.*
Theſaurus, I, 12, 6.
Tributa & quid circa ea juſtum, II, 11, 10. II, 15, 3.
Triſtitiæ affectus, *Supp. III.* 10.
Turpium obligatio nulla, I, 9, 18.
Tutela inculpata, I, 5, 5.
Tutoris Obligatio erga Pupillum, *Suppl. IV.* 4.
Tyrannis, II, 8, 11.

V.

VEctigalia, II, 15, 3.
Venatio, I, 12, 6.
Vendibiles necne Bello Servi capti, II, 4, 5.
Venditio, I, 15, 9.
Venditor vitia rei vendendæ occultà debet indicare, I, 15, 3.
Venia delictis quando conced. II, 13, 15.
Venia pœnitenti danda, I, 6, 13.
Vergentiæ voluntatem Hominis inclinantes, I, 1, 12, *ſeqq.*
Veritas, quid? I, 10, 7.
Vicinorum potentia, I, 5, 11.
Vindicta Juri Nat. adver. I, 6, 13.
Vires puniendi, I, 2, 5, II, 6, 6.
Virtus adv. aliam, I, 2, 13.
Virtus moralis & Vitium, Obſ. in I, 2, 12.
Vitam circa quodnam Hominis Officium, I, 5, 4. In Vitam Subditorum quid liceat imperanti, I, 5, 4. & 18. II, 13, 1, *ſeqq.*
Vita quæ infamis, II, 14, 8.

Vitæ

Vitæ & Necis Jus, II, 13, 1, *ſeqq.*
Univerſitates quomodo puniendæ, II, 13, 19. *ſeqq.*
Voluntaria Actio, I, 1, 16.
Voluntas, quid? I, 1, 9.
Voluntas quomodo formanda, *Suppl. III.* 3, 4.
Multitudinis, II, 6, 5.
Voluptates circa quod ſit Hominis Officium, *Sup. III.* 7.
Urbanitas reciproca, I, 7, 3.
Uſucapio, I, 12, 15.
Utilitatis innoxiæ res, I, 8, 4.
Uſuræ, I, 15, 11.

F I N I S.

Sequentia paucula Operarum Errata ſic corrigere dignetur candidus Lector.

p. 3. l. 1. *pro* ſua *lege* quâ, p. 16. l. 1. *pro* derent, *lege*, derent. p. 24. l. 9. *pro* ſingalarem, *lege* ſingularem. p. 31. l. 6. *pro* potratæ *lege* patratæ. p. 148. l. 20. *pro* officere, *lege* efficere.

Notari item debet, ubi Capita Tractatûs Puffendorfiani memorantur in Appendice, non indicato Libro; intelligi, à Theſi I. ad XXVI. Librum Primum; inde ad finem, Librum Secundum.

Cætera, ſi qua ſint, Sphalmata ſperamus eſſe ejusmodi, ut ne vel minùs peritum Lectorem morari queant.

AKT 1317,673

LABORATORIO
DI RESTAURO
G. ARMANO
Napoli - Tel. 462140
1971